


SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI



SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM

ACADEMIÆ PARIISIENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ

S. FACULTATIS PARIISIENSIS DOCTOR.

Editio nova

*Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris
in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas*

Tomus nonus.

De Sacramentis in genere.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1901.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA

SEP 22 1931

99

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM

PRÆFATIO.

ETSI castissimum ac omnino salebrosum stadium jam fuerimus emensi; grandis tamen adhuc nobis restat via, et propter varias hæreticorum infestationes tot obsita periculis, tot spinetis ac reptibus hirsuta, ut ab ineundo rursus itinere jam pene fractus animus detrectaret, nisi imponenda operi suscepto corona, et summa rerum ventilandarum utilitas ac voluptas ingratum laborem deliniret. Enimvero si liceat unquam, maxime in hac postrema Theologiæ parte Christum Dominum jurat audire monentem: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: hic namque, ait perbelle Subtilis Doctor, adorandus ille Salvator verum se piissimum, ac divina charitate flagrantem Samaritanum exhibet, qui spoliatum videns hominem, et atrociter sauciatum, miserationis affectu compatiens, medicinam attulit efficacem, qua curatis ipsius vulneribus, ac plena reddita sanitate, in sui principium, a quo descendens ab Jerusalem deviaverat, finaliter reducatur.

Sacramenta namque perfecta medicamenta sunt, ait Seraphicus Doctor, et ideo optanda magis, ac in pretio ac votis habenda, quod pigmenta odorifera sunt, et unguenta salutifera: sed unguenta salutifera sunt respectu ægroti curandi; et pigmenta odorifera respectu Dei placandi. Inde præclarissime elucet divini nostri Medici ac piissimi Samaritani charitas et sapientia, quod (non eorum instar, quorum medicamenta vera tormenta sunt, quibus prius cruciari debent corpora, quam sanari) medicinam proferat, non solum curandis omnibus animæ vulneribus salutarem, sed etiam cælesti dulcedine ac odore fragrantem, ut de ipso vere fuerit vaticinatus Ecclesiasticus: Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.

Tum certe cælestis ille pigmentarius confecit pigmenta suavitatis, cum dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem, et hostiam Deo, in odorem suavitatis. ut odorifero sui sanguinis balsamo Patris temperaret iram, clementiam provocaret, et hominem innuneris peccatorum plagis cruentatum blandiente medicamentorum fragrantia jucunde sanaret. Nec ei fuit satis, salutarem hanc ac suavem nobis in cruce parasse medicinam; voluit ultra, ut per Sacramentorum effluvium in nos ubertim exundaret, ut aquas salientes in vitam æternam hauriremus in gaudio de fontibus Salvatoris.

Non erit igitur ingratum, nec injucundum juxta hæc amonissima gratiarum fluentia tantillum exspatiari: quod ut fiat securiori pede,

presentem Librum sicut et præcedentes, tres in Tractatus distribuimus: quorum Primus expendet Sacramenta, quibus sanitas animæ restituitur, ac erucuetur morbus peccati, nempe originalis per Baptismum; mortalis actualis per Pœnitentiam, et venialis per Unctionem - extremam. Secundus declarabit Sacramenta, quibus sanctitas propagatur, puta Matrimonium et Ordinem. Tertius tandem explanabit mirandam virtutem eorum Sacramentorum, quibus animæ sanitas, et sanctitas roboratur ac firmatur, nempe Confirmationem et Euchariam. Verum, ut planior ac plenior rerum dicendarum habeatur ratio, præmittenda est sequens Disputatio, in qua omnia, quæ singulis Sacramentis communia sunt, expendemus.

DISPUTATIO PROCEMIALIS.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

SACRAMENTI nomen deducitur a *sacro*, propter ordinem quem habet ad rem sacram; qua ratione varias, sed maxime quatuor significationes habet apud Auctores tam sacros, quam profanos, quæ præclare nostris Sacramentis conveniunt. — *Primo* namque Sacramentum significat *pignus* a litigantibus, in loco sacro apud Pontificem deponi solitum, ut qui finita lite vinceret, pignus reciperet; qui autem causa caderet, mulctaretur jactura pecuniæ suæ, illaque cederet ærario publico, in pœnam injustæ litigationis. Sic observat Varro lib. 4. *De lingua Latina*. Quæ utique acceptio nostris sacramentis optime quadrat; sunt enim pignora, quibus nos obstringimus ac devovemus in Dei cultum et obsequium, Deusque vicissim nobis suam gratiam spondet et oppignerat. — *Secundo*, Sacramentum usurpatur interdum pro *juramento*, quia in jusjurando rei sacræ auctoritas interponitur, Deumque in affirmatæ veritatis testem invocamus; sic sacramentum usurpat Tertull., lib. *De Idololatria*, cap. 19. ubi cum quæsivisset: *an fidelis ad militiam converti possit, et an militia ad fidem admitti*, respondet: *Non convenit Sacramento divino, et humano, signo Christi, et signo diaboli, castris lucis, et castris tenebrarum: non potest una anima duobus deberi, Deo, et Cæsari*, etc. Alludit autem ad juramentum, quo milites spondebant se suis Ducibus in omnibus obtemperaturos, et rei militari fidelem operam navaturos. Sic pariter Sacramentum usurpatur in Jure, can. 22. q. 4. cap. *Parruli*. Porro hæc acceptio egregie nostris Sacramentis convenit: sunt enim veluti signacula, quibus Deus spondet homini salutem, et homo Religionem Deo; per ea namque veluti per solemnem obtestationem, et nos Deo mancipamus, et vicissim Deum tenemus quodammodo debitorem. — *Tertio*, Sacramentum in Scriptura sancta plerumque significat *rem secretam et arcanam*, Sic. Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*; idest, Regis arcanum et secretum; quo sensu Sacramentum idem est ac *mysterium*: hinc Apocal. 12. ubi de muliere sedente super bestiam dictum est: *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium*; statim subdit Angelus Joannem alloquens: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris, et bestię*; idest, rem secretam et arcanam, quam mulier et bestia designant. Hæc pariter acceptio rite nostris Sacramentis quadrat; nam sub rerum corporalium involucro spiritualia dona occultant, sacramenta enim sunt signa rei sacræ; nempe gratiæ sanctificantis et divinitus infusæ. — *Quarto* tandem Sacramenti nomen significat *cæremoniam*,

BQ
6536

FB
49

qua homines initiantur sacris, seu signum aliquod sensibile, conferens aliquam sanctificationem ex institutione divina; quo sensu sacramenti vocabulum usurpari solet non solum a Theologis, sed etiam a SS. Patribus. Sic S. Cyprianus sacramenti vocabulum usurpat pluribi maxime Epist. ad Steph. ubi ait: *Tunc enim demum plene sanctificati, et esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.* Vocat autem utrumque sacramentum baptismum, et manuum impositionem, quæ est Confirmatio. Ipsi præverat S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, et Tertullianus, lib. *De Præscriptionibus* cap. 16. ubi ait: *Ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in idolorum mysteriis diabolus æmulatur: tingit et ipse quosdam, signat in frontibus milites suos.* Quibus significat Baptismum et Confirmationem, quæ pro cæremonia sacra ac sanctificante usurpat. Eadem est aliorum SS. Patrum de nomine *sacramenti* sententia. Imo, quidquid Zuinglius et Carolostadius reclament, vocabulum istud prout hic usurpatur, agiographum est, hoc est e sacris litteris deductum: nam Apostolus ad Ephes. 5. cum sermonem fecisset de conjunctione viri cum uxore per matrimonium, statim subdit: *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo, et in Ecclesia.* Quod utique maxime verum est de matrimonio contracto inter Christianos; nam si ad alios referas, sacramentum hac ratione non significabit cæremoniam sacram, sed rem secretam et mysticam. Cæterum hoc vocabulum in postrema hac quarta acceptione dumtaxat usurpabimus; maxime in disputatione præsentī, quam pro instituto nostro ac ordine, tres in Articulos distribuemus: quorum *primus* aperiet Sacramentorum essentiam, necessitatem, seu existentiam, et numerum: *secundus* eorum causas, virtutem, et effectus: *tertius* illorum subjectum, prævias dispositiones, et præcellentias explicabit.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET NUMERO SACRAMENTORUM.

QUAMVIS ordo doctrinæ postulet, istudque religiose hactenus a nobis fuerit observatum, ut prius resolvatur an res sit, quam quid sit, illiusque existentia prior, quam essentia appareat; nihilominus quoniam stabiliri vix potest Sacramenti necessitas et existentia, quin prius affulgeat essentialis ipsius ratio, inde merito Theologiæ Principes Sacramenti essentiam prius inquirunt, quam illius existentiam, seu necessitatem aperiant ac stabiliant: quibus ut morem geramus, præsentem Articulum auspiciabimur ab investigatione essentiæ Sacramenti, ac postmodum ad aperiendam illius existentiam et stabiliendum Sacramentorum numerum gradu faciemus.

QUÆSTIO PRIMA.

DE NATURA SEU ESSENTIA SACRAMENTI.

CUM ea sit rerum corporearum ac sensibilibum ratio, ut natura duplici, physica nempe ac metaphysica, constare videantur; sic enim homo metaphysice spectatus constituitur ex genere et differentia; physice autem componitur ex materia et forma, anima videlicet et corpore; inde fit, quod Sacramentum ratione pari considerari soleat a

Theologis secundum constitutionem, vel metaphysicam, prout genere ac differentia constat; vel physicam, quatenus ex materia et forma sibi conveniente integratur. De priori Sacramenti institutione sermo erit in Quæstione præsentī, de posteriori vero disceptabitur in sequenti.

NOTANDUM 1. Theologos invicem convenire sacramentum habere rationem signi; cum autem varia sit ac multiplex signi ratio ac distributio, non concordant invicem quænam ex eis Sacramento quadret. Quid autem cum Subtili Doctore verius censendum sit, ut evidenter appareat, repetendum est ex Philosophia, signum in genere esse id, quod aliud a se potentiæ cognoscenti repræsentat: seu, ut loquitur sanctus Augustinus, lib. 2. *De Doctrina Christiana*, cap. 1. *Signum est res, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Quæ utique definitio convenit ex æquo vocibus, actionibus, et rebus; voces enim, sive soni, aliquid aliud interdum significant: sic gemitus, et singultus sunt signa doloris. Actiones pariter sunt signa: nam, inquit S. Augustinus mox laudatus, cap. 3. *Histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, et cum oculis eorum quasi fabulantur.* Res tandem ipsæ interdum signi rationem obtinent; fumes enim significat ignem latentem, etc.

NOTANDUM 2. Signum esse multiplex; aliud enim est formale, aliud instrumentale. *Formale* dicitur quod licet incognitum, alterius cognitionem parit: sic species intelligibiles et sensibiles, licet ignotæ, ducunt in cognitionem objectorum, quæ sentiuntur aut intelliguntur. *Instrumentale* est illud, quod prius cognitum in cognitionem alterius deducit, ut loquela, quæ prius cognosci debet, quam conceptus per eam expressus notificetur. Hinc Apostolus 1. Corinth. 14. *Si nesciero virtutem vocis, ero cui loquor barbarus, et qui loquitur mihi barbarus.* — *Instrumentale* dividitur in naturale, et arbitrarium. Primum est, quod ex natura sua, et independenter ab hominum instituto vim habet idem significandi apud omnes nationes; sic gemitus sunt signa latentis doloris, risus signum lætitiæ, etc. Secundum est, quod ex solo hominum instituto vim habet aliquid significandi; sic pulsus campanæ est signum futuræ lectionis, orationis, prandii, etc. Tertio, signum rursus dividitur in *practicum*, et *speculativum*. Primum est, quod habet vim efficiendi id quod significat; sic nubes grava et opaca est signum pluriæ, quam diffundit. Secundum est, quod rem quidem significat, eam vero non efficit; sic lumen est signum præsentis Solis. Insuper utrumque hoc signum dividitur in *demonstrativum*, *rememorativum*, et *prognosticum*. Primum est quod rem præsentem, secundum quod rem præteritam, tertium quod rem futuram indigitat; sic adorandum Eucharistiæ sacramentum tria hæc complectitur, ut de ipso canit Ecclesia: *primo* enim recolitur memoria Passionis Christi; *secundo* mens impletur gratia nutritiva, quæ per species panis et vini significatur; *tertio* futuræ gloriæ pignus datur.

NOTANDUM 3. Certum esse, quod sacramentum non sit signum formale: cum enim necessario debeat esse sensibile, ut mox dicemus, etiam prius cognosci debet, quam nos in alterius notitiam deducat, ac subinde non potest esse signum formale, quod incognitum aliud notificat. — Certum est pariter quod non sit signum naturale: tum quia gratia, quam signum istud repræsentat, est ordinis supernaturalis;

res autem naturalis ex sua conditione nude spectata non potest repræsentare rem supernaturalem: *tum quia* si sacramentum esset signum naturale, ejus significatio omnibus esset nota; nam gemitus apud omnes signum est tristitiæ, quemadmodum risus signum lætitiæ: sed aperte constat significationem sacramenti non esse omnibus notam: *tum denique quia* naturale signum habet aliquam conjunctionem naturalem ad rem significatam, ut fumus ad ignem, radius ad solem, vestigium ad pedem: at sacramentum non habet ordinem naturalem ad gratiam, quam significat: quippe cum hæc non sit illius effectus, nec proprietas naturalis, dici non potest signum naturale. Habet tamen aliquam analogiam et similitudinem cum effectu, quem repræsentat: *Si enim*, inquit S. Augustinus, Epist. 23. *Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sint sacramenta, non haberent, omnino sacramenta non essent.*

Restat igitur determinandum: *primo*, utrum sacramenta sint signa: *secundo*, an sensibilia: *tertio*, utrum sint dumtaxat speculativa, vel practica: *quarto*, an sacramentum possit definiri, et quænam sit genuina sacramenti definitio; quæ in sequentibus Conclusionibus expendemus.

Conclusio prima. — SACRAMENTUM EST FORMALITER SIGNUM.

Probatur primo ex SS. Patribus qui unanimi calculo sacramentum appellant signum et symbolum. Sic sanctus Dionysius, lib. *De Cælesti Hierarchia*, cap. 2. *Sensibilia sacramenta*, inquit, *simulacra sunt intelligibilium, ad quæ manu ducunt, ac viam sternunt.* Sic pariter S. Augustinus, Epist. 5. *ad Marcellinum*: *Signa*, inquit, *cum ad res divinas pertinent, appellantur Sacramenta.* Quam utique veritatem luculenter expendit S. Bernardus, Serm. 1. in *Cæna Domini*, n. 2. *Sacramentum*, inquit, *dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum: multa siquidem fiunt propter se tantum: alia vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa, et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, et nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, et signum est; ita ut jam dicere possit, qui accipit: annulus non valet quidquam, sed hæreditas est, quam quærebam: in hunc itaque modum appropinquans Passioni Domini, de gratia sua investiri curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præparetur: ad hoc autem instituta sunt sacramenta.*

Confirmari potest hæc veritas ab enumeratione: Nullum enim est Sacramentum, cui ratio signi non conveniat. Sic Circumcisio, *Genes. 17.* dicitur signum fœderis inter Deum et Abraham, et *Rom. 4.* vocatur *signaculum justitiæ fidei.* Sic *Rom. 6.* *Baptismus* dicitur significare Christi mortem, sepulturam, et Resurrectionem: *Quicumque*, (inquit Apostolus) *baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Sic pariter *Eucharistia* celebratur ut signum rememorativum Passionis Christi, juxta illud *Lucæ 22.* *Hoc facite in meam commemorationem.* Idem dicendum de cæteris, etc.

DICES 1: Quod habet rationem veræ causæ respectu alicujus effectus, non potest habere rationem signi respectu ejusdem: sed sacramenta habent rationem causæ respectu sanctitatis, cujus dicerentur

signa: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur*: sacramentum enim dicitur a *sacrando*, sicut medicamentum a *medicando*: sed medicamentum habet rationem causæ respectu sanitatis, quam efficit, non autem signi: ergo et sacramentum. — **Distinguo minorem**: habent rationem causæ physicae *nego*: moralis *concedo*. Unde ad probationem *nego* paritatem: medicamentum enim dicitur a medicina; medicina autem se habet ut causa effectiva sanitatis; inde fit ut medicamentum, quod ab ea denominatur, importet aliquam causalitatem physicam: at vero sanctitas, a qua Sacramentum nominatur, non habet se per modum causæ efficientis physicae; sed per modum causæ formalis, vel finalis; est enim forma rei sacrae, forma sanctificans, et efficiens hominem sacrum ac sanctum, et sacramenta novæ legis sunt finis omnium Sacramentorum legis antiquæ: quapropter Sacramentum, quod ab ea denominatur, potius obtinet rationem signi, quam causæ.

INSTABIS: Sacramenta denominantur ab eo quod magis spectat ad eorum quidditatem et rationem genericam: sed ratio causæ magis spectat ad quidditatem et rationem genericam sacramenti, quam ratio signi. *Probatur*, quia illud magis pertinet ad quidditatem et rationem genericam sacramenti, quod est in eo perfectius: sed perfectius est esse causam gratiæ, quam dumtaxat illius signum: igitur esse causam gratiæ potius est de essentia et ratione generica sacramenti, quam esse illius signum. — **Respondeo**: concessa *major*e, negando *minorem*: ad ejus probationem *nego majorem*; siquidem in homine justo gratia sanctificans est id, quod in eo perfectius est: siquidem nulla res creata illam qualitatem supernaturalem potest in excellentia et dignitate æquare: non est tamen verum, quod homo justus constituatur essentialiter per gratiam, quippe cum sit illius accidens. *Adde quod* sacramenta veteris legis non habebant veram causalitatem respectu gratiæ sanctificantis: non enim illam causabant, sed dumtaxat conferebant quamdam sanctitatem legalem; veram autem sanctitatem tantum significabant ac præfigurabant, per sacramenta novæ legis conferendam.

DICES 2: Sacramentum significat quid occultum, Ephes. 3. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo*: sed esse absconditum est contra rationem signi, quia signum ex S. Augustino, præter speciem, quam ingerit sensibus, facit aliquid in cognitionem venire. — **Distinguo majorem**: si sumatur latius, ut idem est ac sacrum arcanum, *concedo*, quia secundum Antiquos sacra, sancta, vel sacrosanta dicebantur, quæ violare non licebat; quales erant muri civitatum, magistratus, aut aliæ personæ in dignitatibus constitutæ, Imperatorum epistolæ, et similia: si proprie sumantur, ut hic a nobis, *nego*.

DICES 3: Juramentum aliquando Sacramentum appellatur. 2. 2. q. 3. cap. *Parvuli*: *Qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit postea, nec ad Sacramentum, idest, ad juramentum accedat*: at juramentum non est in genere signi, nam est confirmatio veritatis, seu contestatio per aliquid sacrum. — **Nego minorem**: quia juramentum habet aliquam habitudinem ad res sacras, licet aliam quam sacramenta, de quibus agimus. Unde sacramentum non dicitur univoce de sacro arcano, juramento, et ritu seu signo rei sacrae; nec tamen æquivoce, sed analogice, quia significat proportionem quam habent ea tria ad unam sanctitatis formam, secundum varios respectus.

DICES 4: Genus et species, puta animal et homo, sunt in eodem prædicamento: sed species sacramentorum, ut Baptismus et Confirmatio, non sunt in eodem prædicamento, ac signum; nam signum est quid relativum; Baptismus et Confirmatio sunt actiones, aut passionēs; Baptismus enim est ablutio, Confirmatio est unctio: ergo, etc. — *Distinguo* minorem: secundum suas naturales substantias et entitates, *concedo*: secundum rationem formæ. *nego*: nam eorum forma, ut sacramenta sunt, est significare gratiam cum certis effectibus, unde sunt eatenus in genere signi, ut statua ratione substantiæ naturalis est in genere substantiæ, nam est lignum, aut lapis: ratione formæ artificiosæ, est in genere qualitatis, nam est figura, aut imago; sed ratione representationis et similitudinis, est in genere relatorum. *Adde quod* ratio formalis signi cum sit relatio rationis, non reponatur in prædicamento.

DICES 5: Si signum est de integritate sacramenti: ergo quod non signat non est sacramentum, et quod non signat huic, ei, cui non signat, non est sacramentum: sed sacramentum Baptismi nihil significat parvulo: ergo parvulo non est Sacramentum: ergo dum parvulus recipit Baptismum, non recipit sacramentum: sed hoc est absurdum: ergo signum non est de integritate sacramenti. — **Respondet Sera- phicus Doctor** in 4. dist. 1. quæst. 2. « Quod Sacramentum non signat
« parvulo, dicendum quod signum duplicem habet comparisonem: et
« ad illud quod signat, et ad id cui signat; et prima est essentialis,
« et habet ipsam semper in actu; secundam autem habet in habitu;
« et a prima dicitur signum, non a secunda: unde circulus super
« tabernam semper est signum, etiamsi nullus aspiciat: sic sacra-
« mentum semper est signum, quamvis nullus cognoscat, sed tamen
« adhuc non solvitur; quia quamvis sit signum, non tamen signat
« huic. Ideo dicendum, quod sicut parvulo sufficit fides aliena, ita
« sufficit, quod significetur ipsi parvulo: unde quamvis non significet
« ei in se, significat tamen in alio ».

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM EST SIGNUM VISIBILE, SEU SENSIBUS PATENS, SIVE PER SE, SIVE RATIONE ALICUJUS ADJUNCTI. Hæc est pariter communis apud Theologos, et

Probatur: *Primo* quidem ex decreto Eugenii ad finem Concilii Florentini, in quo decernitur sacramenta constare rebus, et verbis, tamquam materia, et forma; rebus, inquam et verbis corporeis, et a sensibus perceptibilibus. Id pariter constat ex Concilio Trid., tota Sess. 7.

Idem docent SS. Patres: imprimis S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 1. *Nostra*, inquit, *Sacramenta ordinandi ritus symbolicus existit, sensibilibus signis opus habens, ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem.* Subscribit S. Chrysostomus pluribi, maxime vero Homil. 60. ad populum Antiochenum, ubi loquens de adorando Eucharistiæ Sacramento, ait: *Quoniam Verbum dicit: Hoc est corpus meum, et assentiamur, et credamus, et intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim insensibile nobis Christus tradidit, sed sensibilibus quidem rebus: at omnia intelligibilia. Idem et in baptisate, per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur; intelligibile vero, quod perficitur, generatio, et renovatio. Si enim in-*

corporeus esses, nuda, et incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi probet. Idem docet S. Augustinus, tract. 8. in Joan. dum ait: *Accedit verbum ad elementum, et sic fit Sacramentum: illud autem elementum est res sensibilis, nimirum aqua Baptismi, de qua loquitur: igitur, etc.*

Suadetur etiam ratione multiplici: primo quidem: Sacramenta sunt cæremoniæ Religionis, seu sacri ritus, quibus homines in unum corpus mysticum coalescentes invicem adunantur ad Dei cultum et obsequium: sed ex S. August. lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 11. *In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo Sacramentorum, vel signorum visibilium consortio colligentur.* « Qualiter enim (addit Guillelmus Parisiensis, lib. *De Sacramentis in genere*, cap. 2. circa medium) se invicem socios habebunt, « si se non noverint esse socios? qualiter autem hoc cognoscent, nisi « communione visibili, a signo aliquo, quod non potest esse nisi visibile? igitur sacramenta debent esse sensibilia ». — *Secundo*, quod inducit hominem in cognitionem intelligibilium et spiritualium est res sensibilis; Deus enim, sicut cæteris rebus, ita etiam homini providet secundum ejus conditionem et statum; nam Sap. 8. *Disponit omnia suaviter.* Et Matth. 25. *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Est autem homini connaturale, ut per sensibilia veniat in notitiam intelligibilium et spiritualium: unde spiritualia describuntur in Scriptura Sacra per similitudines sensibilium, ut officia vitæ, et fidei mysteria per Parabolas, et alias figuras: at Sacramenta manuducunt hominem in notitiam spiritualium, nempe gratiæ sanctificantis: igitur debuerunt esse signa sensibilia. — *Tertio*, instrumenta debent esse proportionata causæ principi: at causa princeps et universalis nostræ salutis est Verbum Incarnatum; instrumenta autem, quibus virtus talis causæ ad nos pervenit, sunt Sacramenta: igitur ut hæc aliquam similitudinem haberent cum sua causa principe, conveniens fuit, ut essent visibilia signa, sub quibus divina virtus salutem nostram operaretur. — *Quarto*, inquit Seraphicus Doctor in *Breviloquio*, parte 6. c. 1. « Homo ægrotans est, non tantum spiritus, nec tantum caro, sed spiritus in carne mortali. Morbus autem est originalis culpa, quæ per ignorantiam inficit mentem, et per concupiscentiam inficit carnem. Origo autem hujus culpæ, licet principaliter tuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit carnis. Ad hoc ergo quod medicina correspondens esset omnibus supra dictis, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis: ut sicut hæc sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita ei essent occasio resurgendi. Quoniam igitur signa sensibilia, quantum est de se, non habent efficacem ordinationem ad gratiam, licet habeant longinquam repræsentationem de sui natura; hinc est quod oportuit, quod ab Auctore gratiæ instituerentur ad significandum, et benedicerentur ad sanctificandum; ut sic essent ex naturali similitudine repræsentantia, ex adjuncta institutione significantia, ex superaddita benedictione sanctificantia, et ad gratiam præparantia, per quam curaretur et sanaretur anima nostra. *Rursus*, quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis, et fastidiosis; ideo oportuit hæc signa sensibilia divinitus dari, quæ non solum sanctifica-

« rent, et gratiam conferrent, ac per hoc sanarent; verum etiam signi-
 « ficatione erudirent, et susceptione humiliarent, et diversificatione
 « exercitarent; ut sic per exercitationem exclusa accidia a concupi-
 « scibili, per eruditionem exclusa ignorantia a rationali, per humi-
 « liationem exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret
 « a gratia Spiritus sancti, quæ reformat nos secundum has tres po-
 « tentias, ad imaginem Trinitatis, et Christi ».

DICES 1: Sacramenta ordinantur ad Dei cultum et regnum; in-
 stituta sunt enim, ut homo Deum coleret, et ejus gloriam obtineret:
 atqui res sensibiles non pertinent ad Dei cultum et regnum: nam
 Joan. 4. *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et ve-
 ritate oportet adorare.* Et Rom. 14. *Non est regnum Dei esca, et potus:*
 igitur signum sacramentale non congrue dicitur esse sensibile, — **Di-
 stinguo minorem:** res sensibiles non spectant ad Dei cultum, et re-
 gnum, si considerentur dumtaxat secundum suam naturam ut sunt
 in seipsis, concedo: si spectentur quatenus ordinantur ad significandas
 res spirituales, in quibus cultus ac regnum Dei consistit, nego; nam,
 ut inquit Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Corporealis exercitatio ad modi-
 cum utilis est:* si nimirum non habeat ordinem ad spirituale. Enimvero
 quidnam prodest jejunium et abstinentia, de quibus sermonem in-
 stituit Apostolus, si spectentur dumtaxat ut corpus exercent? Modi-
 cum quidem conferunt ad salutem; sed ad id plurimum deserviunt,
 quatenus ordinantur ad finem spiritualem; nam monebat idem Apost.
 ad Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis
 corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile
 obsequium vestrum.* Hinc Tertull. mirum in modum christiani cor-
 poris impensa Deo obsequia, et ad salutem animæ emolumenta sic
 effert lib. *De Resurrect. Carnis.* cap. 8. « Videamus, inquit, nunc de
 « propria etiam christiani nominis forma, quanta huic substantiæ fri-
 « volæ ac sordidæ apud Deum prærogativa sit: et si sufficeret illi,
 « quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum est in
 « carne, crediderit: adeo caro salutis est caro, de qua cum anima
 « Deo allegitur, ipsa est quæ efficit, ut anima allegi possit. Sed et
 « caro abluatur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima con-
 « secretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impo-
 « sitione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore
 « et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo sagineur. Non pos-
 « sunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit: nam et sa-
 « crificia Deo grata, conflictationes dico animæ, jejunia, et seras, et
 « aridas escas, et appendices hujus officii sordes, caro de proprio suo
 « incommodo instaurat. Virginitas quoque, et viduitas, et modesta in
 « occulto matrimonii dissimulatio, et una notitia ejus, de bonis carnis
 « Deo adolentur ». — Certum est igitur res sensibiles et corporeas plu-
 rimum inservire ad salutem instaurandam; ac subinde recto ordine
 Christum Dominum instituisse Sacramenta in rebus sensibilibus, ut
 essent signa gratiæ invisibilis. Quam utique veritatem luculenter ex-
 pendit Ogierus Abbas Lucardi Serm. 1. *In Cena Domini.* inter opera
 S. Bernardi, num. 2. « Sacramentum, inquit, dicitur sacrum signum,
 « sive sacrum secretum; multa siquidem fiunt propter se tantum; alia
 « vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa, et sunt. Ut enim

« de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter
 « annulum, et nulla est significatio; datur ad investiendum de hære-
 « ditate aliqua, et signum est; ita ut jam dicere possit qui accipit:
 « annulus non valet quidquam, sed hæreditas est, quam quarebam.
 « In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia
 « sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili
 « præstaretur: ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, etc. ».

DICES 2: S. August., lib. 2. *De libero arbitrio*, cap. 11. ait: *Species quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt.* sed Sacramenta non sunt minima bona, nec sine illis recte vivi potest: ergo non sunt species corporum, seu res sensibiles. — **Respondeo**, S. Augustinum nihil aliud significare, quam quod species corporum ut sunt in sua natura, seu spectata secundum vim et proprietates naturæ suæ, sunt equidem minima bona, concedo: ut assumuntur ad significanda spiritualia, et inserviunt iis assequendis, quæ sunt maxima bona, nego.

DICES 3: Nicolaus Summus Pontifex, ut refertur q. 27. c. 2. decrevit, quod sufficiat secundum legem solus consensus ad matrimonium, de quorum conjunctionibus agitur: sed consensus non est quid sensibile: ergo ad Sacramentum Matrimonii non requiritur aliquid sensibile. — **Distinguo majorem**: solus consensus partium contrahentium per aliquod signum externum declaratus sufficit ad Matrimonium, etiamsi non adsit consensus parentum, nec carnalis copula, aut alia ejusmodi, concedo: consensus solus nullo sensibili signo declaratus, nego. Et similiter distincta *minore*, neganda est *consequentia*. Nam ad matrimonium requiritur, ut contrahentium consensus exteriori signo manifestetur, puta verbis, actibus, aut nutibus sensibilibus, ut constat ex c. *Cum apud, etc. de sponsalibus*. Nec aliud certe voluit Summus Pontifex, cum ait, quod consensus solus matrimonium efficiat: hæc enim profert, ut excludat necessitatem copulæ carnalis: « quia, inquit, consensus
 « cohabitandi, et individuum vitæ consuetudinem retinendi interve-
 « niens conjuges facit ».

DICES 4: Contritio est pars Sacramenti Pœnitentiæ, et corpus Christi efficit Sacramentum Eucharistiæ: sed illa non sunt sensibilia: igitur Sacramentum non necessario debet esse sensibile. — **Distinguo minorem**: ista non sunt sensibilia per se, concedo: per aliud, nego: nam per accusationem peccatorum, per fursionem pectoris, per lacrymas, et gemitus, et alia similia externa, contritio declaratur ac manifestatur; quemadmodum corpus Christi manifestatur per consecratas species eucharisticas; ac proinde neganda est *consequentia*. *Confirmatur* hæc responsio; quia tria in Sacramento distinguenda sunt, nempe res tantum, sacramentum tantum, et res ac sacramentum simul. Res tantum significatur, et non significat; ac subinde potest esse insensibilis, quæ per sensibilia manifestetur ac significetur: signum tantum est id quod aliud notificat, hocque necessario debet esse sensibile: ex his autem duobus integrum perficitur sacramentum; non quidem integritate significationis, quod solum pertineat ad materiam, et formam sensibilem; sed integritate perfectionis; quia signum non habet completam ac perfectam significationem, quando non adest res significata.

Non diffiteor tamen Deum statuere potuisse aliquid mere spirituale,

puta solam mentalem Christi Domini passionis meditationem, piam cogitationem, affectum mentis in Deum, internam delictorum detestationem, in peccati remedium, et efficax gratiæ conferendæ signum. Verum dico, quod ista non forent proprie dicta Sacramenta; hæc enim non solum sunt peccati remedia, sed etiam Religionis cæremoniæ, divinæ voluntatis erga nos dilectionis argumentum, et nostri cultus erga Deum pignora. Unde hic nobis non est sermo de mediis, quæ Deus instituere potuisset ad gratiam Angelis impertiendam, sed de mediis a Deo præscriptis ad restituendam et conferendam hominibus gratiam.

Conclusio tertia. — SACRAMENTUM EST SIGNUM PRACTICUM SANCTITATIS, NON LEGALIS ET EXTERNÆ, SED INTERNÆ: NON FUTURÆ, SED PRÆSENTIS, ET IN IPSO SUSCIPIENTE. Hæc Conclusio tres habet partes,

Quarum prima communis est apud Theologos, nempe quod Sacramentum sit signum practicum, idest, effectivum, sive moraliter, sive physice illius gratiæ, quam significat; estque definita in Conc. Florent. *in decr. unionis*, ubi hoc statuitur discrimen inter Sacramenta veteris, et novæ legis, quod *illa non causabant gratiam, sed eam solam per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt*. Similiter Concilium Trid., Sess. 7. Can. 6. ita decernit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, et gratiam istam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint, acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.*

Quam utique veritatem ex Scripturæ sacræ, et SS. Patrum oraculis confirmare licet; nam passim asseritur Sacramentum novæ Legis habere vim causandi gratiam, et remittendi peccata. Sic Joan. 3. Christus Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*: ubi regeneratio spiritualis, quæ fit per gratiam, Baptismo et Spiritui sancto, tanquam causæ tribuitur: Spiritui sancto quidem tanquam causæ principali, Baptismo vero tanquam instrumentali: unde S. August., Tract. 80. in Joan: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat?* Cui subscribit S. Leo, Serm. 4. *De Nativitate*, ubi ait: *Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri Virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem; ut peccatum, quod ibi evacuavit sacra Conceptio, hic solvat ablutio*. Idem dicendum de aliis Sacramentis, ut fusius probabimus infra, dum Sacramentorum efficacitatem expendemus.

Secunda pars, nempe quod Sacramentum proprie dictum contere debeat sanctitatem internam, *probat*ur contra quosdam Theologos, vel negantes cum Cano *in relectione de Sacrament.* par. 1. esse de ratione Sacramenti, quod conferat sanctitatem internam, sed sufficere quod conferat aliquam sanctitatem, sub disjunctione nempe, aut legalem et externam, aut Evangelicam et internam; vel asserentes cum Suarez disp. 1. sect. 2. quod ad rationem Sacramenti requiratur ut conferat aliquam sanctitatem saltem legalem, et significet veram et Evangelicam justitiam. *Probat*ur, inquam, primo, quia ad rationem Sacramenti

requiritur significatio, quæ ipsum distinguat ab eo omni quod non est Sacramentum: sed sanctitas legalis et imperfecta non distinguit Sacramentum ab omnibus, quæ non sunt Sacramenta: igitur Sacramentum non potest significare sanctitatem legalem et externam. *Major* est evidens: Sacramentum enim debet essentialiter differre ab eis, cum quibus convenit in ratione significandi rem sacram, quæ tamen non sunt Sacramenta. *Minor vero probatur*: nam in veteri Lege plurima erant, quæ legalem sanctificationem causabant et significabant, nec tamen erant Sacramenta, ut colligitur ex illo ad Hebr. 9. ubi Apostolus loquens de veteri Lege, ait: *Juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et in variis baptismatibus, et justitiis carnis ad tempus correctionis*: nemo autem dixerit omnes illas cæremonias, ablutiones, et justitias carnis fuisse Sacramenta: ac proinde ratio Sacramenti non potest consistere in sola significatione sanctitatis legalis. *Secundo*, etiam in lege gratiæ plurima sunt, quæ habent rationem cæremoniæ sacræ, nec tamen sunt Sacramenta; enim vero *prima tonsura* est cæremonia sacræ, per quam homo cultui divino mancipatur, quæ proinde aliquam sanctitatem confert et significat, nec tamen est Sacramentum. Similiter *aqua lustralis*, et *signum crucis* cum sint cæremoniæ sacræ, conferunt suscipienti sanctitatem aliquam, delent enim peccata venialia, et inserviunt ad abigendas infestationes dæmonum ab anima; nec tamen sunt Sacramenta: igitur ad rationem formalem Sacramenti non sufficit, quod significet et conferat aliquam sanctitatem in genere, sed requiritur quod conferat aliquam sanctitatem internam, in eo qui Sacramentum suscipit. Unde

Probatur tertia pars contra quosdam Thomistas docentes ad rationem Sacramenti sufficere, quod significet sanctitatem aliquam de facto collatam per Sacramentum, dummodo præfiguret ac præsignet veram sanctitatem per aliud conferendam. Qua ratione contendunt sacramenta veteris Legis veram habuisse rationem Sacramenti, et univoce cum sacramentis novæ Legis convenire; quia illa significabant gratiam per Christum conferendam. *Probatur inquam*, primo (inquit Gonetus) ex S. Thoma, q. 60. art. 2. docente quod *Sacramentum est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines*, nempe suscipientes Sacramentum, ut colligitur ex solut. ad 2. ergo censet de ratione Sacramenti esse, quod significet perfectam sanctitatem in actuali usu et susceptione Sacramenti suscipienti conferendam. Unde in 4. dist. 1. qu. 1. art. 1. qu. 1. ad 3. docet serpentem æneum a Moyse in deserto jussu Dei elevatum non fuisse Sacramentum; et rationem assignat dicens: *Quamvis serpens æneus esset signum rei sacræ sacrantis, non tamen in quantum sacrans est actus, quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur*.

Probatur secundo ex variis definitionibus, quas SS. Patres ac sacri Doctores proferunt de Sacramentis; nam S. Isidorus lib. 6. *Ethymologiarum*, sacramentum sic definit: *Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium divina virtus secretius salutem operatur*. Quam utique definitionem Gratianus 1. q. 1. cap. *Multi secularium*, etc. tribuit S. Gregorio; illam vero S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. attribuit

S. Augustino: re ipsa quidem utriusque dici potest, licet quoad formam verborum sit S. Isidori: at divina virtus per Sacramenta sese effundens et explicans salutem non operatur, nisi quatenus hæc gratiam sanctificantem revera significant: igitur, etc. Idem constat ex definitione, quam tradit Hugo Victorinus, lib. 1. *De Sacramentis*, par. 9. cap. 2. ubi ait: *Sacramentum est corporale elementum foris sensibilibiter propositum, ex similitudine representans, ex institutione significans, et ex sanctificatione continens invisibilem et spiritualem gratiam*, etc. — Ad idem conspirat definitio, quam tradit Magister in 4. dist. 1. ubi ait: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, et causa existens*. Unde concludit: non ergo significandi tantum gratia Sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi; quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum sunt signa, et non Sacramenta, sicut fuerunt sacrificia carnalia, et observantiæ cæremoniales veteris Legis, quæ numquam poterant justos facere offerentes: quia, ut ait Apostolus Hebr. 9. « Sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificabat ad « emundationem carnis », non animæ. — Tandem id etiam patet ex definitione Catechismi S. Pii V. ubi dicitur: *Sacramentum est invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram justificationem institutum*. Constat igitur ex his definitionibus, quod Sacramentum debeat formaliter significare sanctitatem veram in suscipiente: vera autem sanctitas ea est quæ per gratiam confertur: igitur, etc.

Probatur insuper, nam inquit Hiquæus in Commentario ad præratum locum Doctoris: Omnia, quæ in Lege veteri fiebant, significabant gratiam per Christum conferendam, quia 1. ad Corinth. 2. *omnia ipsis in figura contingebant*, et ad Coloss. 2. ait Paulus *legem fuisse umbram futurorum*: illa autem omnia non fuerunt Sacramenta: ergo significare sanctitatem per aliud conferendam, non est ratio constitutiva Sacramenti. *Confirmatur*, Agnus Paschalis et manna significabant Eucharistiam, transitus maris rubri erat figura gratiæ baptismalis, serpens æneus passionis Christi, et Redemptionis humanæ: *Omnes*, inquit Apostolus, *in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt*. Item omnia sacrificia, oblationes, expiationes legis, significabant gratiam sacramentalem per Christum conferendam, ut docent Florent. *in decreto unionis*, Trid., Sess. 7. *De sacramentis in genere*, non fuerunt tamen Sacramenta: sic sacrificium Abel, Abraham, et Melchisedech, conjugium primorum parentum, missio columbæ super Christum baptizatum, significabant Spiritum sanctum sicut et ignis descendens super Apostolos. Idem patet de cruce, et multis aliis cæremoniis in lege nova institutis; quæ tamen non sunt Sacramenta, ut omnes admittunt.

REPONUNT 1. Sufficere ad Sacramentum, quod instituat ad cultum Religionis, et significet veram sanctitatem. — *Contra primo*, sacrificia legis naturæ totum hoc habebant; non fuerunt tamen Sacramenta, ut ipsi concedunt. *Antecedens* patet de sacrificio Abel, qui sicut gessit figuram Christi, ita etiam sacrificium ipsius, quod fuit placitum Deo, figura fuit sacrificii Christi. Idem patet de oblatione Isaac, et vervecis, quem Deus substituit, in quibus passio Christi figurabatur. *Secundo*, Crux, et multæ cæremoniæ legis novæ, ut exorcismus, insufflationes,

significant gratiam per Christum collatam, et victoriam contra demonem, sunt etiam instituta in cultum: ergo in his duobus etiam conjunctim sumptis non consistit ratio specialis Sacramenti. *Tertio*, Sacramentum eatenus spectat ad cultum Dei, quia est usus rei materialis et externæ assumptus ad effectum ipsius cultus, quem significat: sed effectus cultus divini, ad quem significandum assumitur Sacramentum, est hominis sanctificatio: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur*: triplex in genere est usus rei materialis assumptus ad effectum cultus Dei significandum: *primus* est, quando offertur Deo immediate, vel mediate in attestationem excellentiæ suæ, et subjectionis creaturæ ad ipsum, ut sunt oblationes, sacrificia, templa, altaria, decimæ, et hujusmodi. *Secundus* est, quando assumitur aliquid divinum in nostrum usum, in quo subiecit se homo Deo: sic ordinarie contingit in juramento, quando assumitur Dei nomen ad confirmandam veritatem: et sic subiecitur homo Deo, tanquam primæ regulæ veritatis, ex cujus reverentia operatur. *Tertius* modus contingit, quando assumitur aliquid divinum ad nostram sanctificationem, ut homo magis dispositus et idoneus reddatur, ut ei serviat. et hic usus est Sacramentorum. Ergo Sacramenta eatenus faciunt ad usum Religionis, quatenus sanctificent hominem: sed non sanctificarent hominem, nisi causarent sanctitatem in ipso: ergo hanc causare spectat ad essentiam Sacramenti, quatenus ex sua institutione facit ad cultum Religionis, et secundum hanc rationem tantum est diversus usus eorum et particularis, ut distinguuntur a sacrificio, et aliis, quæ instituta sunt in cultum Religionis.

REPOŒUNT 2. De ratione Sacramenti esse, ut quidem significet sanctitatem veram, et simpliciter; et saltem causet sanctitatem secundum quid, nempe legalem. — *Contra*, sanctitas legalis est tantum sanctitas exterior corporis, quam conferebant legalia, ut sanctificati possent ingredi templum, et admitti ad sacrificium, ut ex S. Augustino observat Magister Sent. dist. 1. his verbis: *Nihil aliud intelligo per iniquationem, quam lex mundat, nisi contactum mortui hominis, quem qui tetigerat, immundus erat septem diebus, sed purificabatur secundum legem die 3. et 7. et ita mundus erat, et ut jam intraret in templum*: igitur in ordine ad talem sanctitatem legalem non desumitur ratio Sacramenti, Sacramentum enim ex nominis ethymologia dicitur, quasi *sacrans mentem*, seu *sacratio mentis*: sacrificia autem veteris Legis nullatenus sacrabant mentem, sed duntaxat corpus mundabant, ut docet S. Paulus ad Hebr. 9. his verbis: *Si sanguis hircorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum, semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* etc. Quibus verbis Apostolus discrimen statuit inter Sacramenta veteris, et novæ Legis, quod illa tantum conferebant sanctitatem corporis, hæc vero animæ. Unde immunditia legalis non habuit alium effectum, quam eum, quem habet excommunicatio, et aliæ irregularitates, quibus quis excluditur a Sacramentorum perceptione, administratione, Ecclesiæ ingressu, etc. ac proinde absolutio ab illis non est verum Sacramentum.

DICES 1: Concilium Florent. et Trident. necnon et plurimi e SS. Patribus, Sacramenta veteris Legis appellant Sacramenta sine ulla limi-

tatione, aut distractione: ergo supponunt illa veram habuisse rationem Sacramenti, ac univoce cum Sacramentis novæ Legis convenire. — **Nego antecedens:** nam sufficienter SS. Patres, ac Concilia hanc limitationem declarant, cum ajunt Sacramenta veteris Legis non causare gratiam sanctificantem: sic enim sufficienter notificant illa Sacramenta non habuisse veram rationem sacramenti, nec univoce, sed dumtaxat æquivoce cum nostris Sacramentis convenire.

DICES 2: Plurima sunt signa practica gratiæ, quæ non sunt Sacramenta: igitur Sacramentum non habet id peculiare, quod sit signum practicum gratiæ. *Probatur antecedens: Lignum vitæ* in Paradiso significabat gratiam: nam ex S. August., lib. 2. *De peccatorum meritis*, cap. 21. *Mystica demonstrabat significatione, quid per sapientiam, cujus figuram gestabat, conferretur animæ rationali, ut alimento ejus vivificata, nequaquam in labem, mortemque nequitiae verteretur:* atqui lignum vitæ non erat Sacramentum proprie dictum. *Item immolatio Isaac* significabat Passionem Christi. *Similiter columba in caput Christi descendens* significabat præsentiam Spiritus sancti: sed hæc non erant Sacramenta: igitur id non debet censi Sacramentum, quod est signum practicum gratiæ. — **Nego consequentiam:** nam differentia Sacramenti proprie dicti, de qua agimus, non est quælibet significatio gratiæ sanctificantis, sed gratiæ sanctificantis hominibus applicatæ, dum usus externi signi applicatur: qualia non erant præfata signa, quæ significabant gratiam per usum externi signi quibuslibet hominibus, non autem uni dumtaxat applicandum.

URGEBIS: Sunt etiam aliqua signa practica gratiæ, quæ illam præsentem significant per usum signi applicatam: nec tamen sunt Sacramenta: igitur, etc. *Patet antecedens ex verbis, quibus usus est Christus Dominus cum Lucæ 7. Magdalenæ ait: Remittuntur tibi peccata tua.* Similiter cum Joan. 20. dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum*, etc. Verba enim illa significabant gratiam præsentem, quæ conferebatur ex vi significationis verborum. — **Respondeo negando antecedens:** illa enim verba non significabant gratiam practice, sed tantum demonstrative; maxime ea quibus Christus Magdalenam allocutus est; illa enim non erant signa practica, sed demonstrativa gratiæ per penitentiam et amorem perfectum causatæ: ita ut ad ejus gratiæ productionem necessarium non fuerit uti alio medio extraordinario, quam fidei et penitentia: quod indicant verba subsequents: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, etc. Unde S. Gregorius, Homil. 25. in *Evangelia*, ait: *Amando veritatem, lavit lacrymis maculas criminis, et vox veritatis impletur, qua dicitur: dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*, etc. Ad secundum dico revera quidem, quando Christus Joan. 20. illa verba protulit, concessum fuisse Apostolis Spiritum sanctum; nihilominus verba ista non fuisse Sacramentalia; nam ad rationem Sacramenti non sufficit, quod significet gratiam practice, respectu quorundam dumtaxat, et transitorie, sed necessum est ut istud significet permanentem respectu totius communitatis et societatis, in cujus sacram confederationem institutum est, et cujus usus fiat per determinatum ministrum in ipsa societate. Quod utique præfatis verbis non convenit: semel enim dumtaxat dicta sunt, idque tantum a Christo Domino et directa ad solos Apostolos.

Conclusio quarta. — SACRAMENTUM RECTE DEFINITUR, *si-
gnum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex institutione
dirina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*
Ita Doctor 4. dist. 1. q. 2. n. 6. ejus quidem definitionis veritas appa-
rebit ex singularum illius particularum explicatione. *Primo* itaque
dicitur *signum*, in quo convenit non solum cum sacrificiis, sed etiam
cum aliis omnibus rebus determinatis ad aliud significandum. *Secundo*,
additur *sensibile*, hoc est. in materia sensibili institutum, propter rati-
ones in secunda Conclusione assignatas. Sequitur *ex institutione di-
vina*, cum enim res, quæ ad Sacramentum usurpantur, non sint signa
naturalia, nec naturalem habeant connexionem cum gratia, quam si-
gnificant, necessum est quod ad id usurpentur ab eo, qui potest ad
illorum signorum positionem et præsentiam, gratiam producere, qualis
est solus Deus, aut Deus homo Christus Dominus. Subditur, *efficaciter
significans*, per quod a vera ratione Sacramenti arcentur non solum
sacramentalia, quales sunt cæremoniæ sacræ, necnon et aqua bene-
dicta, etc. sed etiam Sacramenta veteris Legis, quæ gratiam non con-
ferebant suscipientibus, sed tantum figurabant. Additur *aut effectum
Dei gratuitum*, ut nempe sacra Eucharistia comprehendatur sub Sacra-
mentis: convenit enim Eucharistia cum reliquis Sacramentis in eo quod
sit signum rei sacræ, sive gratiæ invisibilis, prout hæc significat bonum
aliquod naturæ superadditum institutum ad hominis salutem, sive
sanctificationem; differt autem in principali significato, quia cætera
Sacramenta significant gratiam accidentalem animæ inhærentem; hoc
vero significat gratiam substantialem, et gratiarum omnium Auctorem
et fontem. Insuper cætera Sacramenta consistunt in usu, Eucharistia
autem, etiam dum actualiter non sumitur, conservat rationem Sacra-
menti, ut docet Concilium Trid., Sess. 13. cap. 3. his verbis: *Commune
hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, sym-
bolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem: verum
illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta
tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, ut in
Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est.* — Fateor tamen
particulas istas, *gratuitus effectus*, salva definitionis bonitate omitti
posse; nam per *gratiam* potest intelligi tum accidentalis, tum substan-
tialis gratia: licet majoris claritatis causa Doctor Subtilis utramque
gratiam distincte expresserit, quia vocabulum *gratia* a Theologis
usurpari solet ad significandam gratiam accidentalem. — Tandem
dicitur *ordinari ad salutem hominis viatoris*: Sacramenta namque me-
dicinæ sunt. Sicut ergo medicina mortuis est inutilis, sanis ac rite
valentibus superflua, solis ægris necessaria: illa pariter nihil prosunt
damnatis, quibus nulla restat speranda salus: quippe cum in inferno
nulla sit futura redemptio: beatis essent superflua, nulla siquidem in
eis est curanda, nec pertimescenda infirmitas: sed necessaria sunt
omnibus viatoribus, quorum nullus est mundus a sorde, nullus pa-
riter qui ad æternam beatitudinem dum vivit non ordinetur.

DICES: Eucharistiæ Sacramentum suscipi, et Missæ sacrificium ce-
lebrari potest pro defunctis. — **Distinguo:** per modum suffragii, *con-
cedo*; sacramenti, *nego*. Licet enim per Missæ sacrificium, et Eucha-
ristiæ susceptionem possit viator compensare injuriam Deo a defuncto

dum viveret irrogatam, sicque pro eo debitum solvere, et a penis eximere, nullus tamen eis valet aliqua Sacramenta ministrare: et si ministrarentur animæ in assumpto corpore apparenti, nihil prodessent, quippe cum sit in termino, nec capax ullius amplius meritorii operis, qualis est Sacramentorum susceptio, dicente Domino: *ubi ceciderit arbor, ibi manebit*. Et licet non sint in termino status, sunt tamen in termino meriti ac demeriti per mortem, dicente Domino: *operamini dum lucem idest vitam habetis, venit enim nox, mors in qua nemo potest operari*.

DICES 1: Illud non potest definiri, quod non est unum per se: at Sacramentum non est unum per se, sed per accidens: igitur nullatenus est definibile. — **Distinguo majorem:** quod non est unum per se, nec physice, nec metaphysice, nec logice, hoc est, quod non constituitur ex materia et forma, nec ex genere et differentia, nec aliquid in se complectitur, quod concipiatur per modum generis, et differentia, *concedo: secus, nego*. Unde ad *minorem* dico, Sacramentum equidem non esse unum per se physice, aut metaphysice, sed dumtaxat logice; nam, ut ait Doctor supra laudatus n. 7, quemadmodum ratio est definibilis, licet involvat fundamentum, et terminum, sic et Sacramentum definibile est, licet dicat relationem signi ad significatum: « Ita enim, *inquit*, est iste conceptus per se unus apud intellectum, signum ad placitum efficax, sicut est conceptus paternitatis: « et sicut paternitas posset definiri proprie non obstante non unitate « per se subjecti, si paternitas esset in duobus subjectis, et illa subjecta « ponerentur in definitione ut additamenta, poneretur etiam correla- « tivum paternitatis, ita in proposito » *Unde subdit:* « restringendo ergo « definitionem ad *quid* proprie dictum extra animam, ista definitio non « exprimit *quid* Sacramenti: ergo non potest esse definitio, eo modo, « quo est ratio entis completi extra animam. Sed eo modo quo defi- « nitio exprimit unum conceptum per se in intellectu, sive ille con- « ceptus sit rei extra, sive rationis, bene potest definiri: et hoc modo « tantum definiuntur omnes intentiones logicales: non enim signant « quidditates extra animam, sed tantummodo conceptus in anima, sed « per se unos. Et sic habere definitionem sufficit ad scientiam proprie « dictam; alioquin Logica non esset scientia. In talibus definitionibus « etiam invenitur genus, differentia, et proprium, eo modo, quo Lo- « gicus loquitur de genere, differentia, et proprio: quia invenitur « prædicatum in *quid*, et in *quale essenziale*, et in *quale accidentale*, « convertibile. Et sic in ratione prædicta ponitur *signum* ut genus: « *ex institutione*, et *efficax*, ut differentia: *sensibile* vero, ut funda- « mentum relationis; *gratia* vero vel *effectus Dei gratuitus*, ut corre- « lativum ». Fatetur ergo Doctor, quod Sacramentum non possit proprie definiri definitione reali physica, aut metaphysica, quæ supponat unum ens per se reale constans vel materia et forma, vel genere et differentia, hac enim ratione Sacramentum non est unum: sed dumtaxat definitione intentionali seu logica, quæ fiat per aliquid se habens ad modum generis et differentia. — Vel aliter *distinguo minorem:* Sacramentum non est unum per se, si spectetur physice, ratione naturalis entitatis, et materialiter, *concedo:* si moraliter, ut instrumentum artificiale divinum, et supernaturale medium ad homines sanctificandos

institutum a Deo, *neq̄o*. Nam etsi constet pluribus divisis, et diversi generis materialiter, est tamen unum per se formaliter; quia formam unam habet, puta significationem gratiæ sanctificantis: sicut etsi domus constet multis entibus diversi generis, lapidibus, ferro, lignis, materialiter, est tamen unum artefactum per se; quia formam unam habet, figuram habitationi commodam: ut etiam familia, Respublica, Civitas, et similia.

DICES 2: Quod non est reale, non definitur proprie: Sacramentum ratione formæ non est reale quid; ea quippe forma solum est significatio ex instituto, quæ relatio rationis est, ut docet Doctor loco supra laudato. — **Distinguo majorem**: si non sit reale fundamentaliter, concedo: si non sit reale formaliter, *neq̄o*: civitas enim etsi formam non habeat realem, non desinit esse reale id, quod definiiri potest: quia fundamentum ejus est reale. Idem dicas de Sacramento, cujus relatio signi ad significatum licet non sit realis, quia est signum ex instituto, tamen cum res et verba, ex quibus constat, sint realia, hæc ratione potest definiiri.

DICES 3: Quod potest definiiri, dicitur reponi in aliqua categoria: atqui nulla potest assignari categoria, in qua reponi possit Sacramentum: ergo, etc. — **Respondeo distinguendo majorem**: si sit ens per se, nempe substantia, vel aliud absolutum, concedo: si sit ens per accidens, subdistinguo: ens per accidens, quod componitur ex subiecto et accidente, transeat; de hoc enim controvertunt Philosophi: ens per accidens artificiosum, quod constituitur ex diversis entibus, sive realiter, sive intentione tantum unitis, *neq̄o*. *Deinde*, concessa *minore*, neganda esset *consequentia*, quia Sacramentum est ens artificiosum, quod constituitur ex pluribus entibus intentione tantum unitis.

Corollarium. — Ex his apparet inanes esse ac omnino rejiciendas omnes definitiones, quas hæretici tradere solent ac propugnare, maxime Sacramentarii, Lutherani, Anabaptistæ, et Calvinistæ.

SACRAMENTARII, quorum princeps videtur Carolostadius quidam Witembergæ Archidiaconus, a quo Lutherus lauream doctoralem acceperat: quia partes, et doctrinam Lutheri initio quidem propugnavit, sed impatienter ferens sibi anteponi Lutherum, ab eo prorsus defecit, et novæ sectæ parens dici voluit, nempe Sacramentariorum. Is autem Sacramenta nihil aliud esse vult, quam signa et notas Christianæ professionis, quibus a Judæis et Paganis discernimur, ut olim toga Romanos a Græcis palliatis discernibat; et jam varia vestium genera non solum distinguunt varias nationes, sed et varios Civium, ac Religiosorum Ordines, sicut tesseræ, et vexilla milites. — **Verum refelluntur**, quia iste secundarius est, non vero primarius Sacramentorum effectus; unde Scriptura non assignat eum Eucharistiæ, Baptismo, alterisve Sacramentis effectum, ut distinguant Christianos, sed quod justificent, mudent, salvent, et vitam æternam ac immortalem tribuant. *Secundo*, si Sacramenta solum essent notæ distinctionis Christianorum, ad ea sufficeret hominum institutio, nec opus esset Christi Passione; sed hæc opus fuit. Ideo dicuntur a Patribus e perfosso Christi latere sub sanguinis, et aquæ figura profluxisse. Unde S. Augustinus, Tract. 126. in Joannem, signanter observat Evangelistam

Christi lateris transfixionem non absque mysterio sic expressisse: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*: nam, inquit S. Augustinus, *vigilanti verbo usus est Evangelista, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud: sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Tertio tandem, si Sacramenta nihil aliud essent, quam signa, quibus ab infidelibus discernimur, sequeretur Symbolum fidei posse dici Sacramentum: siquidem per ejusmodi fidei professionem a Judæis et Paganis distinguimur.*

LUTHERANI CUM LUTHERO, lib. *De captivitate Babylonica*, cap. ultim. dicunt quod *Sacramentum est divina promissio exteriori signo annexa*: vel, ut ajunt in Confessione Augustana, art. 13. *Sacramenta dicuntur signa voluntatis Dei erga nos ad excitandam in suscipientibus fidem, ut credant promissionibus, quæ per sacramenta exhibentur.* — **Verum**, utraque definitio rejicitur: prima quidem, quia Sacramenta secundum SS. Patres sunt signa et symbola alicujus effectus per ejusmodi signa collati: et qui Sacramentum recipit, dicitur recipere signum, non vero promissionem Dei: et subinde Sacramenta non sunt ipsæ Dei promissiones, aut res a Deo promissæ, sed potius externa signa promissionem habent gratiæ annexam. *Deinde*, si in ea promissione annexa signo externo constituenda esset ratio Sacramenti, excluderentur a ratione Sacramenti tum Baptismus, tum Eucharistia; nam in his verbis, *Ego te baptizo*, etc. nulla habetur gratiæ promissio, sicut nec in his verbis, *Hoc est corpus meum*. *Secunda* pariter respuitur; nam si Sacramenta sint signa ad excitandam fidem prærequisita in suscipientibus, ut credant promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur, sequitur quod frustra baptizarentur infantes, et amentes, quia non possunt actum fidei producere: at tamen Lutherani adversus Anabaptistas infantium baptisma propugnant. *Melanctonis* etiam definitio respuitur, qui in examine eorum, quæ audiuntur ante ritum publicæ ordinationis tit. de sacramentis, ait: *Sacramentum in Novo Testamento, ut Ecclesia loquitur, est ritus divinitus institutus additus promissioni Evangelio traditæ, ut sit testimonium et pignus exhibitæ et applicatæ promissionis gratiæ*: vel ut brevius definit in Apologia Confessionis Augustanæ, *Sacramenta sunt ritus, quæ Dei mandatum habent, et quibus addita est promissio gratiæ*. **Refellitur**, inquam, hæc definitio: *Primo*, quia vult Melancton, Dei mandatum ad Sacramenta necessarium haberi in Scripturis: illud autem est falsum, quia Circumcisio, Baptismus, et Eucharistia, quæ hæretici vera Sacramenta admittunt, instituta fuerunt longe prius, quam scriptis mandarentur. *Deinde*, si Sacramentum necessario deberet esse testimonium et pignus exhibitæ et applicatæ promissionis gratiæ, sequeretur ejusmodi testimonia sæpe esse mendacia: nam ad Baptismum posset quis fiete accedere, et Christi Corpus indigne accipere, in quibus casibus non potest dici gratiæ promissio ipsi applicata. **Insuper** docent Lutherani, hæc testimonia dari ad confirmandam, vel excitandam fidem; constat autem, quod etsi parvuli sint capaces Sacramentorum, nondum tamen possunt uti aliquibus testimoniis, ut eorum fides excitetur, vel confirmetur.

ANABAPTISTÆ contendunt Sacramenta nihil aliud esse, quam *allegorias, signa, et figuras virtutum, et bonorum operum, Christianæ vitæ,*

et instituti spiritualis. Sic Baptismus, inquit, est tantum figura significans Christianos debere dura et adversa sustinere pro Christo, quasi mersio Baptismi significet tantum mortem, qua peccato et mundo mori debemus; emersio autem ex aqua Resurrectionem, quia S. Spiritus ope resurgere debemus ad novam omnino vitam: Eucharistia autem nos admoneat solum concordiae inter fideles servandae, juxta illud 1. Cor. 10. *Sumus unum corpus, qui de uno pane participamus.* — Refellitur autem hæc definitio; iste enim Sacramentorum usus non est præcipuus, nec primarius, qui potest ex hominum institutione procedere. *Deinde,* si Sacramenta essent tantum figuræ honorum operum et morum, consequens esset, quod forent dumtaxat signa futurorum, non vero præteritorum et præsentium: sed hoc falsum est, Baptismus enim est signum præteritæ Christi mortis, sepulturæ, et Resurrectionis, ut legimus ad Rom. 9.; est etiam signum præsentis peccatorum ablutionis, juxta illud Act. 22. *Baptizare, et ablue peccata tua.* Pari ratione Eucharistia est signum rememorativum Passionis Christi, juxta illud 1. Cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Est etiam signum demonstrativum inhabitationis spiritualis Christi in nobis, nam ipse Joan. ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

TANDEM CALVINUS, lib. 4. *Institut.*, cap. 14. sect. 1. definit Sacramentum duobus modis; primo quidem latius sic: *Sacramentum est symbolum externum, quo benevolentiae erga nos suæ promissiones conscientis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: et quo nos vicissim pietatem erga Deum nostram tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur.* Breviorem autem definitionem mox subjicit, cum ait: *Sacramentum est divinae in nos gratiæ testimonium externo signo confirmatum, cum multa nostræ erga ipsum pietatis testificatione.* — Verum refellitur utraque hæc definitio: Primo, quia inde sequeretur, quod Ecclesiæ minister neminem baptizare posset absque periculo profanationis Baptismi; quia nemo potest adhibere sigillum promissionum Dei, nisi certo ei constet, cui factæ sint illæ promissiones, quemadmodum nullus potest juramento aliquid affirmare, nisi de eo certus sit: sed Ecclesiæ ministri non possunt esse certi, cuinam factæ sint promissiones æternæ prædestinationis, quarum sigillum Calvinus ait esse Sacramentum, nullus enim absque speciali revelatione potest esse certus de sua, vel alterius prædestinatione. *Secundo,* Calvinus admittit legitimum Baptismus in Ecclesia Romana, in qua tamen negat ullos esse prædestinatos. *Insuper,* illa Calvinii assertio pluribus falsis propositionibus innititur: primo quod per gratiam promissam intelligatur gratia prædestinationis: tum quia falsum est gratiam illam prædestinationis in Scripturis cuiquam promitti, cum nullus sciat utrum amore vel odio dignus sit; tum quia sequeretur Sacramentum numquam recipi quantum ad gratiam, nisi in electis; cum tamen certissimum sit plures justos excidere a gratia in Sacramentis recepta, et damuari. *Deinde,* falsum est, quod talis gratia prædestinationis apprehendatur per fidem: sequeretur enim parvulos in Baptismo numquam justificari, cum habere non possent fidem, per quam talem promissionem gratiæ apprehendant. *Denique,* falsum est, quod Sacramentorum effectus locum habeant tantum in electis. Certum

est enim, quod etiam reprobi interdum per receptionem Sacramentorum justificentur.

Alias similes Hæreticorum definitiones superfluum iudicō hic referre, et refellere; quippe cum ex dictis sufficienter possint expugnari.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN. QUÆ. ET QUALIS SIT MATERIA SACRAMENTORUM.

NOTANDUM 1. Veteres quosdam hæreticos extitisse nomine Paulicianos, qui omnem a Sacramentis materiam eliminabant, affirmantes eorum virtutem dumtaxat consistere in verbis Christi Domini. Hinc dicebant eos baptizari, qui reciperent Evangelium, eo quod Dominus in Evangelio dixerit: *Ego sum aqua viva*: unde apud ipsos ut reterunt Petrus Siculus Bibl. S. P. et Euthymius part. 2. Panopliae. lit 21. qui sacerdotum ordinem obtinebant, non *Sacerdotes*, sed *Notarii* vocabantur. Ipsis e diametro opponuntur quidam ex recentioribus hæreticis, maxime Lutherani et Calvinistæ, qui rationem omnem, aut saltem præcipuam sacramentorum efficaciam in materia reponendam esse existimant. Verum utrumque vitiosum hoc extremum declinantes Catholici Doctores, affirmant Sacramenta novæ Legis revera constare rebus ut materia, et verbis ut forma, sed non omnes conveniunt invicem, quid per res et verba proprie sit intelligendum. Aliqui enim volunt ista in rigore sermonis, et juxta proprietatem vocum accipi, ita ut per rem intelligeretur aliquid materiale, quod tangi, et videri posset: per verbum autem intelligeretur id, quod exprimitur per organa vocalia, et auditu percipitur. Cujus sententiæ præcipuus assertor videtur Durandus in 4. dist. 1. qu. 3. ubi quamvis concedat omnia Sacramenta habere aliquam materiam, negat tamen illa omnia habere res sensibiles pro materia, maxime pœnitentiam, et matrimonium. Alii vero Theologi consent nomine *rerum*, intelligendum esse id quod magis confuse significat, sive illud res sit proprie dicta, sive non: nomine autem *verborum*, intelligendum esse id, quod magis distincte eandem gratiam significat. Cui sententiæ imprimis adstipulatur Subtilis Doctor in 4. dist. 3. qu. 2. num. 3. ubi cum dixisset: « Advertendum est, quod proprie
« loquendo de forma, prout est altera pars compositi, forma Sacra-
« menti est ipsa relatio signi, qua formaliter est tale sacramentum,
« et materia est totum fundamentum ipsius relationis » *statim subdit*:
« verumtamen si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo
« fit unum Sacramentum, quæ non æqualiter se habent, sed alterum
« sit quasi prævium et determinabile, alterum quasi posterius, et de-
« terminatio præcedentis, primum potest dici quasi materia, per quam-
« dam similitudinem ad materiam, et alterum forma: materiæ enim
« est præcedere secundum originem, et determinari: formæ autem
« sequi, et determinare. Similiter illud, quod principalius et actua-
« lius, potest dici forma respectu potentialioris: similiter quod est spi-
« ritualius, potest dici forma respectu ejus, quod est minus spirituale. »
Ita Doctor. Ex quibus sequitur, quod in Sacramentis ubi duo occurrunt eandem rem conjunctim significantia, illud, quod minus perfecte, minusque distincte significat, dicitur significare ut *res*: sive interim sit res sensibilis, aut visibilis proprie dicta, sive non: quod

autem perfectius, et distinctius significat, dicitur significare ut *verbum*, sive sit *verbum proprie dictum*, sive non.

NOTANDUM 2. Quod etsi Deus potuerit pro libito quaslibet res sensibiles, imo et spirituales pro Sacramenti materia designare, ita ut penes hominum libertatem relinqueret quodlibet voluissent signum adhibere ad conciliandam sibi repromissam gratiam per applicationem alicujus exterioris signi ad eum finem assumpti et applicati, nihilominus ex sapienti ordinatione decrevit res certas ac determinatas ad confectionem et administrationem Sacramenti usurpari. Unde hæc determinatio rerum sacramentalium concipi potest facta duobus modis, nimirum vel *confuse*, seu minus distincte, ita quod determinatum fuerit auctoritate divina, ut assumeretur aliquod signum in genere, nullum autem signum in particulari designaretur: vel magis *distincte*, si nempe determinaretur in particulari, quod talis, vel talis res assumeretur ad confectionem Sacramenti. Quod utique fieri potest duobus modis, nempe vel *secundum genus*, puta si aqua esset determinata pro materia baptismi, non tamen designata fuisset infima species aquæ, puta rosacea, et artificialis, aut naturalis; vel *secundum speciem infimam*, puta si pro materia Baptismi designata sit non quidem aqua in genere, sed aqua naturalis. *Rursus* materia determinata in specie considerari potest in duplici differentia: alia enim est *pure physica*, qualis est materia Sacramentorum, quæ habent rem aliquam physicam et naturalem, ut Baptismus aquam, Confirmatio chrisma ex oleo et balsamo, Eucharistia panem triticeum et vinum vitigineum, Extrema-Untio oleum. Alia vero sunt quæ in sua materia includunt essentialiter aliquid *morale* dependens ab hominum institutione; ita ut morale illud sit fundamentum et ratio propter quam ejusmodi materia sensibilis et physica assumatur ad Sacramentum conficiendum. Quæritur ergo utrum materia Sacramentorum novæ Legis ita distincte sit a Christo Domino determinata in particulari, ut nemini liceat illam inmutare. Quod ut percipiatur distinctius,

NOTANDUM 3. Mutationem in Sacramentorum materia distingui posse duplicem: unam quidem *substantialem* et essentialem, qualis fieret, si nempe loco unius rei physicæ a Christo Domino designatæ in materiam Sacramenti, aliquis aliam materiam genere vel specie distinctam assumeret, nempe si ex eo quod Christus Dominus instituit Baptismum per modum ablutionis fieri in aqua naturali, hac occasione aliquis assumere præsumeret quemlibet alium liquorem, qui deservire posset ad ablutionem, sicut docebant olim *Aquarii*, qui in Sacramento altaris non vinum, sed aquam dumtaxat adhibebant; quemadmodum etiam Beza, Epist. 2. ad Tillium contendit, quod deficiente pane vel vino, ad celebrandam cœnam assumi possit quidquid ux usu communi, et ratione temporis habet rationem panis et vini. Item si materia usurpari solita ita esset alterata ut ex communi usu ac modo loquendi non censeretur amplius eadem, nec vocaretur eodem nomine, puta si vinum ita aceseat, ut non amplius vinum, sed acetum censeatur, et appelletur. *Secunda* vero mutatio dicitur *accidentalis*, quando videlicet assumitur quidem substantia materiæ a Christo designatæ, sed non secundum eadem accidentia, quæ ex Christi forte intentione haberet illa materia; puta si quis aquam naturalem assumeret quidem ad

baptizandum, non tamen claram et limpida[m], sed turbida[m] ac cœ-
nosam.

His ita præmissis, tria veniunt hic determinanda: *primum*, utrum Sacramenta novæ Legis constare debeant materia et forma: *secundum* utrum Sacramentorum materia designata ac determinata fuerit a Christo Domino in specie: *tertium*, utrum liceat aliquando aliam substantialem assumere materiam, quam Christus designaverit.

Conclusio prima. — REVERA SACRAMENTA NOVÆ LEGIS CONSTARE AC PERFICI DEBENT MATERIA ET FORMA. Hæc est communis apud Catholicos, et

Probatur *primo*, ex decreto unionis in Concilio Florentino, ubi habetur, quod Sacramenta novæ Legis *tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et Persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia, quorum si desit aliquid, non perficitur Sacramentum.* Cujus quidem veritatis alia non subest ratio, quam voluntas Christi Domini, qui ut est omnium gratiarum fons et rivulus eas ubertim in omnes derivans, etiam voluit ut gratia illa novi Testamenti perfectissimis signis omnibus innotesceret; perfectiora autem signa non sunt, quam res quæ videntur, et verba quæ audiuntur: visus enim et auditus sensus sunt maxime ad intelligentiam et notitiam deservientes. *Adde quod ordine congruo Christus Dominus voluerit nos manuducere ad percipiendas res spirituales per receptionem rerum corporearum, aliquam similitudinem habentium cum ipsis rebus spiritualibus: nam, ut præclare docet sanctus Augustinus, Epist. 119. cap. 11. Ipse animæ metus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur: si vero feratur ad similitudines corporales, et inde feratur ad spiritualia, quæ illis similitudinibus figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, et tamquam in facula ignis agitatus accenditur, et ardentiore dilectione rapitur ad requiem et quietem.* — Quod autem res visibiles habeant rationem materiæ, *verba* autem potissimum rationem formæ obtineant, facile probatur: illud enim habet rationem materiæ, quod est determinabile; illud vero rationem formæ, quod determinat: at in Sacramentis res visibiles sunt determinabiles, et indifferentes ex se ad varias significationes: per verba autem determinantur ad eum effectum, quem significare debent: igitur, etc. *Major patet:* sicut enim lignum, lapides, etc. dicuntur materia ex qua Architectus, vel quivis alius artitex domos, statuas, aut alias res efficit: figura vero, seu partium ordinatio, qua constituitur artefactum, est artis forma; et sicut in Logicis genus dicitur respondere materiæ, differentia vero formæ, quia genus est indifferens ad plures differentias et species; differentia vero determinat ipsum ad speciem; ita in Sacramentis res, quæ assumuntur, indifferentes sunt ad varias significationes et effectus: nam aqua est indifferens et indeterminata ad humectandum, et refrigerandum, et abluendum, oleum ad leniendum dolorem, sanandum vulnus, fovendas et confirmandas vires; indistincte etiam, et confuse tantum significant, varios effectus gratiæ: determinantur autem per verba ad unum, aut alterum effectum gratiæ: nam elementum ante verbum est indifferens, ut sit Sacramentum: *Accedit autem verbum ad elementum, et fit Sa-*

cramentum. inquit S. Augustinus, Tract. 80. in Joan.; quare Sacramentorum determinatio præcipue fit a verbo. Nam ut idem S. Augustinus, explicans illud Joannis: *Jam vos mundi estis, sed non omnes*; ait: *Quænam est tanta virtus aque, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo?* Hinc exterior ablutio corporis seorsim a verbis inchoate tantum et remote significat abluitionem animæ; perficitur autem a verbis: *Ego te baptizo*, ut eam proxime et distincte significet; ipsa vero verba distinctius et expressius abluitionem animæ significant; non tamen perfecte, nisi jungantur abluitioni corporeæ; quia seorsim ab illa falsa sunt. Indivisibilis enim est perfecta et completa gratiæ significatio, respectu materiæ et formæ Sacramenti: quia materia seu res sensibiles nequeunt ullum gratiæ gradum proxime et complete significare sine verbo; nec verbum, seu forma sine rebus ipsis: divisibilis est tamen imperfecta significatio ratione subjecti; quia res seorsim a verbo gratiam indistincte significant, verbum seorsim a rebus magis distincte.

DICES 1: Una et eadem res non potest habere plures formas: sed significatio gratiæ propria cuilibet Sacramento est forma Sacramenti; est enim habitus, seu perfectio constituens rem in ratione signi; forma enim signi est significatio: igitur Sacramenta non constant verbis tamquam formis. — **Respondeo**, Sacramentum sumi duobus modis, nempe materialiter, vel formaliter. Materialiter est aliquod ens morale constans rebus et verbis: formaliter vero est signum gratiæ. Quo præsupposito, distinguo *minorem*: significatio est forma Sacramenti formaliter sumpti, et ut signum est, concedo: materialiter considerati, nego: ut sic enim Sacramentum constat materia sensibili, et verbis tamquam forma. *Adde quod*, ut docet S. Augustinus, lib. 2. *De Doctrina Christi*, cap. 3. *Verba inter homines obtinuerunt principatum significandi*: ac proinde quamquam res et verba simul significant, tamen potissima vis significandi tribuitur verbis.

DICES 2: Materia et forma in eodem composito sunt ejusdem generis: sed res sensibiles et verba Sacramenti non sunt ejusdem generis, ut constat: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: materia et forma sunt ejusdem generis in composito physico et naturali, concedo: in morali et artificioso, nego. Ad *minorem* dico Sacramenta esse composita non physica, sed moralia et artificiosa.

DICES 3: Eucharistia post prolata consecrationis verba remanet Sacramentum: ergo non constat verbis ut forma. — **Distinguo consequens**: si spectetur in facto esse, seu quoad esse permanens, concedo: si in fieri, nego. Differt enim ab aliis Sacramentis, quod ea sint in actione transeunte solum, et usu, ut Baptismus in abluitione, nec habeant esse permanens; Eucharistia vero habeat esse permanens a sui productione, seu consecratione, et a suscipientium usu distinctum.

DICES 4: Sacramentum Pœnitentiæ constat solis verbis, puta vocali confessione, et absolutionis forma: ergo non constat rebus ut materia. — **Nego antecedens**; ipsa quippe peccata signis exterioribus a pœnitente declarata, contritio de peccatis, nutu, verbo, vel alio exteriori signo Sacerdoti manifestata, vocalis etiam confessio, sunt res, seu materia saltem *circa quam* versatur absolutio, prout *res* opponitur *verbo*. Nam ista minus distincte significant gratiam peccati remissivam Sacramento Pœnitentiæ propriam; absolutionis verbum expressius ac

distinctius: hinc dicitur forma Pœnitentiæ, licet non sit omnino simul cum re sensibili, puta contritione pœnitentis, et confessione, ut cum absolutio differtur, quia Pœnitentiæ Sacramentum est compositum artificiale, seu morale physicum: unde satis est si forma sit simul cum materia moraliter; id autem occurrit. Nam etsi confessio physice desierit, quando profertur absolutio, moraliter manet, et adhuc est præsens, saltem in memoria Sacerdotis, quia quæ parum distant, moraliter non distare videntur.

DICES 5: Matrimonium contrahi potest solis nutibus et litteris, absque vocibus: ergo non constat verbis, ut forma. — **Distinguo consequens:** verbis formaliter et proprie sumptis, concedo: non constat verbis analogicis, et æquivalenter sumptis, nego: quia litteræ, nutus, et alia cogitationum et affectuum animi signa, quibus sponsi suum sibi mutuo consensum significant, sunt verba quædam: nam, ut ait S. Augustinus, 2. *De Doctrina Christiana*, cap. 3. *Signa, quibus homines sensa sua communicant, etsi pertineant ad oculorum sensum, aut ad alios sensus, verba dicuntur, et motus membrorum, quibus histiones cum oculis quasi fabulantur, et vexilla, draconesque militares, quæ per oculos voluntatem Ducum insinuant, et nutus quibus significamus aspicientium oculis, quæ volumus, sunt quasi verba quædam visibilia, quia verba, quæ pertinent ad aures, significandi principatum inter homines obtinuerunt.* Sacramentum Matrimonii tamen non perficitur solis verbis vocalibus, aut analogicis, quibus contrahentes suum expriment consensum; nam et eorum corpora, ac supposita sunt res sensibiles, et materia Sacramenti; imo signa consensus nutibus, litteris, aut vocibus expressa dicuntur materia, prout indicant traditionem corporum, et suppositorum, ut imperfecta et veluti suspensa, antequam acceptetur; ut autem significant acceptionem mutuam Conjugum, quæ traditionem illam perficit et complet, sunt matrimonii forma.

DICES 6: Materia et forma debent esse simul in eis, quæ componuntur ex eis: sed in Sacramentis novæ Legis res et verba non debent necessario esse simul, nam in Sacramento Baptismi potest interdum fieri ablutio priusquam proferantur verba. — **Distinguo majorem:** debent esse simul, vel simultate physica, vel morali, concedo: physica semper, nego. Similiter *distinguo minorem:* in Sacramentis novæ Legis res et verba non debent necessario esse simul simultate physica, concedo: morali, nego. Porro hæc moralis simultas sufficit ad validitatem Sacramenti, quemadmodum contingit in pluribus aliis rebus successivis et artificialibus; propositio enim componitur ex subjecto et prædicato, tamquam ex materia et forma, quæ tamen non sunt simul, ita ut eodem temporis momento proferantur, sed quia immediate post subjectum sequitur prædicatum in propositione.

Conclusio secunda. — CONVENIENS FUIT, UT SACRAMENTA NOVÆ LEGIS HABERENT RES DISTINCTE DETERMINATAS; NON FUIT TAMEN NECESSE, UT IN SINGULIS SACRAMENTIS RES DETERMINARENTUR A CHRISTO DOMINO IN SPECIE INFIMA. Hæc Conclusio duabus partibus constat: quarum

Probatur prima: Sacramentum est signum sensibile, ab hominibus

assumptum ut certo significetur et producat gratia: at nulla creatura potest certo significare gratiam productam nisi ex institutione et determinatione divina: igitur congruum fuit, ut res illæ, quæ in Sacramentis inserviunt, essent a Deo determinatæ. *Confirmatur*, quia in Sacramentis novæ Legis duo possunt considerari, nimirum cultus divinus, et nostra sanctificatio: quorum primum pertinet ad hominem per comparisonem ad Deum; secundum vero spectat ad Deum per ordinem ad homines. Licet autem homines potuissent determinare materias Sacramentorum, quatenus sunt res determinatæ ad cultum divinum, quia cultus Dei est in hominis potestate; non tamen id præstare potuerunt, quatenus Sacramenta ordinantur ad sanctificationem; sicut enim solus Deus sanctificare potest, ita ad Deum solum pertinet determinare res, quibus homo possit sanctificari.

Secunda pars etiam patet: Sacramenta enim sunt in duplici differentia; nam aliqua constant rebus physicis, alia vero rebus moralibus, pendentque ex actibus humanis, et libere ab hominibus elicitis, puta Matrimonium, quod ex mutuo contrahentium consensu constare ac confici debet. Porro quæ ex physicis rebus fiunt, habent res a Christo Domino determinatas, saltem in specie communi, et aliqua in specie infima; quæ vero conficiuntur ex actibus humanis, et spectant ad mores, verisimile est, quod Deus voluerit, ut eorum materiæ determinatio etiam ab hominum institutione penderet.

DICES: Materia quæcumque determinari potest sufficienter per verba: igitur non opus fuit, ut illa designaretur a Christo. *Patet antecedens:* quia solis verbis expresse declarari et significari potest effectus Sacramenti, perinde enim est ad significandum aliquem revera mundari a peccatis per Baptismum, quod adhibeatur a baptizante aqua, aut quivis alius liquor, dummodo liquorem infundendo verba ad Baptismum requisita proferat. — **Nego antecedens:** quamquam enim, ut supra diximus, potissima significandi vis insit verbis; nihilominus conveniens est, ut materia habeat aliquam analogiam et similitudinem cum effectu ad quem significandum et efficiendum Sacramentum assumitur. Nam, inquit S. Aug., Epist. 119. cap. 11. *Ad ipsum ignem amoris nutriendum et inflammandum quodammodo, quo tamquam pondere sursum, vel introrsum feramur ad requiem, hæc omnia pertinent, quæ insinuantur nobis figurate, plus enim movent et accendunt amorem, quam si nuda, et sine ullis Sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere; sed tamen ita se habet, et aliquid per allegoricam significationem insinuatam plus movet, plus delectat, plus honoratur, quam si verbis propriis diceretur apertissime.*

DICES: Agens sapientissimum non debet quidquam instituere absque ratione: at nulla occurrit legitima ratio, ob quam Deus in quibusdam Sacramentis res determinaverit in specie infima, potius quam in aliis: igitur, etc. — **Distinguo majorem:** non potest aliquid facere absque ratione, quæ sit sibi nota, concedo; quæ nobis semper innotescat, nego: nam ut dicit S. Augustinus, Epist. 3. quæ est ad Volusianum: *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse; in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Vel *negari potest minor:* nam, ut mox diximus, Sacramenta, quæ pendent

ex moralibus et liberis hominum actibus, voluit Deus, ut potius ab ipsis hominibus, quam a seipso eorum materia designaretur.

Conclusio tertia. — MUTATIO ESSENTIALIS RERUM DETERMINATARUM INVALIDUM REDDIT SACRAMENTUM, NON VERO MUTATIO ACCIDENTALIS: ILLUD TAMEN ALIQUANDO EFFICIT ILLICITUM. Hæc Conclusio tres habet partes; quarum prima

Probatur: Non potest validum esse Sacramentum, nisi res prout est a Deo determinata adhibeatur, quippe cum virtus omnis Sacramentorum, sive in significando, sive in operando pendeat ab institutione Dei: atqui si mutatio sit essentialis, non adhibebitur eadem res, quæ est ordinata a Deo: igitur quemadmodum mutata hominis materia desinit esse homo, ita si quis in baptizando v. g. adhiberet aquam non naturalem, sed rosaceam, irritus foret Baptismus. Quod utique fusius patebit, et confirmabitur efficacius agendo de immutabilitate cujusvis Sacramenti in particulari.

Secunda pars etiam est evidens, nempe quod mutatio accidentalis non reddat invalidum Sacramentum: tunc enim valet Sacramentum, quando perficitur rebus a Deo institutis: at licet mutatio fiat accidentalis, tamen remanent res a Deo institutæ, sicut per morbum mutato hominis calore, nihilominus censetur permanere idem homo: igitur, etc.

Tertia denique pars aperte colligitur ex praxi Ecclesiæ: unusquisque enim Ecclesiæ minister tenetur se gerere juxta praxim et usum communem receptum in Ecclesia: atqui mutatio accidentalis aliquando fit contra praxim et usum communem receptum in Ecclesia: v. g. quia sacerdotes Ecclesiæ Latinæ consecrare solent in azimis, illicite quis eorum consecraret in fermentato: unde capite *Litteras* de consecratione Missarum, Honorius summus Pontifex mandat Orixienti Episcopo, ut officio et beneficio in perpetuum privet Sacerdotem, qui in fermentato pane celebrare præsumpserat. Dixi *aliquando*: fieri enim potest ut mutatio accidentalis interdum non sit illicita, quando videlicet non sit in contemptum, nec ut introducatur usus oppositus communi Ecclesiæ praxi: unde non illicite quis baptizaret, si rigente hyemis frigore adhiberet aquam calidam, quod fieri non assolet.

DICES 1: Ecclesia de facto mutavit materiam Sacramenti Matrimonii in Concilio Trid. Sess. 24. cap. 10. *De Reformatione*. Nam ante Concilii decretum, consensus viri ac mulieris verbis aut nutibus sensibilibiter expressus, sive interim publice, sive occulte fieret, erat materia sufficiens et proxima Sacramenti; Concilium vero statuit quod *qui aliter quam præsentem parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsentem decreto irritos facit, et annullat*: igitur fieri potest mutatio essentialis materiæ Sacramenti absque eo quod illud censeatur invalidum. — **Respondeo distinguendo majorem**: mutavit materiam secundum illius substantiam, ita ut loco materiæ designatæ a Christo aliam omnino specie distinctam substituerit, nego: mutavit eam secundum aliquas illius circumstantias, concedo. Et similiter distincta minore, nego consequentiam. Certum

enim est, quod cum Matrimonium sit contractus aliquis, et civilis, qui fit mediante consensu utriusque conjugis; dum Christus consecravit contractum istum, illum sublimando ad Sacramenti dignitatem, non aliam determinavit hujus contractus materiam, quam mutuum illum conjugum consensum, non determinando quod exprimeretur hoc, aut illo modo; nec etiam auferendo a republica potestatem quam habebat super hujusmodi contractum, sed relinquendo in ejus dispositione, ut pro diversitate temporum, et circumstantiarum posset illi addere certas condiciones, sine quibus esset nullus, et consequenter non esset Sacramenti materia. Unde quando statuit præfatum decretum, non mutavit materiam Matrimonii, ut erat a Christo determinata, secundum substantiam; quia semper consensus legitimus est materia Matrimonii: sed mutavit dumtaxat materialiter et accidentaliter, efficiendo scilicet, ut consensus clam expressus non esset amplius ad contrahendum legitimus, quia ita postulabat ratio temporis, propter varia inconvenientia quæ ex clandestinis matrimoniis emergebant.

DICES 2: In nascentis Ecclesiæ primordiis sacramentum Ordinis, maxime Sacerdotii, conferebatur dumtaxat per manuum impositionem tamquam per legitimam materiam; quod etiam nunc in usu est apud Græcos non solum schismaticos, sed etiam Catholicos, et Romanæ communionis: sed Ecclesia Latina eundem Ordinem confert per traditionem panis in patena, et vini in calice, in quibus censet consistere materiam hujus sacramenti: igitur licite fieri potest mutatio materiæ essentialis Sacramenti. — **Respondeo**, hanc difficultatem in Disputatione de Sacramento Ordinis fusius esse discutiendam: interim breviter respondeo primo, vel quod Christus Dominus non determinaverit in individuo materiam et formam sacramenti Ordinis, sed solum voluisse, quod conferretur Ordo per aliquod signum sensibile declarativum ac significativum potestatis quæ traditur, et per verba hoc ipsum exprimentia, quodcumque tandem illud signum foret, ejus determinationem penes Ecclesiæ potestatem reliquit. Ita docet Ruardus Tapper, art. 17. contra Lutherum, et Petrus Soto, in Institutione Sacerdotum, de Sacramento Ordinis Sectione quarta. *Vel dico secundo* cum Estio in 4. dist. 24. quod cum in ordinatione non sit necessarius contactus physicus materiæ, sed sufficiat moralis, idest. illius exhibitio, vel ostensio dum traditur potestas consecrandi, inde fit quod eadem materia Latino et Græco Sacerdoti in susceptione Ordinis tradatur; cum hoc tamen discrimine, quod Græcus Sacerdos initiandus tangat dumtaxat illam materiam moraliter et mediate, dum videlicet tangit altare, Latinus vero illam tangat physice et immediate. Quod vero Presbyteri Græci dum initiantur tangant altare, probatur ex Euchologio Græco, ubi dicitur: « Qui vero ordinatus fuerit, « incumbens sacræ aræ, utrumque genu flectit, Diacono vero elata « voce dicente: attendamus: statim Pontifex imposita manu una cum « pallio, clara voce enunciat: divina gratia, quæ semper infirma « curat, et quæ desunt supplet, promovet N. venerabilem Diaconum « in Presbyterum » etc.; quibus verbis significat quod dum manus Sacerdoti initiando a Pontifice imponitur, Sacerdos ille altare tangit.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM, ET QUÆ VERBA REQUIRANTUR IN SACRAMENTIS.

TRIA maxime hic occurrunt statuenda: *Primum*, utrum verba determinata ita requirantur necessario in confectione Sacramentorum, ut salvo Sacramento alia subjici non possint ad sacramenti valorem. *Secundum*, quænam verborum mutatio sacramentum irritum efficeret. *Tertium*, denique, qualia sint ista verba, an concionatoria, aut promissoria, aut consecratoria.

NOTANDUM 1. Duplicem concipi posse determinationem in verbis; alia enim potest esse materialis et secundum sonum vocis, ut si in confectione Sacramentorum assumenda essent verba Hebraica aut Latina. nec possent adhiberi Gallica, quamquam eundem sensum haberent. Alia formalis. quæ fit secundum significationem verborum, quocumque tandem idiomate proferantur. Porro in verbis triplex significatio potest attendi: *prima* est, quæ repetitur ex proprietate verborum, quando scilicet illa adhibentur significandis rebus propter quas sunt instituta, sicut nomine *Superioris* significatur ille, qui cæteris præest: *secunda* est, quæ reperitur ex usu communi, quando nempe usurpantur ad aliud significandum, quam id, ad quod ex primaria institutione imposita fuerant, sicut nomine tyranni nunc significatur princeps iniquus, cum tamen primitus esset nomen honestum: *tertia* denique ea est, quæ repetitur ex accommodatione usus communis, cum verba, quæ non significabant aliquid ex prima sua institutione, postea ex recepti usus consuetudine usurpantur, ut si quis in baptizando Rege uteretur his verbis: *Ego baptizo vestram majestatem*, etc. Nam ex accommodatione usus, regia persona sufficienter intelligeretur, nomine Majestatis.

NOTANDUM 2. Mutationem verborum in Sacramentis distingui posse duplicem, sicut et rerum: alia enim est substantialis, quando videlicet usurpantur verba oppositum omnino significantia ejus, quod Christus Dominus in Sacramentorum institutione intendit, ut si quis aliquem baptizando usurparet alia nomina, quam ea quæ significant tres divinas personas: alia vero est accidentalis, quando nimirum verba aliter proferuntur, quam proferri debent secundum Ecclesiæ consuetudinem. Porro hæc utraque mutatio contingere potest variis modis; maxime vero octo sequentibus: *Primo* quidem, per mutationem idiomatis unius linguae in aliam, v. g. Græcæ in Latinam, aut Latinæ in Græcam. *Secundo*, per mutationem unius vocis loco alterius, puta si loco verbi *baptizo* dicatur *abluo*. *Tertio*, per transpositionem unius vocis, vel plurium: v. g. si dicitur: *In nomine Patris te ego baptizo*. *Quarto*, per interpolationem sive interruptionem vocum, sive quiescendo per aliquod tempus absque aliorum verborum formæ prolatione, sive interim aliquid aliud proferat, sive non, ut si quis post hæc verba *Ego te baptizo*, quiescat per aliquod tempus, deinde adjiciat alia verba, *In nomine Patris*, etc. *Quinto*, per mutationem verborum in scripturam, ut si quis baptizando non proferret verba Evangelica, sed aquam infundendo eas scriberet. *Sexto*, per additionem unius vocis, vel plurium, v. g. si quis baptizando, tribus divinis personis adderet nomen B. Vir-

ginis. *Septimo*, per detractionem alicujus vocis, vel plurium, ut si quis baptizando omitteret, *Ego te*. *Octavo* denique, per corruptionem vocis, vel plurium, ut si quis ob defectum linguae Latinae baptizando diceret *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia*.

NOTANDUM 3. Triplex verbum in sacramentis distingui posse, scilicet promissorium, concionale, et consecratorium. *Promissorium* dicitur, quod exprimit et declarat promissionem gratiae divinae: *concionale* vero, per quod tum qui Sacramentum suscipit, tum qui praesentes adsunt, edocentur et instruuntur de promissione gratiae divinae: *consecratorium* tandem, quo materia Sacramenti benedicitur et sancto ritu consecratur. Afirmat Calvinus, lib. 3. *Institutionum*, cap. 14. § 4. verbum sacramentale non esse consecratorium: *Verba*, inquit, *intelligere debemus, non quod sive sensu, et fide insusurratum solo strepitu rebus magica incantatione consecrandi elementi vim habeat: sed quod praedicatum intelligere nos facit, quid visibile signum sibi velit*. Unde ibid. subdit: *Concludimus verbum sacramentale esse promissionem, quae clara voce a ministro praedicata, plebem eo manuducit, quo signum tendit ac nos dirigit*. Quibus verbis significat verbum sacramentale esse quidem promissorium et concionale, non vero consecratorium. Ipsi subscribunt plurimi Lutherani, maxime Kemnitius in examine secundae partis decretorum Concilii Trid. quamquam, ut ibidem observat, Lutherani hac in parte tres in sententias scindantur, maxime circa connectionem Eucharistiae; *aliqui* enim concionem tantum, seu instructionem praemittunt, verba autem consecratoria non proferunt: *nonnulli* autem verba institutionis proferunt, at non ad consecrandum, sed per modum historiae, ut astantes doceant: *quidam* denique verba institutionis proferunt, et quidem animo consecrandi; quam sententiam ut suam commendat ipse Kemnitius: *Vetus*, inquit, *Ecclesia, licet aliis etiam exhortationibus et preceationibus in administratione Eucharistiae usa sit; simpliciter tamen, et recte sensit per sermonem Christi, hoc est, verbis institutionis divinae, fieri benedictionem seu consecrationem Eucharistiae*.

Conclusio prima. — SACRAMENTA NOVAE LEGIS PERFICIUNTUR VERBIS PROPRIE VEL IMPROPRIE SUMPTIS, EISQUE DETERMINATIS. Haec Conclusio duabus potissimum partibus constat, quarum

Probatur prima, idque primo ex Scriptura sacra quae expresse significat verba requiri in tribus sacramentis, nempe Baptismo, Eucharistia, et Extrema-Untione. In Baptismo quidem; nam Matthaei 28. Christus delegans Apostolos in orbem terrarum, ait: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Hinc Apost. ad Ephes. 5. *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro illa, ut eam sanctificaret, mundans eam lavaero aquae in verbo vitae*. Hoc est, in verbo sacramentali, ut interpretatur S. Aug. Idem constat de Eucharistia: nam Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. et 1. Cor. 11. legimus quod *Jesus accepit panem, et benedixit, ac fregit dicens: Hoc est corpus meum*. Panis est res, seu materia; quae autem dixit sunt verba, seu forma. Similiter de Extrema-Untione scribitur Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei alleriabit infirmum*.

Unctio est res, oratio autem sunt verba. Ac subinde Sacramenta novæ Legis constare debent rebus, et verbis. Idem patet ex decr. Eugenii in Conc. Florent. ubi decernitur omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri.

Patet etiam hæc veritas auctoritate **SS. Patrum**, qui unanimi calculo fatentur res et verba desiderari in confectione Sacramentorum. Sic S. Ambr. lib. *De Initiandis*, cap. 9. ubi agit de Eucharistia: *Quod si, inquit, tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret; quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? nam sacramentum istud quod accipis Christi sermone conficitur; quod si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit sermo Christi, ut mutet species elementorum?* Similiter in cap. 4. 1. ad Timot. ait: *Manuum impositiones verba sunt mystica, quibus accipit auctoritatem Sacerdos, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Ei præiverat Tertullianus, cap. 2. *De Baptismo: Homo, inquit, in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, etc.* Plurima sunt alia Patrum testimonia, quæ in hujus Operis decursu referrentur, quibus declaratur Sacramenta novæ Legis perfici rebus et verbis.

Probari etiam solet hæc assertio ratione Theologica; quia Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem, quatenus sunt signa: conveniens autem fuit, ut rebus sensibilibus ordinatis ad sacramentum constituendum adhiberentur verba; nam signa sacramentalia spectari possunt tripliciter: *primo* quidem ex parte causæ sanctificantis: *secundo* ex parte hominis, qui sanctificatur: *tertio* tandem, ex parte significationis ipsius sacramentalis. Sed ex hac triplici consideratione convenientissimum fuit, ut in Sacramentis verba rebus adjungerentur: *primo* quidem ex parte causæ sanctificantis, nempe Verbi Incarnati, quia Sacramentum aliqua ratione illi conformari debet: unde sicut Christus constat ex Verbo spirituali, et ex carne visibili, etiam erat conveniens ut Sacramenta fierent per res sensibiles, et verba quodammodo spiritualia, quatenus a ratione procedunt, et conceptus mentis ac rationis significant. — *Similiter* idem congruum fuit ex parte hominis, qui sanctificatur: Sacramenta enim sunt medicina, ac medicinalem gratiam efficientia, ac subinde conveniens fuit, ut proportionarentur ægroto: sed homo constat ex corpore, et anima: igitur ut Sacramentum esset homini proportionatum, congruum fuit, ut fieret ex rebus, quæ corpus tangat. et verbis, quæ anima credat et percipiat; unde S. August. in cap. 15. Joannis explicans illa verba: *Jam vos mundi estis propter sermonem, etc.* ait: « Unde est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor « abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? » — *Tertio* tandem ex parte significationis sacramentalis; nam ex S. Augustino, lib. 2. *De Doctrina Christiana*, cap. 3. verba inter homines obtinuerunt significandi principatum: ergo cum Sacramenta novæ Legis perfecte ac distincte gratiam sanctificantem significare debeant, hac ratione debuerunt constare verbis. Maxime cum materia ex se sit indifferens ad multa significanda; nam aqua baptismalis, v. g. potest significare et abluionem animæ ob suam humiditatem, et refrigerium animæ propter suam frigiditatem; unde ut determinaretur ad signi-

ficandam mundationem animæ a peccatis, debuit ad id determinari per hæc verba: *Ego te baptizo.*

DICES: Ex S. Augustino, lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 16. *Nihil sunt aliud corporalia quedam sacramenta, nisi verba quedam visibilia*: at superfluum est addere verba verbis: igitur Sacramenta non debent constare verbis. — **Distinguo majorem**: sunt verba improprie et analogice, concedo: proprie et univoce, nego: res enim Sacramentorum visibiles dicuntur quidem verba analogice, propter quandam similitudinem, quæ principaliter reperitur in verbis; unde verba non superflue rebus ipsis adjiciuntur, ut eorum significatio sit magis determinata.

INSTABIS: Ex eodem ibidem Sacramenta novæ Legis successerunt Sacramentis veteris Legis; his enim ablati, alia sunt instituta: sed in sacramentis veteris legis verba non erant necessaria: ergo nec in Sacramentis novæ Legis. — **Distinguo majorem**: successerunt quoad aliqua, concedo: quoad omnia, nego: nam ex S. August. ibid. *alia debent esse Sacramenta rei præsentis; alia vero rei futuræ*: rem enim præsentem elarius manifestamus, quam futuram. Sacramenta autem veteris Legis prænuntia erant Christi venturi: quare non ita distincte significabant Christum, sicut novæ, quæ ab ipso Christo fuerunt instituta: unde quamquam nulla fuissent in antiquis, non sequitur quod etiam in novis non debeant reperiri. Quia, ut ait S. Paulus ad Hebr. 1. *Loquebatur olim Deus Patribus in Prophetis; novissime autem locutus est nobis in Filio.* Locutio autem Prophetica obscurior est, quam revelatio, quæ fit per Filium, qui dicitur lux mundi, et lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Unde Sacramenta veteris Legis quasi sub umbra mussitabant, quod nostra Sacramenta distincte manifestant.

Ex his colligitur secunda pars, nempe quod Sacramenta debeant constare verbis determinatis: tum quia Christus Dominus determinata verba protulit in Eucharistiæ consecratione, dicens: *Hoc est corpus meum*: et mandavit Discipulis, ut sub determinata verborum forma baptizarent; unde S. Aug., lib. 6. *De Baptismo* contra Donatistas, cap. 29. ait: *Certa illa Evangelica verba, sine quibus Baptismus non potest consecrari, tantum valent, ut per illa sic evacuentur quæ contra fidei regulam in prece vitiosa dicuntur, ut dæmonium Christi nomine excludatur*: tum quia Ecclesia semper irritum habuit Baptismum, qui verbis a Christo designatis non esset administratus: sic respuit Baptismum Cataphrigarum in Concilio Laodiceno, Canone 8. Paulianistarum in Nicæno, Canone 19. et in Arelatensi primo, Can. 8. Ariani redeuntes ad Ecclesiam interrogari jubentur, qua forma sint baptizati, ut nempe cognoscatur an susceperint Baptisma in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

DICES 1: Sacramenta sunt eadem apud omnes nationes: sed eadem voces, eademque verba non sunt determinata apud omnes nationes ad idem significandum: igitur verba determinata non requiruntur in Sacramentis. — **Distinguo minorem**: non sunt determinata determinatione morali, quoad exteriorem sonum syllabarum et litterarum, unde provenit diversum idioma, diversaque loquela, concedo: non sunt determinata determinatione formali, hoc est, quantum ad signi-

ficationem et sensum, quem Christus ordinavit, et Ecclesia in praxi habet, nego. Hinc quocumque idiomate proferatur forma Sacramenti, revera perficitur Sacramentum; nam, ut supra diximus ex S. August. verbum operatur in Sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur. idest, non secundum exteriorem vocis sonum qui labiis profertur, sed secundum sensum qui fide tenetur.

DICES 2: Idecirco verba determinata viderentur desiderari in Sacramentis, quia proprie significare debent effectum Sacramenti: sed ita non est; verba enim determinata ideo videntur requiri in Baptismate, ut significant animam ablui a peccatis: sed verbum *baptizo* proprie non significat abluere; barbare enim et improprie loqueretur qui diceret, *baptiza sudarium*: igitur, etc. — **Nego minorem**, et ad illius probationem dico revera quidem verbum *baptizo* non significare in lingua Latina idem ac *abluo*, est enim verbum græcum, quod Ecclesia Latina usurpavit ad significandam abluionem sacramentalem; unde etiam hoc vocabulo diversis licet idiomatibus expresso utuntur pene omnes nationes, ut significetur unitas fidei, quæ maxime per unitatem Baptismi declaratur et conservatur, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptismum*. Potius autem ad id declarandum vocabulum græcum usurpavit Ecclesia, quam Latinum aut aliud; quia lingua græca latissime vigeat quando Evangelium promulgari cœpit.

DICES 3: Non sunt aliter conficienda et ministranda Sacramenta, quam Christus et instituit et ministrari mandavit: sed Christus instituendo sacramenta non mandavit, ut adjicerentur verba; non enim cum instituit Eucharistiam dixit: *Dicite quæ dixi*, sed: *hoc facite in meam commemorationem*: similiter cum baptizatum misit Apostolos, non præcepit ut baptizantes dicerent: *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc. ergo non requiruntur in Sacramentis verba determinata. — **Distinguo majorem**: ministrari mandavit implicite, vel explicite, concedo: explicite tantum, nego. *Ad minorem* dico quod quando Christus dixit: *Hoc facite*, etc. istud retulit ad totam actionem, quam implebat, etiam ut verba complectitur. Idem dicendum de Baptismate: nam implicite saltem significavit in conferendo Baptismate adjiciendam esse invocationem sanctissimæ Trinitatis, dum ait: *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. — Fateor tamen divinum istud Christi mandatum de adhibendis verborum formulis in Sacramentorum administratione non posse efficaciter elici ex ipsismet Christi Domini oraculis, nisi adhibeatur Ecclesiæ traditio et praxis; non enim ait Dominus: dum baptizaveritis, dicite, baptizo te. Hinc satis ad Baptismum videri posset alicui, si aquam infundendo tantum proferret: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; imo etiam ei videri posset non opus esse voces ullas proferre, sed tantum aquam adhiberi. Quemadmodum enim cum dicitur Marci ultim. *In nomine meo dæmonia ejicient*, Christus non jubet, ut Discipuli ejicientes dæmonia, dicant: ego te ejicio in nomine Christi; sed solum ut fide respiciant Christum, et ad ejus efficacitatem attendant; pari ratione quis existimare posset, ad Baptisma sufficere, quod infundendo aquam, quis fide apprehendat Christi efficacitatem et virtutem in remittendis peccatis. Unde merito dixi, verba sacramentalia dumtaxat implicite fuisse a Christo designata; explicite

vero esse repetenda ex traditione et praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi verba in conferendis Sacramentis perpetuo et invariabili ritu usurpavit.

DICES ULTIMO: Si verba essent determinata in conficiendis Sacramentis, sequeretur quod eorum variatio et mutatio irritum ac nullum Sacramentum efficeret: sed ita non est; alioquin vix Sacramenta valide conficerentur ab eis, qui impedimento linguæ, vel ignorantia latinitatis laborant, quales sunt balbi, et nonnulli sacerdotes minus eruditi: ergo verba determinata non requiruntur in Sacramentis. — **Distinguo majorem:** si illa mutatio et variatio locutionis sensum evertat, concedo: secus, nego. Quando autem variatio ista sensum omnino evertat, quando vero non, aperiet

Conclusio secunda. — SACRAMENTUM NON FIT IRRITUM ET INVALIDUM PER QUAMLIBET VERBORUM MUTATIONEM, SED DUMTAXAT PER EAM QUÆ SENSUM VARIAT ET ALIENUM EFFICIT. Patebit hujus Conclusionis veritas, expendendo singulos illos modos in secundo Notabili assignatos, quibus accidere potest mutatio verborum in Sacramentis.

Primo namque, idiomatis mutatio non infert mutationem substantialem sensus Sacramenti; quia tunc invalidum redditur Sacramentum, quando mutatur verborum sensus: atqui mutato idiomate non mutatur verborum sensus, sed tantum sonus; alioquin sequeretur omnes sacramentorum ministros uti debere idiomate Hebraico vel Syriaco; quippe Christus Dominus Sacramenta instituendo alterutro hoc idiomate usus est.

Secundo, mutatio unius vocis, vel plurium, quæ sensum omnino diversum efficiunt, invalidum Sacramentum efficit; secus vero si usurpentur verba synonyma; quia invalidum, aut validum censetur Sacramentum, in quantum illius forma mutatur, vel servatur integra: sed dum voces mutantur in alias diversam significationem efficientes, non remanet integra forma Sacramenti nempe verborum significatio; secus vero accidit, dum illa perseverat. Hinc S. Irenæus, lib. 1. cap. 18. refert quod Baptisma Gnosticorum idcirco reprobatum fuerit, quod baptizarent *In nomine Patris omnium, in nomine Matris omnium: et in nomine descendentis Jesu ad unctionem, redemptionem, aut communionem virtutum.* E contra vero Ecclesia approbat Baptisma Græcorum in Decr. Eugenii iis verbis baptizantium: *Baptizetur manibus meis N. in nomine Patris,* etc. Quapropter invalidum foret Baptisma, si quis aquam in baptizandum infundendo, hac forma uteretur: *Ego te refrigero in nomine Patris,* etc. Validum autem foret, si quis baptizando diceret: *ego te abluo, vel ego te lavo in nomine Patris,* etc.

Tertio, quando transpositio non variat sensum verborum, irritum non facit Sacramentum; dum autem variat, efficit invalidum. Patet hæc veritas ex mox dictis. Hinc validum foret Baptisma collatum hac forma: *Baptizo te in nomine Filii, et Patris, et Spiritus Sancti,* quia sufficiens fit designatio baptizandi, et invocatio SS. Trinitatis. Invalidum autem foret, si quis verba hoc inverso ordine proterret: *In nomine Patris te Filii baptizo, et Spiritus Sancti,* quia hæc verborum transpositio aut nullum sensum efficeret, aut omnino alienum a sacramentali.

Quarto, verborum interpolatio, sive intermissio, quando tanta est, ut communi sensu non iudicetur esse una oratio, tunc irritum facit Sacramentum; ut si quis Sacerdos privatim Missam celebrans, cum jam protulisset hæc verba consecrationis, *Hoc est*, recordaretur se eam breviori partem non recitasse, quam sacro celebrando præmittere debuerat, eis dumtaxat duobus consecrationis verbis prolatis, illam absolveret, et postmodum cætera consecrationis verba proferret, nempe *corpus meum*, etc. irritum certe foret Sacramentum, quia non esset ejusdem formæ sacramentalis significatio. Secus vero fieret, si interruptio illa neque intentionem proferentis, neque sensum verborum variaret, ut si postquam Sacerdos dixit, *Hoc est*, sternutet, tussiat, aut brevem mentis evagationem et distractionem patiatur, tunc subiciat, *corpus meum*, non desinit valere Sacramentum; quia iudicatur semper eadem esse oratio, et illius sensus unicus.

Quinto, mutatio verborum in alia signa, quæ idem repræsentarent, non efficeret invalidum Sacramentum Matrimonii, et Pœnitentiæ; secus vero circa cætera Sacramenta. *Prima pars constat*: enimvero in Sacramento matrimonii maxime requiritur, ut conjugum consensus exprimatur: sed hic declarari potest vel per nutus, vel per scripta, vel per verba: ac subinde mutatio verborum in alia signa consensum declarantia non officit Sacramento Matrimonii. Idem dicendum de sacramento pœnitentiæ; maxime in materia, circa quam versatur sacramentalis absolutio, nempe actus pœnitentis: pœnitens enim elinguis, et mutus potest vel per nutus, vel per scripturam peccata sua, et conceptum de eis dolorem Sacerdoti præsentem ita aperte declarare et exprimere, ut Sacerdos facile iudicet an sit absolute dignus, necne. Quod autem similis mutatio in aliis Sacramentis non sit admittenda, sufficienter constat ex praxi universæ Ecclesiæ, quam ad illorum Sacramentorum confectionem semper adhibuit.

Sexto, additio verborum in forma Sacramenti fieri potest dupliciter: primo quidem *intrinsece*, cum formæ Sacramentorum admiscetur verbum, quod videtur esse quasi prædicatum seu proprietas eorum verborum, quæ in forma Sacramenti adhiberi solent, ut si quis baptizando diceret: *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis, et Filii sapientiæ, et Spiritus Sancti divini amoris, et Paraleti*. Secundo *extrinsece*, quando videlicet additamentum istud est extra formam Sacramenti, et ei adjungitur dum est complete prolata. Utraque additio duplex esse potest, nempe vera, quæ aliquid verum enuntiat, ut in consecratione panis, dum prolatis verbis consecratoriis additur, *Quod pro vobis tradetur*: falsa vero, quæ falsum enuntiat, quæ iterum fit dupliciter; nam aliqua additio falsa est corruptiva formæ sacramenti, ac immutativa sensus illius; qualis erat hæc aliquorum Arianorum baptizantium additio: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris, de non extantibus formati*, etc.; altera vero est, quæ non corrumpit formam Sacramenti, nec evertit legitimum ejus sensum, ut si Græcus consecrando Eucharistiam dicat: *Hoc est corpus meum in fermentato pane consecratum*. Licet enim id falsum sit, quia Christus non in fermentato, sed in azimo consecravit, tamen illa non destruit sensum.

Dico autem, quod uli additio falsa est corruptiva formæ Sacramenti,

tunc Sacramentum irritum efficit, quia non est legitima forma, quæ aliud significat, quam id ad quod Christus eam instituit: atqui mutato et falsificato sensu, forma non significat amplius id, ad quod Christus Dominus illam instituit; proindeque additio formæ corruptiva facit invalidum Sacramentum. Hinc nulla erat Marcionistarum consecratio Eucharistiæ, cum dicebant: hoc est corpus meum phantasticum; quia corpus phantasticum non est corpus Christi, ad quod terminari debet consecratio.

Observandum autem, quod verborum additio falsa non possit interdum colligi, nisi ex intentione Ministri, maxime cum additio est externa: v. g. si quis uteretur hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virginis Dei genitricis*, talis Baptismus posset esse validus, aut invalidus ex diversa Ministri intentione. Esset quidem invalidus, si Minister intenderet baptizare in nomine, hoc est, in auctoritate B. Virginis, sicut baptizat in nomine et auctoritate Patris, Filii, et Spiritus Sancti, quod utique erroneum esset; non possumus enim baptizare in nomine alicujus puræ creaturæ; unde S. Paulus 1. ad Cor. 1. dicebat: *Namquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Hinc egregie observat S. Aug., lib. 5. *De Baptismo*, cap. 14. Invenimus dictum ab Apostolo: *Et gloriam meam, et ministerium meum, et prudentiam meam, et Evangelium meum: baptismus autem meus, nemo Apostolorum dixerit.* Posset nihilominus idem Baptismus esse validus, si nempe Minister per prædicta verba addita, intendat, quod intercessio B. Virginis prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem; nam supposita tali intentione, forma Baptismi habet totam suam significationem essentialem completam, antequam illa prædicta verba adjiciantur.

DICES: Error aut improbitas Ministri non nocet suscipienti Sacramentum, quando verba Evangelica proteruntur, quia sicut ait S. August., lib. 2. contra Epistolam Petiliani, *nascitur credens non ex ministri sterilitate, sed ex veritatis fecunditate.* — **Respondeo** equidem quod intentio prava pure interna Ministri non officiat Sacramentum; secus autem si exterius declaretur, quemadmodum fit in prædicta hypothesis, quia in illa adduntur verba quæ destruunt formam a Christo Domino institutam.

Septimo, detractio alicujus vocis essentialis in forma Sacramenti irritum facit Sacramentum; quia evertitur forma sacramentalis. Hinc si quis (ait Didymus, lib. 2. *De Spiritu Sancto*, qui est inter opera S. Hieronymi) *ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti prætermittat, sine perfectione baptizavit.* Secus autem accidit, si vocabulum detractum non evertat significationem formæ, ut si in forma Eucharistiæ, *Hoc est enim Corpus meum*, detrahatur particula *enim*, non minus fiet consecratio, quia dictio *enim* non tollit essentialiam Sacramenti, quia non est de substantia formæ, nec ejus sensum immutat.

Octavo tandem, corruptio verborum, quæ locutionis sensum non aufert, nec intendit inducere errorem, non derogat integritati Sacramenti: licet enim mutetur sonus sensibilis, tamen manet idem sensus, et eadem significatio. Ideo Zacharias summus Pontifex, ut legitur

cap. *Retulerunt* dist. 4. *De Consecratione*, sic scribit: « *Retulerunt* « nuntii tui, quod fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui linguam « latinam penitus ignoraret, et dum baptizaret nescius latini eloquii, « infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii,* « *et Spiritus sancta*: at per hoc tua reverenda fraternitas consideravit « eos rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si ille, qui baptizabat non « errorem introducens, aut hæresim; sed pro sola ignorantia Romanæ « locutionis intrigendo linguam, ut supra fassi sumus, baptizans di- « xisset, non possumus consentire, ut denuo rebaptizetur ». Judicavit enim Zacharias ignarum illum Sacerdotem nihil in forma Baptismi mutasse; quia corruptis vocibus idem significabat, quod alii solent integris. Nam etsi verba ea seorsim et per se prolata non significant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tamen cum actione Baptismi, et his vocibus, *in nomine* conjuncta, idem significant ex usus accommodatione, alioquin nihil significarent: unde cum credibile sit eum aliquid significare voluisse, puta quod intendit Ecclesia, merito Baptismus ille judicatus est validus.

Hæc autem omnia, quæ paulo longius declaravimus, paucioribus complectitur Doctor d. 3. quæst. 2. num. 7. ubi sermonem faciens de mutatione formæ Sacramentorum ait: « Ad hujus intellectum, advertendum est, quod secundum Philosophum 5. *Physic.* quadruplex est « mutatio: scilicet secundum substantiam, qualitatem, quantitatem, et « ubi. Sic secundum ista verba, potest fieri quadruplex variatio, scilicet *secundum substantiam*, alia verba ponendo pro istis, vel aliud « verbum pro isto; *secundum quantitatem*, apponendo, vel subtrahendo, « et sic apponendo, vel anteponendo, vel postponendo, vel interponendo; *secundum qualitatem*, scilicet auferendo aliquam requisitam « terminationem ad congruam locutionem; *secundum ubi*, transponendo. Et de quacumque istarum variationum, dico, quod si varians « intendit uti verbis, quibus utitur, tamquam forma Ecclesiæ, præcise « non baptizat, quia deficit sibi intentio utendi verbis aliquo modo variatis, tamquam forma præcisa Baptismi ».

Conclusio tertia. — VERBUM SACRAMENTALE NON EST VERBUM PROMISSORIUM, NEQUE CONCIONALE, SED CONSECRATORIUM. Hæc Conclusio tribus partibus constat, quarum

Prima probatur *primo*, ex Conc. Trid., Sess. 7. Can. 6. ubi dicitur anathema affirmantibus *sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ*, etc. Patet etiam ex his, quæ diximus in 1. q. pag. 24. nempe quod differentia constitutiva Sacramenti novæ Legis non sit obsignatio promissionis Dei: quia, ut dictum est, verbum essenziale Sacramento novæ Legis, et illius constitutivum, ac distinctivum ab aliis Sacramentis debet reperiri in singulis novæ Legis Sacramentis; sed aliqua sunt Sacramenta novæ Legis, quæ per se non exhibent promissionem gratiæ, ut constat non solum in Matrimonio et Ordine, sed etiam in Baptismo et Eucharistia, quæ duo ipsimet hæretici non inficiantur esse vera novæ Legis Sacramenta; nam in Baptismo verbum *baptizo*, quod est essenziale illius formæ, non est idem ac *significo*, vel *denoto*;

similiter in Eucharistia verba consecrationis specierum panis, nempe, *Hoc est corpus meum*, et consecrationis vini, scilicet, *Hic est calix sanguinis mei*, non important promissionem, sed denotant rem, quæ fit, seu ipsammet actualem consecrationem, ut significat Apostolus 1. ad Cor. 10. sic dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus*, etc.

DICES 1: Verba sacramentalia Eucharistiæ non sunt tantum ea quæ diximus, sed etiam ea quæ antecedunt et subsequuntur. Enim vero Christus Dominus, ait: *Accipite, et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; traditio autem promissa corporis Christi accedenter exhibet gratiam, sive peccatorum remissionem, quam Christus passione sua nobis promeruit. — **Respondeo primo**, verbum sacramentale, quo conficitur Eucharistia, non esse aliud præter prædictum, *Hoc est corpus meum*: cætera enim absolute non requiruntur ad constitutionem Sacramenti, ut probabitur in Disputatione de Eucharistia. *Secundo* dico, quod etsi illa verba tam antecedentia, quam consequentia spectarent ad essentiam formæ, nihilominus non exhiberent promissionem gratiæ in ipso usu Sacramenti nobis applicandæ, sed tantum illam designarent in sua causa præparatam, nempe in passione Christi.

DICES 2: Sacramenta appellantur *signacula* et *sigilla* a SS. Patribus: sed non ita dicuntur, nisi quia sunt dumtaxat obsignationes promissionum gratiæ Dei: ergo sunt promissoria. — **Nego minorem**, nam appellantur signacula aliis de causis; *primo*, quia per hujusmodi signa Christiani censentur peculiari ratione pertinere ad Deum, et esse sub ejus tutela; sicut a pastore ovibus, a domino servis, a duce militibus, notæ quædam inuruntur, quibus distingui valeant, quod maxime verum est de Sacramentis, quæ characterem imprimunt. *Secundo*, dici possunt signacula, quia claudunt et occultant res sacras: sic Baptismus dicitur a Tertulliano, lib. *De Pænitentia*, obsignatio et sigillum fidei. *Tertio*, dicuntur signacula, quia per eorum susceptionem, professionis fidei nostræ publicum testimonium reddimus: quocirca Baptismus sæpe a SS. Patribus signaculum justitiæ fidei appellatur.

Probatur secunda pars, nempe quod *verbum sacramentale non sit concionale*, quia ut volunt hæretici, verbum istud *concionale*, non est necessarium sive ad essentiam, sive ad fructum Sacramenti. *Primo*, quia in Scriptura nulla fit mentio ejusmodi concionis in institutione sive Eucharistiæ sive baptismi, quæ duo Sacramenta admittuntur ab adversariis. Verum est quidem, quod in ultima cœna Christus præclaram ad Discipulos habuit concionem, quam legere est Joan. 15. et 16. Verum eam dumtaxat habuit post institutionem et administrationem Eucharistiæ ante eam vero nullam concionem ad Discipulos habuit. Verum est quidem, quod laverit eorum pedes, eisque dixerit: *Nos mundi estis, sed non omnes*: at verba ista non erant concionalia, quia juxta Calvinum in tertio Notabili citatum cap. 14. sect. 4. verbum istud est concionale, quo significatio sacramentalis explicatur suscipienti, seu quod prædicatum facit suscipientem intelligere quid signum visibile denotet: nullum autem tale verbum tunc Christus præmisit. — *Idem* constat de institutione Baptismatis: quamquam enim Christus Dominus Matth. ult. dixerit Apostolis: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc.; attamen illis verbis non aliud significare voluit, quam quod adulti non debeant baptizari, priusquam in

fide instructi fuerint: quod utique certissimum est: nam, ut docet S. Basil., lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 12. *Fides, ac Baptisma duo sunt modi comparandæ salutis inter se cognati, ac inseparabiles: nam sicut fides perficitur per Baptismum, ita Baptismus fundamento fidei nititur.* Sed non inde sequitur, quod verbum concionale, quod ad illorum instructionem debet præmitti, idem sit cum verbo sacramentali, quo Baptismus perficitur. *Confirmatur*, quia si verbum concionale esset necessarium, maxime vel respectu ministrantis, vel adstantium, vel suscipientis: at ita non est quidem respectu ministrantis: nullus enim a seipso docendus est: non etiam respectu adstantium; nam valide confertur baptismus, etiam quando præter ministrum, et suscipientem nullus assistit: non denique respectu suscipientis: nam infantes, et frenetici, et amentes valide baptizantur, cum tamen sint incapaces instructionis, et verbi concionalis. *His adde quod illi hæretici non rejiciant baptismum in Ecclesia Romana collatum, nec denuo baptizent eos, qui ab Ecclesiæ gremio ad eorum perduellia castra convolant, etsi prædicatio non præcedat; igitur, etc.*

OBJICIUNT 1. Illud Matth. *Docete omnes Gentes, baptizantes.* Hinc Apostoli in Actis, prius semper docent, et instruunt, quam baptizent: unde S. Hieronymus exponens illud Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aque in verbo vite: per verbum vite intelligit doctrinam: igitur verbum concionale est necessarium ad Sacramentum.* — **Distinguo consequens:** requiritur ut dispositio necessaria adultis ad Baptismum cum fructu suscipiendum, *concedo:* nam adultorum justificatio fidem exigit, fides auditum verbi Dei: auditus ille prædicationem: nam quomodo erident sine prædicante? ait Apostolus. Ut pars essentialis Baptismi, *negò:* quia seu præcedat instructio, seu cum Baptismo jungatur, nihil Baptismi validitati vel efficacitati detrahit. Unde Christus non præcepit Apostolis, ut baptizando docerent omnes Gentes nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quod debuisset, si verbum instructionis adhibere præcepisset: sed jussit docere populos, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; nam hæ voces. *In nomine Patris,* etc. respiciunt actum baptizandi, non docendi, qualem significant invocationem Trinitatis super ablutionem aquæ, non vero explicationem mysterii ad adstantes: in aliis enim Scripturæ textibus, illa particula *in nomine,* non aliud, quam invocationem significat. Sic Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Actorum 3. *In nomine Jesu Christi, surge, et ambula.* — Ad S. autem Hieronymum dico eum explicasse præfatum locum in sensu mystico, et non litterali, ut ipsemet significat initio explicationis contextus, sic enim incipit: *Quia vero per tropologiam viros, animas, et uxores corpora dixeramus, etc.* Nec certe aliud sensit S. Hieronymus; nam explicans præfata verba, *Ite, docete, baptizantes,* ait: « Jussit Apostolis, ut primum docerent « universas Gentes, deinde Sacramento tingerent, et post fidem ac Ba- « ptismum, quæ essent observanda, præciperent. *Subdit:* non potest « enim fieri ut corpus Baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima « fidei susceperit veritatem ». Quibus significat prius adultos debere instrui de articulis fidei, quam ad Baptismum accedant. Distinguit igitur sacramentum Baptismi ab illa prævia instructione et doctrina.

OBJICIUNT 2. S. Ambrosium, lib. *De Initiandis*, cap. 3. ubi verbum,

quo perficitur Baptisma, vocat prædicationem Dominicæ crucis, ait enim: *Marath fons amarissimus erat; misit in eum Moyses lignum, et dulcis factus est: aqua enim sine prædicatione divinæ crucis ad nullos usus futuræ salutis prodest.... Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, ita et in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam.* Sed prædicatio crucis in mente S. Ambrosii est verbum concionale: igitur ex mente S. Ambrosii aqua non potest prodesse baptizando, nisi illuminetur doctrina et concione. — **Nego minorem:** nam prædicatio crucis duobus modis fieri potest: vel per verba, vel per opera; nec enim ille tantum prædicat crucem, qui refert et explicat Christi passionem et tormenta, sed etiam qui vivit juxta regulam Evangelii, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigit. Unde in Baptismi administratione dici potest, quod prædicetur crux Dominica per ipsummet Baptismi ritum: nam, inquit Apostolus ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Hoc autem posteriori modo, crucis prædicationem usurpat S. Ambrosius; quia ibi dicit, Sacerdotem mittere verbum istud (quod appellat prædicationem crucis) in ipsum fontem: at verbum instructionis non mittitur in rem insensibilem, cujusmodi est aqua, sed in creaturam rationalem: ergo per prædicationem crucis intelligit ritum, quo confertur et ministratur Baptismus, repræsentans mortem Christi, et per verbum sacramentale aquas consecrans; unde dicit verbum mitti ad fontem, eo modo, quo S. Augustinus dixit, verbum accedere ad elementum, et fieri Sacramentum. — Quæ utique explicatio confirmatur ex eodem S. Ambrosio, nam initio capitis alloquens eum, qui Baptisimi sacrarium ingressus est, ait: « Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas. Levitas illie « ministrantes, Sacerdotem interrogantem, et consecrantem at non alio « consecrat instrumento, quam verbo formæ Baptismi. 2. scribit: *Ma-* « *rath fons amarissimus erat, et Moyses in eum misit lignum, ac* « *dulcis factus est: sic aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad* « *nullos usus salutis est: cum vero fuerit crucis mysterio consecrata,* « *tunc ad usum spiritalis lavaeri, et salutaris poculi temperatur, et* « *fit dulcis ad gratiam; ea prædicatio est invocatio SS. Trinitatis;* « *nam hæc ut applicatur Baptismo, crucis efficacitatem commendat,* « *et veluti præsentem facit effectum ejus applicando.* — Quod autem revera censuerit S. Ambrosius Baptismum perfici verbis consecratoriis, præter mox dicta, etiam istud declarat, lib. 2. *De sacramentis*, cap. 5. ubi pro eo quod hic dicit, Sacerdotem mittere prædicationem crucis in fontem aquæ, ait: *Sacerdos precem dicit ad fontem: invocat Patris nomen, præsentiam Filii, et Spiritus Sancti; utitur verbis cælestibus: verba cælestia, quæ sunt? Quod baptizemus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

OBJICIUNT 3. Illud S. Augustini, Tract. 80. in Joan. ubi ait: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quo corda mundantur, et Baptismus consecratur.* Sed verbum, quod creditur, est concionale, seu prædicationis, et doctrinæ; non potest enim esse creditum, nisi prius auditum et prædicatum;

unde ibidem illud appellat *verbum fidei*: et postquam declaravit verbo sacramentali mundari infantes, ut hoc verbum concionale esse declararet, sic concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis: igitur. etc.* — **Nego minorem**: nec enim ea est S. Augustini mens; solum enim probare intendit ex præfatis verbis Christi, *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*, quod omnis mundatio hominis repetatur ex verbo Dei, quod dicitur verbum fidei; quia nempe est fidei objectum: non autem dumtaxat ex aqua; ibi enim inquit, quare Christus Dominus non dixerit: *Mundi estis propter Baptismum, quo loti estis*; sed ait: *Propter verbum, quod locutus sum vobis*; respondet: quia et in aqua verbum mundat: unde enim tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi sanctificante verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Quasi diceret: nemo mirari debet, quare Christus dixerit: *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. non vero propter Baptismum*; quia et ipse Baptismus consecratur per sermonem, quem locutus est; consecratur enim per verba dominica, quæ debent spectari, non ut verba communia, sed ut verba quæ Dominus locutus est, in quibus virtus est quædam manens, et operans, quæ virtus non cadit nisi sub fide; unde statim addit: *Nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus permanens.* Testimonia autem sequentia ex Scripturis deprompta adduntur, ut probet in genere vim mundandi oriri ex verbo fidei, quod, ut dixi, susceperat initio probandum. Unde merito concludit, quod etiam verbum, per quod infantes mundantur, sit verbum, de quo Dominus ait: *Jam vos mundi estis propter sermonem, etc.* Cum igitur S. Augustinus censeat per verbum, de quo sermonem instituit, justificari infantes, certum est non intelligere verbum concionale; quippe cum infantes non possint credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem.

Probatur denique tertia pars, nempe quod *verbum sacramentale sit consecratorium*: Probatur, inquam, quia verba quibus conficiuntur Sacramenta appellantur *sanctificatio, benedictio, consecratio, invocatio nominis Dei*: sic S. Paulus 1. ad Corinth. 10. verba quibus conficitur Eucharistia, appellat benedictionem: *Calic benedictionis, inquit, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* — Similibus appellationibus donantur a SS. Patribus; nam S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 3. ait: *Porro ubi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudavit, divinissima consecrat mysteria.* Et cap. ult. sacramentalia verba appellat *consecratorias invocations.* Similiter S. Justinus, *Apolo-* *log.* 2. *Super eo, inquit, qui renascendum esse per Baptismum sibi statuerit, parentis rerum omnium Dei nomen nominatur, et istum ad lavacrum ducentes invocamus.* Item S. Ambrosius, lib. 2. *De Sacramentis*, cap. 5. supra laudato, et 4. *De Sacramentis*, cap. 4. loquens de confectione Eucharistiæ, ait: *Panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Quomodo potest panis corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio, quibus verbis fit, et cujus sermonibus? Domini Jesu.* Pariter S. Augustinus, lib. 6. *Contra Donatistas*, cap. 25. *Deus, inquit, adest verbis Evangelicis suis, sine quibus Baptismus Christi consecrari non potest, et ipse sanctificat sacramentum suum.* Idem habent cæteri Patres, quos tædiosum esset hic recensere.

OBJICIT CALVINUS: Verba consecratoria superstitiosa videntur, et incantationi magicæ similia; quippe cum super elementum mutum et inanime a ministro demurmurentur, absque ullo sensu, et fide adstantium; quippe cum ignoto idiomate, nempe lingua Latina, coram imperitis proferri soleant: ergo, etc. — **Nego** antecedens: verba enim proferre super mutum et inanime elementum maxime quando fit ex ordinatione divina, nullatenus magiam sapit ac redolet; nam Num. 5. in sacrificio Zelotypiæ, Sacerdos plurima verba maledictionis congebat in aquam ad id destinatam, quæ potata mulieres adulteras interficeret, innocentibus vero non noceret. *Insuper* Magi non solum verbis, sed etiam rebus utuntur in suis præstigiis; at hæretici nihil magicum agnoscunt in materiis Sacramentorum: ergo nec agnoscere debent in verbis. *Denique* incantatio magica consistit in eo, quod certæ res, figuræ, et voces aliunde per se inefficaces vim habeant aliquid efficiendi ex pacto tacito vel expresso cum dæmone: at verba consecratoria Sacramentorum non habent efficiendi vim ex ullo cum dæmone pacto, sed ex institutione Christi. Quare in Sacramentorum administratione sunt aliqua verba, quæ debent ab omnibus intelligi, ut ea quæ proferuntur ad excitandam suscipientium et adstantium fidem et pietatem, et ea debent esse vernacula plerumque; nisi suscipientes et adstantes Latine intelligant: alia ad efficiendum, ut cum Josue locutus est ad Solem, qui non habebat auditum, et Christus ventis imperavit. Ea cujuscumque sint idiomatis idonea sunt; ejusmodi autem sunt verba consecratoria Sacramentorum.

QUÆSTIO QUARTA.

DE NECESSITATE. ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

CRIM Sacramentorum institutio ex mero Dei beneplacito, summaque ejus libertate ac liberalitate pendeat; cumque compertum sit divinam illius providentiam singulis rebus, juxta cujusque indigentiam et necessitatem opitulari, efficaciori ratione suaderi, et colligi non potest Sacramentorum existentia, quam ex comperta et probata eorum necessitate. Unde sapienti consilio, ac justo libratoque ordine Sacramentorum existentiam ab eorum summa hominibus quovis in statu degentibus necessitate scrutantur et investigant Theologi.

NOTANDUM AUTEM 1. Duplicem in morali christiana, quantum ad præsens pertinet, solito distingui necessitatem, quarum prima vocatur necessitas *medii*, secunda vero necessitas *præcepti*. *Necessitas medi* ea est, qua aliquid ita censetur necessarium ad finem aliquem comparandum, ut sine illius ope non possit obtineri: *necessitas vero præcepti* ea est, qua aliquid ex sua ratione intrinseca non ordinatur, nec conducit ad alicujus finis assecutionem, sed dumtaxat ad id requiritur ex ordinatione et præcepto superioris. Porro necessitas medi duplex distinguitur, scilicet *intrinseca*, et ex intima connexionione medi cum fine, quæ solito vocatur necessitas *simpliciter*, quæ nimirum fit, ut finis non possit obtineri, secluso tali medio: alia vero *extrinseca*, quæ oritur non quidem ex natura rei, sed ex institutione et ordinatione divina, et dicitur necessitas *ad melius esse*, seu potius est congruentia, quam vera necessitas. — Certum est autem Sacramenta non esse necessaria ne-

cessitate intrinseca. et simpliciter; constat enim quod Deus absolute loquendo, humanam salutem operari potuerit absque ejusmodi signis sensibilibus. *Insuper*, nulla est ratio intrinseca et essentialis, cur Sacramenta vim habeant producendi gratiam, et conferendi eos omnes effectus, quos Deus ad eorum signorum applicationem in subjectis debite paratis infallibiliter producit. Solum itaque hic inquirimus, an supposita Dei ordinatione Sacramenta fuerint necessaria in quovis hominum statu.

NOTANDUM 2. Triplicem generatim distingui posse statum humanæ naturæ: primus, est naturæ perfectissimæ, qualis est status beatitudinis; secundus, *naturæ innocentis*, qualis extitit ante Adami lapsum: tertius, est ejusdem naturæ vitiatæ per Adami peccatum. Qui rursus dividitur in tres alios status: nam alius est status hominis sub *lege naturæ*, hoc est ante legem scriptam, nimirum ab Adamo ad Moysem. Alius est sub *lege scripta*, puta ab eo tempore, quo populo Judaico lex præscripta fuit a Deo per Moysis ministerium, usque ad prædicationem Evangelii per Christum Dominum. Tertius, est sub *lege gratiæ*, qui a Christo Domino ad mundi finem perseveraturus est. Quos utique tres status S. Augustinus, Epist. 19. appellat *ante legem, sub lege, et sub gratia*. Certum est autem, quod Sacramenta nulla ratione sint necessaria in statu *naturæ perfectissimæ*: quia ubi est veritas aperta, omnis signorum umbra eliminatur: unde præclare S. Aug., lib. *De Catechismo*, cap. 4. *Comeditur agnus, inquit, post mortem hujus sæculi, ut cum mane illud venerit, quod vesperam non habebit, non jam auferatur sacrificium imaginis Agni, sed ipsum Agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, et ejus sanguinem bibimus, inveniamus illic eum Sacerdotem perfectum, quem constat hic pro nostra salute occisum*. Hinc Doctor in 4. disp. 1. quæst. 3. num. 7. ait: *Apparet quod in statu patriæ nullum congruit Sacramentum, quia tunc non indiget homo sensibilibus, ut cognoscat intelligibilia pertinentia ad salutem suam: neque tunc indiget excitari ad querendum pertinentia ad salutem, quia est perfecte consecutus salutem*. Unde difficultas remanet de quatuor cæteris humanæ naturæ statibus, nempe *innocentiæ, legis naturæ, scriptæ, et gratiæ*.

NOTANDUM 3. Sacramenta posse considerari instituta et ordinata ob triplicem finem, juxta triplicem eorum considerationem: enimvero spectari possunt, vel quatenus sunt cæremoniæ sacræ ac celebres ritus, quibus homines in eandem religionem adunati suum Deo ut supremo rerum omnium parenti et moderatori obsequium et cultum impendunt: nam, ut perbelle observat S. Augustinus, lib. 19. contra Faustum, cap. 16. *In nullum nomen Religionis verum, aut falsum homines coadunari possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibilium consortio colligantur*. Secundo, considerantur, quatenus sunt medicinæ, seu remedia ad resarciendam, vel conservandam, aut augendam hominis salutem. Tertio, quatenus sunt media conducentia ad augendam hominis perfectionem per augmentum gratiæ illuminantis et sanctificantis.

Conclusio prima. — SACRAMENTA NON EXTITERUNT IN STATU INNOCENTIÆ, NEC UT REMEDIA, NEC UT ANIMÆ PERFECTIONES, NEC UT SACRI RITUS: IMO NEC EXTITISSENT, SI ILLE DIU PERSEVERASSET. Hæc

Conclusio quatuor partibus constat, quarum *prima* communis est apud Theologos, eamque Doctor approbat loco supra laudato, ubi ait: *Pro statu innocentiae non fuit congruum institui Sacramentum, sicut post lapsum: quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium tamquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut scilicet possit dici proprie medicina.*

Probatur: quia ubi nullus est morbus, ibi nulla requiritur medicina: sed durante primæva innocentia nullus fuit morbus: igitur, etc. *Major constat ex illo Math. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: unde præclare S. August. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit medicinae causa. Minor etiam patet ex his, quæ diximus in 5. vol. De Felici innocentiae statu.*

DICES: Matrimonii sacramentum est in concupiscentiæ remedium: sed illud initum fuit inter Adamum et Evam durante statu innocentiae: igitur in eo statu fuerunt Sacramenta in remedium. *Major constat ex S. August. in lib. De Nuptiis, etc. Minor vero probatur ex illo Apostoli ad Eph. 5. ubi loquens de matrimonio Adami cum Eva, ait: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. — Respondeo distinguendo minorem: matrimonium illud fuit sacramentum secundum latiore significationem, et quatenus Sacramentum est dumtaxat signum rei sacræ, non vero sanctificantis subjectum, in quo est tale signum, concedo: quatenus Sacramentum accipitur in strictiori significatione pro signo rei sacræ sanctificantis, nego. Ad probationem dico, Apostolum eatenus matrimonium Adami et Evæ appellare Sacramentum, quatenus præfigurabat conjunctionem Christi cum Ecclesia sponsa. Quod autem tunc non fuerit proprie dictum Sacramentum, sufficienter determinat Concilium Trid. cum ait, Sess. 24. Can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere, ac proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum.... anathema sit.**

Probatur secunda pars, nempe quod in statu innocentiae non fuerint necessaria Sacramenta ad animæ perfectionem; quia in illo felici statu superiora dominabantur inferioribus, et anima corpori, ratio sensui, facultates intellectuales sensitivis et naturalibus; id enim originalis justitia præstabat, ut quemadmodum anima perfecte erat subdita Deo, sic inferiores animæ vires naturales et sensitivæ rationi subjicerentur; ac proinde non erat conveniens ut anima sanctitatem mutuaretur a rebus corporeis: igitur, etc.

DICES: Sacramenta necessaria sunt homini ad gratiam assequendam, perficiendam, et servandam, contra repugnantes tentationum motus: sed in statu innocentiae potuerunt ad hæc omnia prodesse: homo siquidem in eo statu debebat sibi novum in dies comparare gratiæ gradum, illam contra infestantes tentationes tueri: igitur, etc. — **Nego minorem:** nam potuisset alia via, quam per signa corporea gratiæ augmentum suscipere, nempe per exercitium virtutum, maxime divini amoris, ad quod quidem augmentum movebat originalis justitia, quæ mentem illustrando, etiam voluntatem in omne bonum inclinabat et vegetabat.

DICES 2: Sacramenta prosunt ad mentis illustrationem: at in statu innocentiae debuisset illustrari mens hominis: ergo ad id Sacramenta

erant necessaria. — **Distinguo minorem**: per alia signa, concedo: per Sacramenta, nego: quia perfectio mentis humanæ fuisset in eo statu ex divini numinis influxu, non ex phantasmatibus, sed ex speciebus: in eo tamen statu phantasmatibus utebatur anima, sed ut corpore sibi subdito: cognitionis enim perfectionem habuisset ex intuso lumine; phantasmatibus etiam utebatur, quia delectabilis est eorum experientia, quorum habemus scientiam. Quare experta fuisset naturæ vires, et actiones, ut eorum, quæ sciebat, supernaturalium, et naturalium per scientiam quæ est intusa, experimentalis cognitione perciperet; ore etiam confessa fuisset fidem ad salutem, et exterioribus signis Deo cultum exhibuisset, in gratiarum actione, et pietatis testificatione, et supremæ potestatis agnitione: at ea signa Sacramenta non fuissent.

DICES 3: Ex S. Dionysio, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 1. « Deus cælestibus et beatis mentibus exhibet divina mysteria sine « sensibilibus figuris, quia sunt immateriales: nobis autem ea tradere « debuit per symbola sensibilia, quia materiali natura constamus »: sed Adam et Eva in statu innocentiae constabant materiali natura: igitur eis necessaria erant signa et media corporea, quibus gratiam illuminantem possent assequi. — **Respondeo distinguendo majorem**: homines materiali natura constantes debent habere media corporea, quibus illustrentur, quamdiu pars superior non habet omnimode subditam sibi inferiorem, concedo: secus, nego. At in eo statu omnimode inferior pars superiori obtemperabat, et aliunde quam sensuum beneficio habebat id omne, quod ad suæ mentis illustrationem conducebat: nam, inquit S. Bernard., Serm. *De Annuntiatione*: *Ipsam misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, par forebat.*

Probatur tertia pars, nempe quod Sacramenta non fuerunt in eo statu tamquam ritus et ceremoniæ sacræ: tum quia hæc Sacramentorum acceptio tantum est impropria: tum quia sacrificia, oblationes, aliique cultus externi abunde sufficiebant, ut homo debitum cultum Deo impenderet.

DICES: In statu innocentiae fuissent sacrificia, ut concedimus, quia sunt præcipui actus publicæ Religionis: unde docent Theologi sacrificium spectare ad jus naturæ, quia procedit ex naturali ratione, quod homo rebus sensibilibus suam erga Deum subjectionem, et supremum in omnia Dei dominium agnoscat: sed sacrificia sunt Sacramenta, sunt enim signa gratiæ: igitur, etc. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem*: cum enim brevissimo tempore steterit innocentiae status, non videtur locum fuisse primis Parentibus sacrificium aliquod offerre; imo non abs re conjiciunt aliqui, idcirco Deum permisisse Adamum labi in peccatum, quoniam visus est ingratus erga tam munificum benefactorem, quem nullo sacrificio in gratitudinis monumentum coluit. **Respondeo secundo**, negando *minorem*: quia sacrificia sunt signa gratiæ per modum meriti, quando offeruntur in statu gratiæ sanctificantis: non vero per modum signi a Deo instituti ad gratiam efficaciter conferendam.

Probatur denique quarta pars, nempe quod etiamsi perseverasset ille felix innocentiae status, nullum proprie dictum institutum fuisset Sacramentum: tum quia Sacramenta in eo statu fuissent inutilia; etenim ad tria præcipue ordinantur, nempe vel ad gratiam recipien-

dam, vel ad illam conservandam, vel ad eam augendam: sed ad nullum ex his tribus indignissent homines Sacramentis in statu innocentie. Non quidem ad primum; quia quemadmodum Deus per propagationem naturalem producit animam, ita produxisset in anima gratiam sancti leantem, veluti sacram hereditatem a primo parente propagatam. Non etiam ad secundum, quia in illo felicissimo statu nullis internis vel externis tentationibus agitati fuissent, aut saltem subjacuisissent. Non denique tertium, quia gratie augmentum fieri debet modo statui convenienti: at non fuisset conveniens illi statui, ut homo per media corporea gratiam reciperet: ergo neque ut per eadem illam augetet.

Dices: In statu innocentie potuissent homines peccare: ergo conveniens erat, ut pro eluendo peccato et restituenda gratia Sacramenta instituerentur. *Antecedens patet*: non enim melioris sortis forent Adami posterii, quam ipsemet Adamus: at ille non obstantibus illis omnibus gratiis ac dotibus, quibus donatus fuerat, peccavit: ergo etiam illi peccare potuerunt. *Consequentia vero probatur*, quia prudens medicus non solum præsentibus morbis præbet remedia, sed etiam imminetibus et futuris parat antidota seu præservativa: sed Deus est prudentissimus animarum medicus. peccata sunt morbi, Sacramenta vero antidota et remedia: igitur, etc. — **Respondeo primo**, negari posse *antecedens*: nam, ut diximus in 5. volumine, tract. 3. disp. 2. ar. 3. qu. 1. con. 3. si Adamus innocens stetisset, ipsius posterii confirmati fuissent in gratia sanctificante; non quidem ab initio suæ natiuitatis, sed ubi vicissent primo eis ingruentem tentationem. *Respondeo secundo, negando consequentiam*: et ejus probationem distinguo: si morbi contingant frequenter, et ut plurimum, concedo: si raro, nego. Quamquam enim si perseverasset innocentie status, aliqui forte hominum lapsi fuissent in peccatum, tamen istud raro et in paucis accidisset. Non fuisset autem congruum instituere Sacramenta pro paucissimis illis hominibus, maxime cum per alia media potuissent deperditam gratiam recuperare, nempe per actus contritionis, et amoris Dei, quos longe facilius ac perfectius quam nos, propter minus repugnantem sensualitatem, et præstantiora et efficaciora auxilia potuissent elicere. — Non abnuerem tamen (ex hypothesi quod etsi Adamus non peccasset Christus venisset) tunc instituenda fore illa Sacramenta, quibus instituendis peccatum non fuit occasio, maxime vero Eucharistiam: tum ut Incarnationis beneficium cæteris hominibus communicaret; Eucharistia enim est quædam Incarnationis extensio: tum ad augendam gratiam; siquidem ad illius augmentum primo et per se ordinatur: tum ut præstantissimum esset pignus futuræ gloriæ: tum denique, ut hominibus præberet perfectum sacrificium laudis et gratiarum actionis. Enimvero status viæ cæteris perfectior quoad gratiam, congrue exigit institutionem eorum mediorum, quibus gratia perfectiori modo augeatur: at status innocentie esset perfectissimus, ac subinde conveniens fuisset, ut in illo statu homines habuissent perfectissima media, quibus augmentum gratie possent comparare: nullum autem medium præstantius est, quam ipsemet Dei et hominum Mediator, qui in Eucharistia recipitur. *Deinde*, probabile fit, quod Deus non minus dilexisset homines innocentes quam per peccatum

vitiatos: ac subinde quod eos minori beneficio non cumlasset: at nullum est præstantius hominibus a Deo concessum post Incarnationem, quam Eucharistiæ sacramentum, *in quo*, inquit Concil. Trid., Sess. 13. cap. 2. *divitias divini sui erga homines amoris effudit*: igitur verisimile est homines in statu innocentiae fore hoc præstantissimo beneficio donandos. *Denique*, perfectius est habere augmentum gratiæ ex opere operato et operantis simul, quam dumtaxat ex opere operantis, ut constat in adultis, qui abundantioram gratiam suscipiunt, dum baptizantur cum debita præparatione, quam parvuli, qui absque ejusmodi prævia dispositione suscipientes Baptisma, minori gratiarum irriguo donantur. In statu autem innocentiae gratia fuisset hominibus collata modo omnium præstantissimo, ac subinde probabile fit, quod in eo statu aliqua fuissent Sacramenta, quibus homines gratiam consequi possent ex opere operato, sicut et ex opere operantis.

Conclusio secunda. — IN LEGE NATURÆ ERAT ALIQUOD DETERMINATUM REMEDIUM AC SACRAMENTUM, MAXIME PRO ELUENDO ORIGINALI PECCATO. Hæc Conclusio tribus partibus constat: prima, quod fuerit aliquod remedium: secunda, quod fuerit determinatum: tertia, quod fuerit verum Sacramentum.

Prima pars communis est apud Theologos, eamque expresse docet Subtilis Doctor in 4. dist. 1. qu. 7. ubi ait: « Nullo tempore dimisit
« Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem: sed omni
« tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio originalis:
« ergo quocumque tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc.
« Etsi potuit deleri in adultis per motum bonum intrinsecum; tamen
« in parvulis, in quibus talis motus est impossibilis, non potuit deleri
« per actum suum proprium: ergo per aliquem actum aliorum circa
« ipsos, vel ad ipsos relatum ». Quam utique veritatem nemo sanæ
mentis potest inficiari; *Absit enim* (inquit Innocentius III relatus in capite *maiores* de Baptismo) *ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* — Idem docet Auctor quisquis est *de operibus Christi Cardinalibus*, apud S. Cyprianum: *Sane, inquit, originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari, licet vim plenam significandi non habuerint donec ad rem ipsam ventum est, que figurarum operiebatur velamine.* Nec refert, quod illius remedii Scriptura non meminerit; inde enim non est consequens, quod illud remedium non fuerit ordinatum; alioqui pari ratione dicendum esset, sexum muliebrem apud Israëlitas omni caruisse remedio, et medio quo mundarentur ab originali peccato, et in populum Dei consignarentur; quippe cum Circumcisionis essent incapaces: quod tamen absurdissimum est; erant enim de fœdere Abraham, sicut et masculi, et offerri debebant in templo adhuc puerulæ ante usum rationis: non potuissent autem Sacramentorum et cæremoniarum legis esse participes, nec credibile videtur Deum fuisse imperatorum earum oblationem in templo, si revera fuissent natura filiæ iræ, sicut et cæteræ: igitur, etc.

DICES: Quamvis innumerabilis parvulorum multitudo in utero ma-

trum extinguatur, eis tamen nullum originalis peccati remedium a Deo provisum est, et omnes quotquot parvuli ita sunt extincti, sive in Lege naturæ, sive Moysis, sive Christi, damnati sunt: ergo non congrue colligitur remedium fuisse divinitus institutum ex innumera multitudine parvulorum alioqui periturorum. — **Nego consequentiam:** non enim eadem est paritas: tum quia parvuli in utero morientes paucissimi sunt respectu aliorum; non est autem conveniens, ut Deus pro paucissimis hominibus Sacramentum instituatur: tum quia qui moriuntur in utero, sunt incapaces remedii suscipiendi, quia per homines humano modo non potest eis applicari, cum non cadant sub hominum notitiam et administrationem, sicut ii qui nascuntur; unde licet Deus potuerit his negare remedium originalis peccati sine iniustitia, tamen bonitatis-ejus et providentiæ fuit id in omni Lege concedere.

Probatur secunda et tertia pars, nempe quod remedium istud fuerit aliquod signum sensibile determinatum, et gratiæ sanctificantis productivum ex opere operato. *Probatur,* inquam, primo auctoritate S. Augustini, lib. 5. *Contra Julian.*, cap. 9. ubi ait: *Nec ideo tamen credendum est, et ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eas opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.*

Quam utique sententiam probat et sequitur Doctor loco supra laudato, ubi subdit: « Non poterat esse certus, quod actus alterius re-
« latus ad parvulum sufficeret ipsi, nisi hoc esset institutum a Deo:
« nullus enim potest esse certus, quod per aliquid attingat ad salutem,
« nisi sit certus, quod Deus acceptavit illud tamquam sufficiens ad
« talem finem. Cum ergo non solum adultis cultoribus suis providerit
« Deus de remediis necessariis ad salutem, sed etiam parvulis eorum
« (et hoc de remedio, de quo parentes possunt esse certi pro parvulis),
« sequitur, quod tempore illius Legis naturæ erat a Deo institutum
« aliquod remedium, vel signum certum, et efficax deletionis origi-
« nalis peccati. Et magis probabile est, quod per aliquid signum sen-
« sibile quam per aliquid signum intelligibile tantum; quia pro toto
« statu naturæ lapsæ congruunt homini signa sensibilia respectu spi-
« ritualium; ergo rationabile est aliquod Sacramentum, saltem contra
« originale fuisse in tempore Legis naturæ. » Quibus Doctor tria docet:
primum, quod remedium istud fuerit aliquod signum determinatum:
secundum, quod fuerit sensibile: tertium, quod fuerit efficax: quæ
tria totidem sunt Sacramenti perfecti characteres. Quod autem fuerit
determinatum signum a Deo, constat, quia signa practica gratiæ nemo
determinare potest præter Deum, qui cum solus sit gratiæ auctor,
etiam solus potest illius productionem certo determinare ad alicujus
signi præsentiam. — *Deinde,* si signum illud peccati originalis remis-
sivum relictum esset liberæ hominum determinationi, melior foret con-
ditio parvulorum quoad salutem in Lege naturæ quam in Lege gratiæ,
utpote cum haberent medium generalius et facilius, quam sit Bapti-
smus. Quod autem istud remedium debuerit esse sensibile, probatur:
si remedium istud non fuisset aliquod signum sensibile, maxime fuisset
(ut volunt aliqui) actus interior fidei: sed ita non est; primo quia cha-

ritas longe præstantior est et efficacior fide: sed nullus justificari potest per actum charitatis alienæ: ergo multo minus per actum alienæ fidei. Nec dicas ideirco fidem magis justificare, quam charitatem, quia fides magis respicit Mediatorem, ut est alteri causa salutis, quam charitas. Hæc enim responsio prorsus esset evanida. Enimvero qua ratione actus fidei terminatur circa Mediatorem, eadem ratione actus charitatis justificaret, quia ad ipsum Mediatorem terminaretur: ergo cum nullus dixerit actum charitatis alienæ fuisse sufficientem ad justificationem parvulorum, nec idem de actu fidei sentire debet. *Adde quod* non magis fidei actus conferat ad sanctificationem alienam, quam ad propriam: sed actus fidei in Lege naturæ non erat sufficiens ad justificationem propriam, quia poterat quis habere fidem informem, id est, non perfectam charitate, quæ forma virtutum est. *Deinde*, si solus fidei actus internus fuisset sufficiens in parvulis ad eluendum originale peccatum in Lege naturæ, potuissent per eum actum justificari parvuli, non solum nati, sed etiam concepti, et intra maternum uterum existentes: nec solum præsentés, sed etiam absentes; imo in casu necessitatis potuisset actus ille sufficere ad justificationem omnium parvulorum totius mundi, etiam in utero existentium, quia mentis actus pure internus et intentionalis æque potest dirigi ad pueros in utero, ac extra uterum absentes, ac præsentés, erga plures, ac erga unicum; sicque remedium istud longe majoris esset efficacitatis, quam Baptismus, quod cum redundet in injuriam Legis gratiæ, concedere non possunt adversarii, nec consequenter admittere debent id unde consequentia illa eruitur. *Denique*, id per quod infantuli fiebant Ecclesiæ membra debet esse externum ac sensibile, conjunctio enim ad corpus sensibile, qualis est Ecclesia, debet esse sensibilis: sed remedium istud, quo eluebatur originale peccatum, constituebat infantes Ecclesiæ membra, sicut Circumcisio in lege Mosayca, et Baptismus in Evangelica: igitur, etc.

DICES: Plurimi Ecclesiæ Doctores testantur, solam fidem internam fuisse sufficiens remedium in Lege naturæ ad originalis peccati remissionem in infantibus: igitur ita est. *Probat*ur antecedens ex Tertull., lib. *De Baptismo*, cap. 13. *Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem, et resurrectionem: at ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionem ejus, addita est ampliatio sacramenti, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potest jam sine sua lege, lex tingendi imperfecta est, et forma præscripta.* Sed et ex S. Greg. 4. *Moral.*, cap. 3. *Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud reteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abraham stirpe prodierunt, mysterium Circumcisionis.* Ex S. Bern. *Epist. 77. in Nationibus.* *Quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide, et sacrificiis, credimus expiatis: parvulis autem etiam solam fidem profuisse, imo suffecisse credimus.* Eis adstipulatur Beda in *Lucam*, cap. 8. dicens: *Qui vel ante Circumcisionis tempora, vel post datam Circumcisionem, de exteris Gentibus, extiterunt fideles, ut Job, et amici, liberique illius, sive victimis hostiarum se, suosque ab originali peccato, seu certe sola fide salvabant.* — **Respondeo**, eas omnes Patrum auctoritates eo modo solvendas et expli:andas, quomodo Subtilis Doctor, loco supra

laudato, n. 3. solvit auctoritatem S. Gregorii, dicens: « Quod S. Gregorius non intelligit solam fidem pro solo habitu, nec forte tantum pro actu interiori; sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem: ille autem actus sufficienter potuit habere rationem Sacramenti. » Qua ratione fidem justificativam etiam usurpat S. Aug., lib. 2. *De Nuptiis et concupiscentia*, cap. 11. scribens: « Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei ad significandam purgationem, valebat paxvulis originalis, veterisque peccati, ut Baptismus ex illo valere cepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est, non quod ante Circumcisionem justitiæ fidei nulla erat; nam cum adhuc esset in præputio, ex fide justificatus est ipse Abraham Pater gentium, quæ fidem ipsius erant sectaturi: sed superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum justificationis ex fide, eadem tamen fides Mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis. » Quibus verbis S. Aug. fidem illam justificativam appellat Sacramentum fidei, ac proinde censet illam non fuisse dumtaxat actum internum, sed etiam aliquo signo exteriori et sensibili declaratum. Quodnam autem fuerit illud sensibile signum, an videlicet sacrificium aliquod oblatum pro eluendo originali peccato, an ipsa pueri emaculandi oblatio coram Deo. nihil certi definiri potest. cum istud Scriptura sacra tacuerit.

Conclusio tertia. — IN LEGE SCRIPTA SEU MOSAYCA PRÆTER CIRCUMCISIONEM, PLURA ALIA ERANT SACRAMENTA. Hæc est pariter communis, et

Colligitur ex Conc. Florentino in decreto Eugenii, ubi post enumerata septem Legis Sacramenta, subdit: *Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed solum eam per Passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et eam digne suscipientibus conferunt.* Item ex Conc. Trid., Sess. 7. Can. 2. *Si quis dixerit ea ipsa nomina Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi, anathema sit.*

Probatur etiam auctoritate SS. Patrum, maxime S. August., lib. *De vera Religione*, cap. 16. lib. 19. *Contra Faustum*, c. 17. ubi ait: « Sacramenta veteris Legis ablata sunt, quia impleta, et alia sunt instituta virtute majora, ultimate meliora, actu faciliora, numero pauciora ».

Ratio etiam suffragatur, quia ex dictis, Sacramentum est signum sensibile et permanens ex Dei ordinatione institutum ad significandam aliquam gratiam et sanctitatem: sed præter Circumcisionem plures erant in veteri Lege ritus et cæremoniæ, quibus talis definitio competit: igitur, etc. Major constat. Probatur minor: triplicis enim generis erant ejusmodi signa: alia namque erant consecratoria: alia eucharistica, alia purificatoria. Primi generis erant omnes Pontificum ac Sacerdotum inaugurations, et sacri ritus, quibus destinabantur et initiabantur aliqui homines, ut debitum Deo cultum impenderent, quales erant Sacerdotes, et Levitæ quorum consecrandorum ritus memorantur Exodi 28. et 29. Secundi generis erat Agnus Paschalis, qui comedebatur in memoriam beneficiorum Dei, maxime vero liberationis

a captivitate Egyptiaca. *Tertii vero generis* erant omnes purificationes et expiationes, quæ maxime duplicis erant generis: aliæ enim erant expiationes ab immunditiis exterioribus et legalibus, quæ fiebant per asperisionem aquæ: vel per aliquod sacrificium ordinatum ad tollendum peccatum, quo immunditiæ illæ contractæ fuerunt. Expiationes vero a peccatis fiebant per sacrificia, quæ offerebantur, vel pro universo populo, vel pro peculiaribus personis. — Porro omnia ista tum Legis naturæ tum scriptæ Sacramenta figuræ fuerunt ac imagines veritatis et gratiæ, quæ per Sacramenta nova Legis debebat ubertim redundare; cum hoc tamen discrimine, ut notat Hugo Victorinus, part. 11. c. 6. *Quod, inquit, prima sacramenta legis naturalis, quasi veritatis umbra, quæ vero tempore legis Moysis, quasi quedam imago veritatis: quæ autem sub gratia novissime consequuntur, jam non umbra, vel imago, sed ipsum corpus veritatis.* — Advertendum insuper, quod ex omnibus Sacramentis Legis scriptæ, aliqua nostris correspondebant: Circumcisio enim erat figura Baptismatis; comestio Agni Paschalis, et Panum propositionis, Eucharistiæ: Purificationes, Pœnitentiæ, et consecrationes Sacerdotum, sacramenti Ordinis. Nullæ autem erant figuræ Confirmationis, Extremæ-Uctionis, et Matrimonii. Non quidem *Confirmationis*, quia hæc est sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ tunc non fuerat ad homines derivata, nihil enim ad perfectum adducit lex. Neque *Extremæ-Uctionis*, quia est immediata preparatio ad consequendam gloriam æternam, cujus possessio et aditus nondum patebat in veteri Lege, quia nondum solutum erat nostræ redemptionis pretium. Non denique *Matrimonii*, licet enim eo tempore verum fuerit matrimonium, non tamen erat verum Sacramentum ex ea parte, qua confert gratiam, quia nondum tacta fuerat Verbi divini cum humanitate conjunctio: nec proinde erat signum indissolubilis conjunctionis Christi cum Ecclesia: unde S. Paulus loquens de Matrimonio significante unionem Christi cum Ecclesia, non dicit: sacramentum *magnum erat, sed magnum est*, ut nempe denotet tempus præsens, non vero præteritum.

Q. UÆRES: *Utrum Circumcisio habuerit vim et efficaciam remittendi peccatum originale, et conferendi gratiam sanctificantem ex opere operato?*

Affirmat Doctor in 4. dist. 1. q. 6. n. 2. ubi ait: *Hic supponendum est tamquam certum, quod per Circumcisionem peccatum originale delabatur, quod patet per auctoritates SS., etc.* Porro hæc Sanctorum auctoritates hanc veritatem comprobantes potissime petuntur ex S. Aug. qui plurimis in locis aperte docet, Circumcisionem habuisse vim remittendi peccatum, et ex ejus necessitate, tamquam medio efficacissimo plerumque utitur contra Pelagianos, ad probandam peccati originalis veritatem et existentiam, maxime vero lib. 4. *De Baptismo*, c. 24. ubi sic ait: *Veraciter conjicere possumus, quid valeat in particulari Baptismi Sacramentum ex Circumcisione carnis, quam prior populus accepit.* Et infra: *Cur ergo ei Abrahamo præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere, ut ei deputaretur ad justitiam, nisi quia et ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat?* Et lib. 3. *Contra Julianum* c. 18. sic eum compellat: *Responde, si potes, cur ipse Isaac, nisi Ba-*

ptismatis Christi signq̄ circumcisis octavo die fuisset, periisset anima ejus de populo suo? Explica, si potes, tanta pena, qua merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur? Et lib. 16. De Civit., c. 27. Ac per hoc, quia Circumcisio signum regenerationis fuit, non immerito parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est Testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet. Tandem lib. 2. De nuptiis et concupiscentia, c. 11. Ex quo, inquit, instituta est Circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad significationem purgationis, valebat et parvulis ad remissionem originalis, veterisque peccati: sicut et Baptismus ex illo valere capit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.

Ei subscribunt plures e SS. Patribus, maxime S. Greg. lib. 1. *Moral.*, c. 2. ubi ait: *Quod apud nos valet aqua Baptismi hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui de Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circumcisionis. Similiter S. Bernardus, Epist. 77. quæ est ad Hugonem de S. Victore; Quia vero, inquit, et alia præter Baptismum contra originale peccatum remedia antiquis non defuisse temporibus: Abrahæ quidem, et semini ejus Circumcisionis Sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est; in nationibus vero, quotquot fideles inventi sunt, adultos quidem fide, et sacrificiis credimus expiatis: parvulis etiam solam potuisse, imo et suffecisse fidem parentum. Et Serm. 2. De Assumptione: In Baptismo, inquit, sola gratia lavat hanc maculam, quam olim rasis petra Circumcisionis. — Idem docent S. Prosper, Ep. quæ est 81. apud S. Ambrosium; et Beda in illud Lucæ, Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, ubi scribit: Scire debet fraternitas vestra, quia idem salutiferæ curationis auxilium Circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod nunc Baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod Regni cælestis januam necdum intrare poterant, donec adveniens, benedictionem daret, qui Legem dedit. — Ipsam quoque veritatem luculenter docuit Innocentius III, ut retetur cap. *Majores de Baptismo*; ubi cum dixisset Baptismum Circumcisioni successisse, et utriusque æqualem necessitatem probavisset, ex eo quod Genes. 17. dicitur: *Masculus, cujus præputii caro, etc.* quemadmodum Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, etc.* utriusque tandem assignans differentiam, ait: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen conveniebatur ad regnum Cælorum, etc.**

Probat Doctor eandem veritatem hac ratione: « Ad hoc, inquit, est « ratio congrua, quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum « sine remedio ad salutem; maxime illos, quibus ipse Legem dedit, « ut per ejus observantiam pertingerent ad salutem: frustra enim tuisset « data talis lex sine remedio: ergo tempore legis Mosaycæ dedit ali- « quod tale remedium observantibus ejusmodi legem. Non possunt « autem attingere ad salutem sine deletione originalis culpæ: ergo « in illa lege instituit aliquod remedium contra illam culpam: istud « non aliud videtur esse ibi institutum, tamquam tale remedium « contra illam, juxta illud Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro « circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum « meum irritum facit* ». Quam utique Doctoris rationem sic in forma

proponere licet: Lex Mosayca revera hominibus, qui ad ejus observantiam tenebantur, subministrabat media necessaria ad salutem: ac subinde ad remissionem originalis peccati: sed ad ejusmodi peccati remissionem non erat tunc aliud remedium, quam Circumcisio. *Major patet*: nullus enim originali peccato, aut actuali fœdatus consequi potest vitam æternam in statu illius peccati quia nihil inquinatum introibit in regnum celorum. *Minorem vero probat* Doctor ex illo *Genes.*, cap. 17. *Masculus, cujus præputii caro*, etc. Quo pariter oraculo maxime nititur S. Augustinus, ut apparet ex dictis, præsertim ex lib. 16. *De Civit.*, cap. 27. ubi scribit: *Idem potest movere, quomodo intelligi poterat: quod hic dictum est: Masculus, qui non circumcidetur carne præputii sui octavo die, interibit anima illa de genere suo, quia Testamentum meum dissipavit. Cum hæc nulla culpa sit parvuli, cujus dixit animam perituram, nec ipse dissipaverat Testamentum Dei: sed Majores, qui eum circumcidere non curarunt: nisi quia etiam parvuli non secundum sue vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt... Sed intelligenda sunt hæc divina verba, tamquam dictum sit: Qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de genere ejus, quia Testamentum meum dissipavit, quando in Adam cum omnibus etiam peccavit.*

REPONES: Illa verba *octavo die* neque in Hebraico, neque in vulgato Textu haberi: adeoque cum sancti Augustini et Doctoris argumentum illis maxime verbis innitatur, infirmum est et invalidum. *Insuper* verba illa, seu divina comminatio dirigitur ad eum, qui capax est præcepti, et pœnæ: at parvulus non est capax implendi præcepti: ac subinde illa comminatio dirigitur non ad parvulum, sed ad adultum, qui puniri debet morte temporali, quod negligeret vel circumcidi, vel filium suum circumcidere. Quod utique confirmatur: quia textus Hebraicus, et Græcus, imo et Caldaicus sic ferunt: *Masculus, qui non circumciderit carnem*, etc. ubi verbum *circumcido* sumitur active, non autem passive: quemadmodum etiam S. Ambrosius legit. *Præterea* eodem capite, ubi præcipitur circumcisio infantis octo dierum, nulla pœna indicitur ei, qui circumcisis non fuerit: sed absolute statuitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*. Denique, non recte videtur colligere S. Augustinus, pactum illud, ob cujus transgressionem delenda est de populo Dei, esse divinum pactum initum cum Abramo: nam pactum istud non aliud est, quam de quo prior facta fuerat mentio his verbis: *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te*. Hoc autem pactum aliud non est, quam præceptum frequentandæ Circumcisionis: nam statim subditur: *circumcidetur in vobis omne masculinum*: igitur præfata ratio est nulla. — **Respondeo**, his omnibus nihil quidquam adversus nostræ assertionis veritatem evinci: primo namque vocabula *octavo die* habent 70. Interpretes etiam post emendationem Sixti V. Quam etiam lectionem habent Origenes, lib. 2. in Epist. ad Rom., cap. 2. Ambrosius, Epist. 33., etc. *Deinde*, sive vocabula *octavo die* addantur, sive non, propositio illa generalis: *Masculus, cujus præputii caro*, extenditur etiam ad parvulos, de quibus paulo ante sermo fuerat, his verbis: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis omne masculinum in generationibus*

vestris: unde existimo illa vocabula *octavo die* a 70. Interpretibus claritatis gratia fuisse addita, cum aliunde rescirent eum esse sensum illius divinæ interminationis, diviniq̄ præcepti. Nam *Genes. 21.* Abraham filium suum Isaac circumcidit, *die octavo, sicut præcepit ei Dominus.* Et *Levitici 12. Die octavo circumcidetur infantulus.* — Adde quod oportuit hæc verba fuisse usu recepta tempore S. Augustini: cum enim exinde maxime urgeret Pelagianos negantes peccatum originale, facile eis fuisset illius argumentum refellere, dicendo nempe, illum argumentari ab auctoritate interpolata. Hinc mirari satis non possum quo genio Lugo d. 5. sect. 4. ausus fuerit scribere n. 66. Augustinum illa verba *Genesis* intellexisse, quasi inducentia necessitatem Circumcisionis ad illum effectum, sed fundatur in falsa lectione illius Textus, additis illis vocibus *octavo die*, quæ tamen in vera littera non reperiuntur. Quamquam enim sola editio vulgata jam sit indubitatae auctoritatis, inde non est consequens omnem aliam lectionem ei minime contrariam, esse falsam.

OBJICES 1. Varios Scripturæ textus, quibus significari videtur, primo neminem ex Legis operibus justificari. Sic ad *Rom. 3.* « Ex Lege
« tantum cognitio peccati: quia ex operibus Legis non justificabitur
« omnis caro coram illo, etc. » *Secundo.* Circumcisionem nihil prodesse, nec ullam habere efficaciam. Sic ad *Galat. Neque Circumcisio aliquid valet.* Et *1. ad Corinth. 7. Circumcisio nihil est.* *Tertio,* idem Apostolus ad *Rom. 3.* referens omnes Circumcisionis utilitates et prærogativas, non meminit illius efficaciam ad delendum peccatum originale, et conferendam gratiam sanctificantem. *Quarto,* Sacramenta veteris Legis appellantur ab eodem Apostolo ad *Galat. 3. Infirma, et egena elementa*: igitur nec in se gratiam continebant, nec eam conterebant. — **Respondeo ad primum,** in Lege veteri tria fuisse operum genera, nempe moralium, cæremonialium, et judicialium. Moralia eadem fuerunt quæ in lege Evangelica, puta decem præcepta Decalogi: judicialia autem omnino fuerunt abrogata, sicut et cæremonialia. Moralia autem erant meritoria, ac proinde conterebant gratiam ex opere operantis, quando fiebant ex fide in Christum venturum: unde Apostolus ad *Rom. 3.* post præmissa in objectione verba, subdit: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio* (supple personarum *Judæi, aut Græci, etc.* et ratio est: *omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati estis non ex merito scilicet naturæ, aut Circumcisionis, aut operum: per redemptionem, quæ est in Christo, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ* (supple gratiæ, quæ intelligitur justitia, per quam justificamur) *propter remissionem præcedentium delictorum, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Concludit: *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei: quia nempe tollit gloriationem hominis, sive per Legem, sive per opera naturæ, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus: et rationem subdit: Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus Legis. An, et Judæorum Deus tantum? Imo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat Circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. Legem destruimus per fidem? Absit, sed Legem*

statuimus. — *Ad secundum* dico. Apostolum nihil aliud intendere, quam quod per Christi Passionem evacuata fuerit omnis virtus Sacramentorum et sacrificiorum veteris Legis: ac proinde Circumcisionem nullius amplius esse virtutis et efficacitatis, currente lege Evangelica. Quod autem Circumcisio plurimam utilitatem et efficacitatem habuerit, significat ipsemet Apostolus ad Rom. 2. ubi ait: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes.* Et cap. 3. *Quæ utilitas Circumcisionis? multum per omnem modum.* — *Ad tertium* dico esse argumentum petiitum ab auctoritate negativa, ex qua nihil concludere licet. *Adde quod* necesse non iudicaverit Apostolus hanc Circumcisionis prærogativam referre, cum illa jam aperte constaret ex *Genes.*, cap. 17. neque id spectabat ad scopum ab eo intentum; siquidem ejus mens erat retundere Judæorum vanam jactantiam et superbiam, qua se Gentilibus ad fidem conversis præferri volebant, eo quod illis credita fuissent eloquia et mysteria, ait enim ibidem: *Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus, Judæos, et Græcos omnes sub peccato esse.* Unde concludit: *An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? imo et Gentium: quoniam quidem unus est Deus, qui justificat Circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.* — *Ad quartum* dico. Apostolum per infirma et egena elementa ibidem intelligere non Sacramentum veteris Legis, sed idola Gentium; siquidem versu præcedenti ait: *Tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis.* Unde post verba in objectione allata subdit: *Quibus denuo servire vultis, dies observatis, et menses, et tempora, et annos. Quæ omnia Gentes facere consueverant.*

URGEBIS: Si Circumcisio habuerit vim justificandi, maxime respectu Abrahæ, cui primum a Deo præcepta est: sed ita non est; nam Apostolus ad Rom. 4. sic scribit: *Dicimus enim, quia reputata est. In Circumcisione, an in præputio? non in Circumcisione, sed in præputio; et signum accepit Circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* etc. — **Respondet Doctor** n. 11. Circumcisionem equidem non contulisse Abrahæ gratiam: « Quia, inquit, Abraham jam attigerat, vel transcenderat illum gradum, ad quem determinata fuerat Circumcisio. Et intelligo, nihil ei intus contulit, per modum Sacramenti, sive virtute operis operati: sed credo, quod ei contulerit per modum meriti, sive virtute operis operantis, quia credo, quod actus circumcidendi se ex obedientia Dei, et ex charitate procedens, ei fuit meritorius, sicut et immolatio Isaac ».

INSTABIS: Exinde ergo sequitur Circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato. — **Respondet Doctor**, *negando sequelam:* « nam significabat certitudinaliter gratiam vel fieri, si non adsit obex, vel jam inesse. Sicut si beata Virgo fuisset in Conceptione Filii in summa plenitudine gratiæ, ad quam Deus disposuit eam perventuram, si potestea fuisset baptizata, nullam ibi gratiam recepisset de novo; tamen Baptismus non fuisset in ea signum falsum, vel incertum, quia gratiam significaret, vel tunc fieri, vel prius datam tunc inesse ».

OBJICES 2. Varias SS. Patrum auctoritates, quibus insinuat Circumcisionem nullam vim aut utilitatem habuisse ad conferendam justitiam et gratiam sanctificantem. Sic Irenæus, lib. 4. c. 3. asserit Circumcisionem datam, non ut consummationem justitiæ, sed ut cogno-

scibile perseveraret genus Abrahamæ. Idem affirmat S. Hieronymus. in cap. 3. ad Galat.: Damascenus, lib. 1. *Fidei Orthodoxæ*, cap. 26: Chrysostomus, Hom. 27. in Genesim. Nonnulli autem expresse dicunt illam non valuisse ad justitiam; sic Tertullianus, lib. contra Judæos, cap. 2: Cyrillus, lib. 10. in Julianum, Theodoretus, qu. 7. in Genesim: quibus addere licet Cyprian., lib. 1. contra Judæos, cap. 8: Ambros., Epist. 72. igitur nostra assertio militat in SS. Patrum doctrinam. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* respondet Doctor qu. 6. n. 11. idcirco SS. Patres negare Circumcisionem et alia Sacramenta veteris Legis contulisse gratiam: « *Vel quia, inquit, parvam gratiam contulit Circumcisio respectu Baptismi: Vel quia non contulit gratiam, ut dispositionem immediatam ad gloriam; quia non aperuit januam: sed hoc non fuit ex defectu ejus: sed quia fluxit tempore, quo pretium non fuit solutum: Vel quia non universaliter cuicumque suscipienti. Determinabatur autem forte ex institutione sua ad certum gradum gratiæ: ita quod ultra illum gradum non posset, nec intendendo, nec inducendo: et ita si tantum gradum inveniret in suscipiente, nihil ipsi conferret* ». Ne igitur SS. Patres invicem committantur, et aliqui aliis repugnent. uno aut altero ex illis tribus modis a Doctore assignatis explicandi sunt: et merito quidem. nam aliqui. ut Irenæus, Tertull., Hieron., Cyprianus, dicunt Circumcisionem datam esse in signum, et non in justitiam; quia explicant effectum explicatum Circumcisionis, et magis notum; quia per eam genus Abrahamæ distinguebatur a cæteris Gentibus: aliqui vero, ut Cyrillus, et Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 14. et Epiphanius, Hæres. 8. loquuntur in genere de legalibus respective ad Sacramenta novæ Legis. et sic Circumcisio, in comparatione ad Baptismum, quasi nihil erat: sicut figura et umbra respectu veritatis, quam significat, nihili reputatur, licet revera in se sit aliquid.

OBJICES 3. Conc. Florentinum in decreto Eugenii sic pronuncians: *Sacramenta novæ Legis multum differunt a Sacramentis veteris Legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant: hæc vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Quæ utique doctrina confirmatur a Tridentino, Sess. 7. Can. 2. *De Sacramentis in genere: Si quis dixerit ea ipsa novæ Legis Sacramenta, a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ aliæ, et alii ritus externi, anathema sit.* — **Respondeo primo**, utramque illam auctoritatem non excludere vim et efficaciam Circumcisionis, quæ non potest comprehendî sub Sacramentis antiquæ Legis; quippe cum ante legem annis 400. instituta sit: unde Christus Dominus Jo: 7. Judæos alloquens, ait: *Moyse dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.* Quæ utique responsio eo debet majoris esse ponderis, quod non sit verisimile Concilia voluisse decernere aliquid contra doctrinam S. Aug., et aliorum SS. Patrum, necnon et contra sententiam celebriorum Theologiæ Doctorum: igitur fatendum est illa Concilia loqui stylo, et verbis ipsius S. Aug. qui in Psalm. 73. *Sacramenta Novi Testamenti dant salutem, inquit, Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem, etc.* Epist. 19. ad S. Hieronymum: *Cur non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia eis non justificantur*

homines: umbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua justificamur. Item lib. 19. contra Faustum. cap. 13. similia habet. Sicut ergo S. Augustinus ipse loquitur de Sacramentis veteris Legis, non comprehendendo Circumcisionem: ita etiam Tridentinum et Florentinum de iisdem agunt. quæ erant propria veteris Legis: alioquin non recte Circumcisio sub ejusmodi comprehendebatur; quia etiam proderat aliis descendantibus ex Abraham, et viventibus extra Judæam. puta Idumæis. ac subinde non erat proprie Sacramentum Legis antiquæ.

OBJICIES 4. Remedium originalis peccati. sicut cætera media. esse communia masculis et feminis: talis non erat Circumcisio: igitur. etc. *Deinde*, Circumcisio fuit omissa in deserto 40. annis, ut habetur Josue 5. sed non est verisimile Moysem permisisse, ut tanto tempore Judæi carerent medio conducente ad remissionem peccati originalis. *Denique*, remedium peccati originalis debuit quolibet tempore applicari, maxime dum urget necessitas: sed Circumcisio non poterat applicari ante octavum diem: igitur. etc. — **Respondeo ad primum**, non omnia media salutis debere esse masculis et feminis communia: nam Sacramentum Ordinis, quod est medium salutis, licet non necessarium. institutum est pro solis masculis: unde Circumcisio tantum erat necessaria viris. pro quibus fuerat præscripta: mulieribus vero, sicut et parvulis ante octavum diem, necnon et Judæis tempore peregrinationis in deserto, opitulabatur remedium Legis naturæ.

* * Nugantur Judæi Adamum productum fuisse circumciseum in Jalehud in genesi dicitur prius Adam creatus est circumciseus. Sed, inquit, præputium suum ferro attraxit ut pellicula pudendi extenderetur et glandis nudatæ caput iterum extenderetur, unde putant invaluisse morem apud Judæos quosdam fœderis et legis prævaricatores ut omni arte studerent resarciri pelliculam amputatam in Circumcisione. quo sensu intelligenda putant hæc verba lib. 1. *Maccabeorum*, cap. 1. v. 15: *Et ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundum leges nationum, et fecerunt sibi præputia.* etc. Eorundem mentio etiam habetur apud Josephum LXII antiq. cap. 6: *Menelaus et Tobicæ filii rogaverunt Antiochum ut sibi permitteret gymnasium Hierosolymis extruere. quo impetrato, adduxerunt sibi præputia. ut nudi non essent Græcis dissimiles.* Sic etiam post excidium templi secundi, multi inter Judæos Circumcisionem suam delere conati sunt, sed postea novum istud præputium de novo fuit amputatum, et iterum fuerunt circumcisi. Quod liquet ex Talmude Hierosolymitano ubi dicitur: « dixit « illi R. Jose. multi cum attracto præputio in diebus Ben Cosibæ, qui « omnes denuo fuerunt circumcisi, et vixerunt, et genuerunt postea « filios et filias ». Hæc habentur in Talmude Tr. Jebamot. f.

Hunc morem tempore suo apud Judæos etiam invaluisse indicat Apostolus cum scribit 1. ad Cor. VIII, 18: *Circumciseus aliquis vocatus est? non adducat præputium.* Nam cum quidam Judæi Evangelium amplecterentur, quasi illos pudisset prioris conditionis. illius reliquias et omnia vestigia deleri prorsus curabant, ut eorum conversio ad christianismum firmior et sincerior videretur: ideo partibus licet delicatioribus non parebant, Circumcisionem præcipue deleri moliebantur et pro præputiatis instar gentilium apud omnes haberi volebant. Conducit ad hujus veritatis confirmationem et apostolici textus illustrationem. quæ de Symmacho tertiæ Bibliorum editionis græcæ

auctore scribit S. Epiphanius: « Temporibus Severi imperatoris. Sym-
 « machus Samaritanus ad Judæos transfugit, et inter proselytos pro-
 « fessus iterato circumciditur: quod ne forte mireris. scias velim, id
 « in more esse positum. ut qui a Samaritanis ad Judæos transeunt, vi-
 « cissim, qui a Judæis ad Samaritanos, novam Circumcisionem susci-
 « piant; imo vero, quod molestius est, post Circumcisionem ad præpu-
 « tium rursus prodeunt, etenim medica quadam arte eoque quem spa-
 « thisterem vocant, glandis cutilam attrahentes consuunt, ac glutino
 « circumadstringunt atque ita præputium recuperant. » Potest id quod
 dicimus, Apostoli testimonio comprobari, cum his verbis utitur: *Cir-
 cumcisis quispiam vocatus est? ne is præputium adducat. Cum præ-
 putio vocatur aliquis? ne circumcidatur.* Quod nefarium vel detestan-
 dum artificium, ab Esau Jacobi fratre repertum memorant, ut eo fa-
 cilius ejurare Deum et acceptam a majoribus notam abolere posset. Unde
 natam Dei vocem illam existimant: *Esau odio habui, Jacobum autem
 dilexi.* Ea quidem fuit sententia principum medicinæ præputium semel
 abscissum nulla ratione et arte restaurari posse. Sic Hippocrates, sect. 6.
 aphorismo 19: « postquam os quod prorsus sectum fuerit, aut cartilago,
 « aut nervus, aut genæ tenue quiddam aut præputium, neque augetur,
 « neque qualescit ». Verum tametsi id fieri non possit solis naturæ viribus,
 attamen reintegrari posse præputium arte et industria medicorum et
 chirurgorum atque beneficio remediorum, experientia docet. Ad id
 enim, inquit Dioscorides, lib. 2. la. 101. « Mel verpis, inquit, seu
 « curtis glandem quæ citra Circumcisionem nudata sit, in integrum
 « restituit. si melle præputium a Calneo potissimum ad dies triginta
 « emolliatur ». Lib. 3. cap. 52. « Aloe, inquit, disrupta puerorum
 « præputia adglutinat ». Et lib. 4. cap. 157. ubi agit de thapsia, « valet,
 « inquit, (succus nimirum thapsiæ) et ad integrandam colis glandem,
 « si modo alia ex causa quam ex Circumcisione nudata sit. Tumorem
 « enim excitat qui et totibus et pinguibus adhibitis emollitus, præ-
 « putii jacturam resarcit ». Ex quibus constat præputium istis succis
 et pinguibus remediis ita foværi posse. ut cutis enollita extendatur
 et longior evadat, adeo ut tota glans, illa iterum arte parata, involvi
 et tegi possit, modo tamen Circumciso non prius intervenerit, idest
 leniora esse ista remedia, ut illis, jacturæ per Circumcisionem allatæ
 remedium admoveri possit. Et revera cum post Circumcisionem præ-
 putium adducere volebant, opus erat instrumentis validioribus quibus
 cutis attraheretur et pristinæ pellis locum occuparet, ut constat ex
 præfato S. Epiphaniî loco. Præputium vero reparare solebant Judæi,
 vel ut Judæi non agnoscerentur, et a tributo et vectigali quod Judæi
 solvebant et in capitolium transferebatur omnino liberarentur, vel ut
 in gymnasiis et palæstris se exercerent, cum ethnicis et gentilibus
 et circumcissione sic pudenda ab aliis non distinguerentur, vel ut se
 a judaïsimo detecisse hac consuetudine significarent, vel ut judaïsmi
 sui ignominiam possent amolliri. Nam odiosi omnibus Judæi, et cum
 deprehendebantur, omnium ludibris et contumeliis patebant. Ideo ri-
 gidissima de illis fiebat inquisitio, ut videre est apud Suetonium, qui
 memorat nonagenarium Judæum in publicum prodiisse, et circumcissum
 omnibus patuisse. Ut ergo invidiam istam declinarent Judæi quam-
 plurimi pellem glandis reparandam curabant, ut sic inquisitorum oculos

perspicaciores possent tandem fallere. Forsan Judæi ad christianismum deflectentes ista utebantur cautela odio judaismi, nam sicut qui ex Judæis Samaritani fiebant, præputium suum iterum fovebant et aiebant, et extendebant, sicut e contra qui ex Samaritanis fiebant Judæi, odio ordinis, religionis pristinae: sic in odium prioris judaismi multi proselytæ qui Evangelium amplectebantur, præputium attrahebant, unde Apostolus dicit: qui est circumcisis non superinducat præputium et illud iterum non attrahat, nam circumcisio nihil detrahit saluti proselytæ.

Præter Judæos multis Circumcisio in usu fuit. Ægyptiis, nimirum, Colchis, Æthiopicibus. Phœnicibus. Syris, Arabibus et Troglodytis, uti scribunt Herodotus, Diodorus, Ambrosius, Hieronymus, et alii. Americanos quoque nonnullos Jucatanæ provinciæ præputium ponere memoriæ prodidit Petrus Martyr. Dec. 4. De Ægyptiorum sacerdotibus qui circumcidebantur, videndus est Origenes. lib. 2. in Epist. ad Rom.; necnon et Hetius pag. 12 et 13 in observationibus ad commentaria Origenis. Origenes. Commentario in Gen. observat Judæos octavo die circumcidi debere, Ismaëlitas contra nonnisi decimo tertio anno. At S. Ambrosius, lib. 2. *De Abraham*, cap. 11: *Ægyptii quarto decimo anno circumcidunt mares, et feminas eodem anno circumcidi ferunt, quod ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, et feminarum menstrua sumant exordia.* Et Strabo, lib. 17: *Id quoque maxime student, ut genitos quosque infantes, alant, eosdem etiam circumcidant, feminas vero excidant.* De Ægyptiis loquitur: at fallitur cum subjicit idem Judæis fuisse in usu. His concinit idem Origenes, Hom. 5. in Jerem: *Circumciduntur secundum id quod sensibile est, inquam, non solum hi qui ex circumcisione sunt secundum legem Moysis, verum etiam alii multi. Ægyptiorum idolis sacerdotes circumciduntur.* Nunc quoniam de muliebri circumcisione mentionem iniecerunt Strabo et Ambrosius, ritum ipsius aperiemus. Ea fit resectione *συντομή* quæ pars in Australium præsertim regionum mulieribus ita excrescit, ut ferro sit coerenda. Id tradunt medici insignes, Paulus Ægineta, lib. 5. cap. 70. et Aëtius Tetrabl. 4. Serm. 4. cap. 103. Quorum hic ita pergit: « Quæ propter Ægyptiis visum est, ut antequam exuberet (pars illa corporis) amputetur tunc præcipue cum nubiles virgines sunt elocandæ ». Rem tangit Origenes cum ait, Hom. in Ez. ch.: « Adversum masculos virtus ejus in lumbis est, adversum feminas virtus ejus in umbilico ventris est. Et vide quomodo honeste viri mulierisque genitalia obtecti nominibus Scriptura nuncupaverit, ne per ea vocabula quæ in promptu sunt, turpitudinem significaret. Si intellectum est exemplum quod protulimus de Job, intellige mihi quia ut in viro præputium circumcitur, sic in femina umbilicus amputatur ». Quod igitur necessitate primum inventum est, religione postmodum usurpatum fuit, quod et aliqui de virili circumcisione opinati sunt, ut postea dicemus. Porro hanc consuetudinem circumcidendarum mulierum hodieque retinere Ægyptios ferunt ii qui regiones illas lustrarunt, ignemque ad compescendam partis hujus luxuriam adhiberi. Scribit Bellonius morem hunc servare feminas in Persia, et Cophtas in Æthiopia, Christi licet nomen professas. Leo Africanus, lib. 8. narrat Muhammadi lege id præscribi, quamvis in Ægypto tantum et Syriae obtineat. munusque id obire vetulas quasdam per vicos Cauri ministerium suum venditantes. * *

Conclusio quarta. -- CONVENIENS FUIT, UT IN EVANGELICA LEGE ALIQUA A CHRISTO DOMINO INSTITUENTER SACRAMENTA, PER QUE SUAM GRATIAM IN HOMINES DERIVARET.

Probatur quadruplici ratione petenda primo ex parte Dei instituentis Sacramenta: secundo ex parte hominis suscipientis: tertio ex parte institutionis: quarto denique ex parte ipsorum sacramentorum.

Primo quidem, id fuit conveniens *ex parte Dei*, ne videlicet Deus antiqua sive Sacramenta, sive sacrificia, quasi sibi utilia et delectabilia imperare videretur; quapropter omnia illa tanquam inutilia et sibi minus grata reprobavit, ut docet S. Paulus ad Hebr. 9. et 10. Hanc rationem subjicit S. Augustinus, lib. *De Civitate Dei*, cap. 5. *Mutanda, inquit, erant opportuno, certoque jam tempore, ne ipsi Deo jam desiderabilia, vel certe in nobis acceptabilia, ac non potius quæ his significata sunt, crederentur.*

Ex parte vero hominis, qui cum per Evangelicæ legis gratiam novas acceperit vires, et abjecta servili conditione, in Dei filium fuerit adoptatus, etiam perfectioribus Sacramentis initiari debuit. Unde præclare S. Augustinus, lib. *De vera Religione*, cap. 17. *Paterfamilias, inquit, justissimum aliud imperat iis, quibus servitutem duriorum utilium judicat, aliud eis, quos in filiorum gradum adoptare dignatur.* Et ibidem: *Alia per ministros suos inbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcepit. Numquid, ait idem in tit. Psal. 51. quoniam puero dantur quedam puerilia ludicra quibus puer illis annis arceatur, propterea grandescenti non exceduntur e manibus, ut aliquid jam utilius tractet?*

Tertio, ex tempore institutionis, quia veteris legis Sacramenta Christum dumtaxat venturum promittebant, nova autem præsentem exhibent: oportet autem aliis signis denotare futura, et aliis præsentia; unde præclare S. Augustinus, Epist. 5. *Quispiam, inquit, expectet a nobis causas ipsius mutationis accipere, quod ipse nosti, quam prolixi sit negotii: veruntamen breviter dici potest, quod homini acuto fortasse suffecerit aliis Sacramentis prænunciari Christum, cum venturus esset, aliis cum venisset annuntiari oportuisse: sicut modo nos idipsum loquentes, diversitas rerum compulit etiam verba mutare.*

Quarto denique, conveniens fuit alia Sacramenta instituire *ex parte ipsorum Sacramentorum*, quoniam Sacramenta veteris Legis erant egena et vacua elementa, et umbræ futurorum: unde adveniente plenitudine gratiæ et veritatis, conveniens fuit, ut illa desinerent: *Ablata sunt, inquit S. August. in Psal. 39., signa promittentia, quæ exhibita est veritas promissa, cum enim lex esset vana, venit Christus, ut eam impleret: implevit autem, cum per nova Sacramenta charitatem donavit: plenitudo enim legis est charitas.* Unde præclare Tertullianus, lib. *De Oratione*, cap. 1. *Omnia, inquit, de carnalibus in spiritualia renaravit nova Dei gratia, expuncta re totius retro vetustatis.*

DICES 1: Illa Sacramenta non debuerunt mutari, quæ instituta sunt, ut durent in perpetuum: sed talia sunt Sacramenta veteris Legis: eadem quippe est ratio cæterorum, ac Agni Paschalis, et Sacerdotii Aaronici: at hæc instituta sunt, ut in perpetuum subsisterent: nam de Agno Paschali Levitici 12. præcipitur: *Custodi verbum istud legitimum tibi, et filiis tuis usque in æternum:* de Sacerdotio autem Aaronico, cap. 14.

Et functio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiet. — **Distinguo majorem:** si instituta sint, ut durent in perpetuum, tum ratione sui, tum ratione significati, *concedo:* si ratione tantum significati, *nego.* Et similiter distincta *minore.* *nego consequentiam;* comestio enim Agni Paschalis erat figura Sacramenti Eucharistiæ, et Sacerdotium Aaronicum imago et umbra Sacerdotii novæ Legis in perpetuum conservandi.

DICES 2: Adveniente gratia et veritate, cessare debet figura et umbra: sed gratia et veritas per Jesum Christum facta est: igitur, cum Sacramenta sint veritatis umbra et figuræ gratiæ, nulla post Christum debent admitti ab ejus sectatoribus. — **Distinguo minorem:** si veritas intuitive et perfecte conspicienda exhibeatur, ut in futura gloria, *concedo:* si tantum imperfecte et abstractive, ut in hac vita, etiam sub Lege nova, *nego.* Cum enim, ut belle observat S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5: status novæ Legis medius sit inter statum veteris Legis, cujus figuræ implentur in nova, et statum gloriæ, ubi veritas omnis nude et aperte manifestatur, ideo nulla tunc erunt Sacramenta: nunc autem quamdiu per speculum, et in ænigmate cognoscimus, necessum est, ut per sensibilia Sacramenta spiritualem gratiam consequamur. Debent equidem cessare figuræ, quæ Christum futurum præsignabant; at non debent desinere signa passionis ejus rememorativa, et gloriæ electis præparatæ prænuncia. Unde Eusebius Emisenus, Homil. *De Transfiguratione*, ex Hebr. 9. præclare tria tabernacula distinguit: primum est Synagoga in umbra et figura: secundum est Ecclesia in figura et veritate: tertium est cælum in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur.

DICES 3: Apud Deum non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio, ut ait S. Jacobus, 1. cap.: sed esset aliqua mutatio, si alia subministraret Sacramenta, quibus homines aliter sanctificarentur post, quam ante adventum Christi: igitur, etc. — **Respondet S. Augustinus,** Epist. 5. quod « sicut non ideo mutabilis homo, quia mane aliud, aliud « vespere: illud hoc mense, illud alio: non hoc isto anno, quod illo: « ita non ideo mutabilis Deus, quia universi sæculi priore volumine « aliud, aliud posteriori sibi jussit offerri, quo convenienter significa- « tiones ad doctrinam Religionis saluberrimam pertinentes, per muta- « bilia tempora, sine ulla sui mutatione disponeret: » *Quam utique veritatem prius exemplis confirmaverat, scribens:* « nonne hyemi æstas « addito sensim calore succedit? Nonne diurnis tempora nocturna ver- « tuntur? Quoties nostræ variantur ætates? Adolescentiæ pueritia non « reditura cedit; juvenus adolescentiæ non mansura: succedit finiens « juventutem senectus; senectus autem morte finitur: hæc omnia mu- « tantur, nec mutatur divinæ providentiæ ratio qua fit ut ista muten- « tur. Nonne autem, opinor, cum agricola æstate aliud jusserit, quam « jusserat hyeme, ratio mutatur agriculturæ: et cum mane surgit, qui « ea nocte quiescebat, vitæ consilium non mutavit: aliud magister « adolescenti, quam puero solebat imposuit? Doctrina igitur constans « mutato præcepto non mutat instructionem ».

QUÆSTIO QUINTA.

QUOT. ET QUE SINT NOVE LEGIS SACRAMENTA.

NOTANDUM 1. Catholicos omnes invicem consentire, septem esse novæ Legis Sacramenta, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Uñctionem, Ordinem et Matrimonium: at huic septenario Sacramentorum numero refragantur omnes quotquot sunt recentiores hæretici, qui in assignando novæ Legis Sacramentorum numero, non solum invicem pugnant, sed tanta animi inconstantia jaectantur, ut auctor cujusque sectæ sibi ipsi non consentiat. Lutherus enim, qui initio libri *De Captivitate Babylonica* dixerat tantum tria esse admittenda, nimirum Baptismum, Pœnitentiam, et Panem, subdit; quod si Scripturæ usu loqui velimus, unicum dumtaxat profitebimur Sacramentum, et tria signa Sacramentalia: nam, inquit, Eucharistia et Pœnitentia sunt rememorativa passionis, et adoptionis Baptismi. Tandem circa finem libri asserit, duo tantum ex proprietate sermonis admittenda esse Sacramenta, nempe Baptismum et Panem; unde fit, ut Lutherani invicem non conveniant de numero Sacramentorum: alii namque duo tantum, puta Baptismum et Eucharistiam, alii vero tria admittunt, his duobus Pœnitentiam adjungentes. Calvinus autem agnoscit quidem tria, nempe Baptismum, Cœnam, et impositionem manuum, qua Ecclesiæ Ministri initiantur; licet enim lib. 4. *Instit.*, cap. 18. § 19. duo tantum esse dicat, nempe Baptismum et Cœnam: tamen cap. 14. § 20. ait: *Duo Sacramenta instituta sunt, quibus nunc Christiana Ecclesia utitur, Baptismus et Cœna Domini: loquor autem de illis, quæ in usum totius Ecclesiæ sunt instituta, nam impositionem manuum, qua Ecclesiæ Ministri in suum munus initiantur, ut non invitè patior numerari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Melancton vero totus hac in re videtur dubius; primo enim admisit duo tantum cum Luthero, postmodum tria; sed tandem in *Locis Theologicis* editis an. 1552. addit ordinationem, seu vocationem ad Evangelii ministerium: tum *Locis* editis an. 1558. propendet, ut admittat matrimonium inter Sacramenta; tatetur enim illud esse signum rei sacræ, divinum habens mandatum, et annexam promissionem: « Unum tamen, *inquit*, abest ne sit Sacramentum, eo « quod videlicet fuerit institutum ante Christi Incarnationem. Verum « quam sit levîs hæc ratio, nullus est qui non videat: quid enim obstat « quominus Christus Dominus rem jam existentem, ac suæ Incarna- « tionis futuræ signum, et vaticinium potuerit ad Sacramenti digni- « tatem promovere? »

NOTANDUM 2. Ad rationem Sacramenti novæ Legis tria potissimum requiri, nimirum quod sit signum divinitus institutum, ordinatum ad conferendam homini sanctificationem internam, ac subinde quod habeat vim et efficacitatem gratiæ justificantis conferendæ, et tandem quod divinum adsit mandatum, divinaque institutio hoc signum frequentandi, ut obtineri possit effectus per illud designatus. Hinc plurima sunt signa rei sacræ, quæ licet a SS. Patribus appellentur Sacramenta, hanc tamen appellationem sibi proprie non vindicant, sed dumtaxat improprie, et in laxiori significatione. Sic S. Augustinus,

lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 14. *Signum crucis* appellat Sacramentum: et lib. *De Symbolo*, cap. 2. Baptismi *cæremonias, et exorcismos, et similes ritus* Sacramenta nuncupat. Et lib. 2. *De peccatorum meritis*, cap. 26. *Panem benedictum* Catechumenis dari solitum, sacramentum appellat, non quidem proprie et stricte, sed, ut dixi, late et improprie, quia Sacramenta proprie dicta novæ Legis habent gratiæ promissionem et efficacitatem, ac institutionem a Christo: prædicta autem non sunt ejusmodi. Porro hic est sermo dumtaxat de Sacramentis proprie dictis.

NOTANDUM 3. Tria potissimum hac in quæstione occurrere ventilanda: *primum*, utrum revera Christus Dominus septem designaverit, et instituerit signa sensibilia gratiæ sanctificantis efficaciter productiva, eorumque septenarius numerus ex verbo Dei scripto, aut tradito aperte possit colligi: *secundum*, utrum signa ista pauciora sint, quam septem; quemadmodum hæretici hujus temporis inficiantur, sicut præfatum est in primo notabili: *tertium* tandem, utrum signa illa sacra plura sint, quam septem, sicut docuisse videntur nonnulli e SS. Patribus, dum Sacramenti vim et efficaciam, alii pedum lotioni, alii aquæ benedictæ, nonnulli eulogiis, seu pani benedicto, Sacramenti vim ac appellationem tribuere videntur. Quæ utique tria licet in unum, et idem collineent, attamen majoris claritatis ac evidentioris dissertationis et discussionis gratia placet sub tribus distinctis conclusionibus ventilare.

Conclusio prima. — REVERA SUNT SEPTEM NOVÆ LEGIS SACRAMENTA.

Hæc Conclusio colligitur ex Scriptura sacra, quod sic ostenditur: Sacramentum est signum sacrum, seu ritus sacer divinitus institutus, cui annexa est gratiæ promissio, et vis sanctificandi a Deo indita: sed ex Scriptura sacra non obscure colligitur septem esse ejusmodi ritus sacros, quibus indita est promissio virtutis ad conferendam gratiam: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur*, primo quidem de *Baptismo*: nam Marci ult. Christus Dominus delegans Apostolos ad Gentium conversionem, et Evangelii disseminationem, ait: *Ite docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc.* Subdit autem: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Hinc S. Paulus ad Ephes. 5. expendens summam Christi Domini erga suam Ecclesiam dilectionem, ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lacero aquæ in verbo vitæ.* — De *Confirmatione* idem colligitur Actuum 8. v. 17. et 19. v. 6. ubi legimus per impositionem manuum Apostolorum infallibiliter collatum fuisse Spiritum sanctum; qui sane effectus non fuisset infallibilis per ejusmodi signi applicationem, nisi Christus Dominus ita statuisset: neque constanter signum istud ad eum effectum usurpassent Apostoli, si ab amantissimo suo Præceptore et Magistro ita edocti non fuissent. — *Eucharistiæ* ritus aperte traditur Matth. 17. et 1. ad Cor. 11. *Accipit panem, et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, etc.* Promissio vero gratiæ Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* — *Pœnitentiæ* vero ritus et gratiæ sanctificantis conferendæ vis habetur Joan. 20. ubi Christus Discipulos alloquens, ait: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.* — *Extremæ-Uctionis* ritum et gratiæ conferendæ virtutem aperit S. Jacobus,

cap. 5. cum ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orant super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei allietabit infirmum... et si in peccatis fuerit dimittentur ei.* — Sacramenti Ordinis institutionem, ritum, et gratiae conferendae vim tradit S. Paulus 1. ad Timoth. 4. his verbis: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae in te est per impositionem manuum mearum.* — Tandem ritus Matrimonii habetur Matth. 19. his verbis: *Quod Deus coniunxit, homo non separet:* promissio autem gratiae colligitur ex cap. 5. ad Ephes. ubi Apostolus loquens de Matrimonio, ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.* Quibus verbis significat Matrimonium esse magnum Sacramentum in Christo, et in Ecclesia, quatenus conjunctio viri cum muliere significat unionem Christi cum Ecclesia: ac proinde gratiam, quae ad ejus praesentiam tribuitur. Duplicem conjunctionem Christus habet cum Ecclesia: unam quidem secundum naturam, quae utique facta est per Incarnationem, qua Christus ut Ecclesiae caput exteris membris in natura assimilatur; secundam vero per gratiam et charitatem, ratione cujus dicitur Ecclesiae sponsus. Porro hanc utramque conjunctionem Matrimonium significat; primam quidem in quantum est unio naturalis inter virum et mulierem; secundam vero, quatenus est spiritualis unio viri et mulieris per gratiam et charitatem, quae in ipso Matrimonio confertur.

Eadem veritas colligitur ex verbo non scripto, seu ex traditione, qua compertum habemus ejusmodi septenarium Sacramentorum numerum ex divina institutione et Apostolica doctrina ad nos usque perpetua et interrupta nusquam observatione dimanasse; cum enim non possit ostendi quando sacri ipsi ritus primum in Ecclesia frequentari coeperint post Apostolos, necessario fatendum est eos a Christo Domino et Apostolis fuisse derivatos; juxta hanc regulam S. Augustini, lib. 4. *De Baptismo*, cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Quam utique veritatem expresse definiunt Concilia, maxime Florentinum in decreto Eugenii, ubi inter caetera num. 5. statuitur: *Novae legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, etc. quae multum a sacramentis differunt antiquae legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.* Similiter Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novae Legis non fuisse a Domino nostro Jesu Christo instituta: aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, etc. aut aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.*

Eandem doctrinam tradunt SS. Patres et Ecclesiae Doctores, quorum plurimi licet septem Ecclesiae Sacramentorum expressam forte mentionem non fecerint, quia nulla necessitas urgebat, nec ulla praesens aderat occasio ista septem Sacramenta numerandi, nihilominus non desunt ex antiquioribus, qui plurimum ejusmodi Sacramentorum meminerunt: imprimis enim S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchy*, praeter Baptismum et Eucharistiam, de quibus plurimum

sermonem sparsim instituit. meminit etiam Sacramenti Ordinis. Et Epist. ad Demophilum declarat etiam Pœnitentiæ Sacramentum. — Prodit etiam Tertullianus, non obscure lib. *De Præscriptionibus*, cap. 40. ubi reterens qualiter diabolus ipsas quoque res Sacramentorum dicinorum in idolorum mysteriis æmuletur. ait: *Tinguit et ipse quosdam credentes, et fideles suos, expiationem delictorum de lavacro repromittit*, quibus significatur Baptismus et Pœnitentia. *Celebrat et panis oblationem*, ut adumbret Eucharistiam. *Etiam summum Pontificem in unius nuptiis statuit*, quibus denotat imitationem Sacramenti Ordinis, cujus summus gradus est Pontificatus. seu Episcopatus; cui præscribitur ab Apostolo Paulo Monogamia 1. ad Timoth. 3. his verbis: *Oportet unius uxoris esse virum*. Meminit etiam nuptiarum, seu *Matrimonii*. Addit etiam *curationem ægrorum*, quibus denotat Extremam Unctionem. — Sed ne longiorem in referendis veterum Doctorum sententiis hac de re sermonem protraham, unus pro cæteris sufficiet S. Augustinus; ille enim, lib. 5. *De Baptismo*, cap. 20. ait: *Si adhuc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur, nimirum per reconciliationem?* Et lib. contra litteras Petiliani, cap. 104. declarat Confirmationem his verbis: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*: et lib. 2. contra litteras Parmeniani, cap. 13. loquitur eodem modo de Ordine ac de Baptismo: *Utrumque, inquit, Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur: istud cum ordinatur*. Et paulo post: *Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non admittitur, et istud admittitur? Neutri Sacramento facienda injuria est*. Denique, lib. *De Bono conjugali*, cap. 18. et 14. et lib. *De Nuptiis*, cap. 10. manifeste docet *Matrimonium* in nova lege esse Sacramentum.

DICES: Si revera essent septem Sacramenta, illud numerum Scriptura sacra designasset: at ita non est: igitur septem Sacramenta non sunt asserenda. — **Distinguo majorem**: illum numerum designasset explicite, vel implicite, *concedo*: explicite tantum, *nego*. Et similiter *distincta minore, nego consequentiam*. Quamquam enim expressis verbis Scriptura sacra non indicet septem esse novæ Legis Sacramenta, attamen id implicite saltem significat, cum exprimit septem sacros ritus, quibus annexa est gratiæ promissio, ut supra dictum est. *Deinde*, pari ratione foret consequens, neque duo esse Sacramenta, neque tria, nec quatuor, neque omnino aliquem esse definitum eorum numerum, propterea quod Scriptura sacra certum illum numerum non expresserit. Similiter non sequitur: Scriptura nullibi dicit quatuor esse Evangelia, aut quatuordecim Pauli Epistolas, aut septem verba a Domino in cruce prolata: ergo non sunt totidem: ad id enim sufficit, quod in Scriptura res ipsæ numeratæ tradantur, nec requiritur quod eorum número determinate exprimat. *Denique*, licet non suppeterent Scripturarum testimonia, tamen ad id sufficientissima foret Ecclesiæ auctoritas, sicut docet S. Hieronymus, lib. contra Luciferianos, ubi disserens de manuum impositione ait: *Erigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolo-*

rum; et etiamsi sacræ Scripturæ auctoritas non subisset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret.

DICES 2: Apocalyps. 17. Angelus spondet Joanni, se ei reseraturum Sacramentum bestię, quæ habet septem capita, qua figura significat, inquit Kemnitius, numerum septenarium Sacramentorum spectare ad bestiam, hoc est, ad Ecclesiam Romanam, in qua sedet Antichristus. — **Nego minorem**; blasphemum enim est Sacramenta Christi designari per ipsa bestię capita; nam inter illa sunt Baptismus, et Eucharistia, quæ nec ipsi hæretici refragantur esse vera Sacramenta; unde per septem illa bestię capita nihil aliud mystice designatur, quam septem Reges, aut septem montes, in quibus infidelitas suam in Christi fideles tyrannidem maxime debebat exercere. — Si autem ex septenario numero a Scriptura memorato vellet quis septem novæ Legis Sacramenta colligere, plurima sunt, tam in novo, quam in veteri Testamento huic assertioni suffragantia testimonia; sicut enim Deus septem dierum curriculo mundum, sic et Christus Dominus septem Sacramentorum ordine recreationis ac renovationis mysterium operari voluit. Hinc præstantiora Dei opera in Scriptura septenario numero comprehenduntur; nam septem diebus præcepit comedi azima, septem lucernæ erant in Sanctuario. Num. 8. septem instituit tubas Jubilæi, Josue 6. in septem capillis constituerat Sampsonis fortitudinem, Judicum 16. septem vicibus præcepit Elisaus Naaman Syrum lavari in Jordane, et mundatus est. 4. Reg. Sapientia excidit sibi columnas septem, Proverb. 9. septem panibus Christus pavit 1000. hominum; et ne longius excurram, ipsemet S. Joan. Apocal. 1. septem candelabra aurea vidit, et ibidem septem stellas in dextera Filii hominis: et cap. 5. septem sigilla, quibus signatus est intus et foris liber quem tenet in dextera ille, qui sedet super thronum. Quibus omnibus non incongrue designari possent septem novæ Legis Sacramenta.

DICES 3: SS. Patres nusquam asserunt septem esse Sacramenta: imo passim pauciora recensent: nam S. Dionysius Areopagita in lib. *Hierarchiæ Ecclesiasticæ*, ubi de mysteriis, idest, Sacramentis Ecclesiæ ex professo disserit, non plura quam quinque pertractat, omissis videlicet Extrema-Uctione et Matrimonio. Similiter S. Justinus, Apologia 2. commemorat solam Eucharistiam et Baptismum. Item Irenæus, lib. 1. cap. 9. *Eucharistiam*, et cap. 13. *Baptismum*. Cyprianus, Serm. de ablutione pedum, numerat solum Eucharistiam, Chrisma, Pœnitentiam, et Ordinationem. Cyrillus Jerosolymitanus, qui cum in suis Catechesibus mystagogicis ex instituto de mysteriis seu sacramentis agat, non aliorum tamen meminit, quam Baptismi, Chrismatis, et Eucharistiæ. Neque plura apud S. Gregorium recensentur, refertur 1. qu. 1. cap. *Multi sæcularium*, etc. Isidorus in idem conspirat lib. 6. *Ethymologiarum*, cap. 19. Tandem S. Ambrosius, lib. *De Sacrament.*, solum meminit Baptismi, Eucharistiæ, et Confirmationis. Et S. Augustinus pluribi docet Sacramenta novæ Legis esse numero paucissima, maxime lib. 3. *De Doctr. Christ.*, cap. 6. Igitur non erat ratum apud veteres septem esse novæ Legis Sacramenta. — **Nego consequentiã**: quia neque etiam SS. Patres ajunt esse duo, vel tria, vel quatuor, aut quinque tantum Sacramenta, neque pariter negant esse numero septem; sed duorum, aut trium, aut pauciorum memi-

nerunt pro ratione argumenti. quod tractandum erat, ut patebit ex responsione ad præfatas eorum auctoritates. Inprimis enim *S. Dionysius* in illo opere non agit ex professo de Sacramentis Ecclesiæ, sed de sacris officiis, seu functionibus, quas vel Episcopi, vel Sacerdotes in mysteriis tum administrandis, tum conficiendis exercebant cum quadam consecratione. Quocirca, neque de Matrimonio, neque de Uctione infirmorum disserendum ei fuit, tametsi obiter meminisset pœnitentiæ seu reconciliationis. *Ad S. Justinum* dico, ibi dumtaxat duorum Sacramentorum ideirco meminisse, quia respondet Ethnicis accusantibus Christianos, quod essent athei, nec Deos colerent, quodque netaria plurima in suis ritibus patrarent, puta quod vorarent humanas carnes; et ideo suos solum ad eos ritus admitterent. Reponit autem *Justinus* Christianos non esse atheos, utpote qui faterentur Deum unum in essentia, et trinum in personis; ideo autem soli Christiani admittebantur ad Synaxim, quia hæc solis baptizatis erat concedenda. Exponit autem quid agebatur in Synaxi diebus Dominicis, ut nempe levaret criminationem, qua impetebantur Christiani quod in suis ritibus infantuli carnes vorarent. Cætera autem Sacramenta non attingit, quia Gentilibus erant ignota, et sic eorum calumniis non impetebantur. *Ad S. Irenæum* dico, eum specialem disputationem non instituere de Sacramentis, sed occasione data modo meminit unius, modo alterius; nam lib. 1. cap. 2. *Pœnitentiæ*; et cap. 9. meminit *Eucharistiæ*, quia refellit deliria ejusdam Marci circa Eucharistiam. Similiter cap. 18. meminit *Baptismi*, quia refellit errores plurium hæreticorum circa Baptismi administrationem: tum lib. 3. cap. 4. refert *Confessionem*, et lib. 4. cap. 32. iterum meminit Sacramenti, et sacrificii *Eucharistiæ*, quia ibidem agit de sacrificiis Legis antiquæ et novæ. *Ad S. Cyrillum Jerosolymitanum* dico, eum ideirco trium illorum Sacramentorum meminisse, quia Cafechumenos ac recentes fideles instruebat de iis, quæ solebant fieri baptismi tempore. Tria autem eodem die conferebantur Sacramenta, nempe Baptismus, Confirmatio, et Eucharistia, ut constat ex *Amphilochio*, qui in vita *S. Basilii*, sic scribit: *Maximus Episcopus baptizavit Basilium, et Eubulum, et ungens eos S. Chrismate, tradidit eis vivificam communionem.* Eadem est responsio ad *Isidorum* seu potius *Gregorium*, qui *Isidori* nomine profertur. *Ad auctoritatem* e *Cypriano* petitam dico, sermonem istum non esse *S. Cypriani*, sed alicujus Auctoris posterioris: cujuscumque tamen sit, dico ibi tractatum non institui de Sacramentis omnibus, sed tantum de iis, quæ ad cardinalia Christi opera referri poterant: eo enim nomine opus illud sermonum ad Auctorem inscriptum est. *Ad S. Ambrosium* dico, eum in illis libris non agere de omnibus Sacramentis, sed de iis dumtaxat, de quibus instruendi erant fideles recenter baptizati, et confirmati, jamque admissi ad sacram Synaxim: eo enim ordine novelli fideles initiabantur, ut ipse testatur lib. 3. *De Sacramentis*, cap. 2. unde de his tribus tantum Sacramentis in eo opere instituenda erat illi tractatio, atque de iis dicit in fine operis, eos plenissime accepisse. *Ad S. Augustinum* dico, illum lib. *De Doctrina Christiana*, non dixisse tantum esse duo Sacramenta, sed agens ibi de Sacramentis novæ Legis, ita loquitur: *quædam pauca pro multis, eademque facilima, et intellectu augustissima, ipse Dominus, ex Apostolica tradidit*

disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis et Sanguinis Domini. Quae profecto verba non sunt enumerantis omnia Sacramenta, sed tantum proferentis aliqua exempla. Quod autem plura quam duo Sacramenta agnoverit S. Augustinus, patet ex Concione 1. in Psal. 13. ubi ait: *in Baptismo, Eucharistia, et cæteris Sacramentis Ecclesie esse munera.* Hinc Epist. 116. ubi dixit *nos habere Sacramenta numero paucissima, signatione præstantissima, observatione facillima,* subjicit: *sicuti est Baptismus, et communicatio Corporis et Sanguinis Domini; et si quid aliud in divinis litteris commendatur: ubi particula si non est nota dubitantis, infra quippe recensitis aliquot Ecclesie festis, puta Passionis, Ascensionis, Resurrectionis Domini, et adventus Spiritus sanctus subjicit: Et si quid aliud tale occurrerit, quod ab universa servetur Ecclesia.* Certum est autem Augustini tempore testa Nativitatis, Epiphaniæ Domini, et similia celebrari solita.

DICES 4: Ecclesia Græca non alia quam duo Sacramenta agnoscit, nempe Eucharistiam et Baptismum: ergo, etc. *Probatum antecedens;* nam Cyrillus Luparis Patriarcha Constantinopolitanus in Confess. fidei, Latine primum, deinde Græce edita, anno 1633. cap. 15. *De Sacramentis sic habet: Credimus Evangelica Sacramenta esse ea, quæ Dominus instituit in Evangelio, et ipsa esse duo, nempe Baptismum, et Eucharistiam, amplio rem numerum Sacramentorum non habemus: ergo Institutor non plura edidit. — Respondeo, concessio antecedente, negando consequentiam,* Cyrillus enim iste descivit penitus a cæterarum Ecclesiarum Græcarum placitis, ut Calviniana dogmata amplecteretur, quod non negant adversarii; nam Casaubonus, qui talem Confessionem Londini excuti curavit anno 1675. cum utraque ejus censura tum Cyrilli Berroensis, tum Partenii Constantinop. Patriarchæ, in præfatione ad Lectorem sic habet: *Ecclesiarum tamen Græcarum, aut Orientis confessionem non fuisse. Quod utique constantissimum apparet non solum ex SS. Patribus Ecclesie Orientalis, ac ex omnibus Euchologiis et Ritualibus, sed etiam ex censura Cyrilli Berroensis, qui præfato Cyrillo successit in Patriarchatu Constantinopolitano, eumque damnavit anno 1638. mense Septembri, hac Synodali sententia: Cyrillo dogmatizanti, et credenti non esse septem Sacramenta Ecclesie, id est, Baptisma, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinationem Sacerdotum, Extremam unctionem, et Matrimonium, juxta constitutionem Christi, Apostolorum traditionem, atque consuetudinem Ecclesie, sed mentienti non esse tradita a Christo in Evangelio, nisi solum Baptismum, et Eucharistiam, anathema.* Idem habet censura Synodalis Parthenii lata an 1642. adversus eundem Cyrillum. *Idem, inquit, negat Ecclesie Sacramenta quinque, Sacerdotium, sacram unctionem, sacrum Oleum, Confessionem cum pœnitentia, et honorabiles Nuptias: quæ omnia ut Sacramenta, et divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* Hujus quoque Græcorum cum Latinis circa septenarium Sacramentorum numerum consensus primos habemus testes recentiores Græcos, non modo orthodoxos, sed etiam schismaticos: Gregorium Protosincellum Patriarcham Constantinopolitanum, in Apologia adversus Marcum Ephesinum Simonem Archiepiscopum Tessalonicensem, lib. *De septem Ecclesie Sacramentis*, Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum in triplici responso adversus Wittem-

bergenses, et confessionem Augustanam, Emmanuelem Calceam, lib. *De Fide, et principiis fidei Catholicæ*, cap. 6. Gabrielem Philadelphi Episcopum, Tract. *De sacris mysteriis*, et plures alios quos refert Arcudius, lib. 1. cap. 2.

Conclusio secunda. — RATIONE ET ORDINE CONGRUENTI INSTITUTA SUNT SEPTEM, NON AUTEM PAUCIORA, NOVÆ LEGIS SACRAMENTA. Hujus Conclusionis veritas non alia ratione *a priori* fulcitur, quam Christi Domini voluntate, quæ cum rectissima sit et ordinatissima, nil nisi quod decet et expedit, statuit ac præscribit. Nihilominus *a posteriori* nonnullæ possunt proferri rationes congruentes ejusmodi institutionis: quarum primam subministrat Concilium Florentinum supra laudatum, ubi cum dixisset, septem esse novæ Legis Sacramenta, subdit: « Quinque prima ad spiritualem uniuscujusque
« hominis in seipso perfectionem: duo ultima ad totius Ecclesiæ re-
« gimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per *Baptismum* enim
« spiritualiter renascimur. Per *Confirmationem* augetur in gratia, et
« roboramur in fide. Renati autem et roborati, nutrimur divina *Eu-
« charistiæ* alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus
« animæ, per *Pœnitentiam* spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam,
« et corporaliter (prout animæ expedit) per *Extremam-Uctionem*. Per
« *Ordinem* vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter. Per
« *Matrimonium* corporaliter augetur. »

Eandem rationem præclare expendit Subtilis Doctor in 4. dist. 2. quæst. 1. nu. 3. ubi declarans perfectionem Sacramentorum novæ Legis, maxime quantum ad eorum extensionem seu effectum, ad quem ordinantur, ait: « Sicut in vita naturali, primum est generatio, deinde
« sequitur nutritio, et corroboratio, et sanitatis perditæ reparatio: et
« hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem: præter
« hoc autem requiritur aliquod pertinens ad communitatem, quo ali-
« quis constituitur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium
« communitati: ita spiritualiter ad completam perfectionem extensive,
« oportet esse adjutorium aliquod pertinens ad generationem spiritua-
« lem, et secundo aliquid pertinens ad nutritionem, tertio pertinens
« ad roborationem, quarto ad reparationem post lapsum. Præter hoc
« autem quinto requiritur aliquid esse, quo exiens finaliter præpa-
« retur: quia vita ista spiritualis quædam via est ordinans, ut bene
« vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua
« præparatur. Hæc ergo quinque requiruntur tamquam adjutoria ne-
« cessaria personæ cuiusque pro se. Ad bonum autem communitatis
« observantis istam legem, est multiplicatio carnalis, quia ista præ-
« supponitur bono spirituali, sicut natura gratiæ; et multiplicatio spi-
« ritualis aliquorum in ista lege. Sic ergo congruum fuit septem
« adjutoria conferri observantibus legis Evangelicæ, in quibus esset
« perfectio, non tantum intensiva, sed etiam extensiva, et sufficiens
« ad omnia necessaria pro observantia hujus legis; hæc autem sunt
« (ut dicit Magister in littera) Baptismus pertinens ad generationem
« spiritualem, Eucharistia necessaria ad nutritionem, Confirmatio ad
« roborationem, Pœnitentia ad lapsi reparationem, Extrema-Uctio ad
« finalem præparationem, Matrimonium ad multiplicationem in esse

« naturæ vel carnali, et Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ,
« vel spirituali. »

Alias similes congruas rationes affert Seraph. Doctor plurimi, maxime 3. p. *Controloqui*, sect. 17. ubi ait: « sufficientia Sacramentorum sic
« accipitur: Sacramenta sunt *Medicamenta contra morbum*; morbus
« autem est duplex, scilicet morbus *culpæ*, et morbus *pænæ*. Morbus
« culpæ est duplex, scilicet originalis culpæ, contra quam est Bapti-
« smus: et actualis culpæ, contra quam est Pœnitentia: quædam actualis
« venialis, contra quam est Extrema-Untio. Morbus pænæ est qua-
« druplex, scilicet ignorantia, contra quam est Ordo, malitia, contra
« quam est Confirmatio: concupiscentia, contra quam est Matrimonium.
« Sacramenta sunt etiam *adjuvamenta*, quia sunt in adiutorium septem
« virtutum. In adiutorium fidei, est Baptismus. In adiutorium spei,
« est Extrema-Untio. In adiutorium charitatis Eucharistia. In auxi-
« lium prudentiæ, Ordo. In auxilium temperantiæ, Matrimonium. In
« auxilium fortitudinis, Confirmatio. In auxilium justitiæ, Pœnitentia.
« Sunt quoque Sacramenta *armamenta Ecclesiæ militantis*, quæ in
« Canticis dicitur, *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Et quidem
« terribilis, quia fortis, munita per Sacramentum Confirmationis. Acies,
« quia conjuncta, et unita per Sacramentum Eucharistiæ: ordinata
« per Ordinem. Ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem; ad
« hos restaurandos est Matrimonium: quidam prosternuntur per cul-
« pam; ad hos relevandos est Pœnitentia. Hanc aciem quidam ingre-
« diuntur, ut prælientur, et hoc per Baptismum: quidam egrediuntur
« ut coronentur, et hoc per Extremam-Untionem. »

Addunt alii cum S. Thoma, hunc septenarium numerum Sacramentorum recte colligi ex vita supernaturali animæ acquirenda, et ad perfectionem deducenda, cum similitudine et analogia ad vitam corporalem. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur: primo quidem, quoad personam propriam: secundo, quoad communitatem societatis, in qua vivit: homo enim est animal ad societatem natum. Respectu autem sui ipsius homo dupliciter in vita corporali perficitur: primo quidem, per se acquirendo aliquam vitæ perfectionem: secundo per accidens, removendo nempe omnia vitæ impedimenta, scilicet morbos, aut eorum reliquias. Vita autem corporea primo perficitur quantum ad sui esse *per generationem*, per quam homo incipit esse, et vivere; cui in vita spiritali correspondet Baptismus, qui ab Apostolo ad Titum 3. vocatur lavacrum regenerationis; unde Christus Dominus Joan. 3. dicebat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*. etc. Deinde, vita spiritalis perficitur per augmentum, quo perducitur ad perfectam quantitatem, et virtutem: cui assimilatur Confirmatio, in qua datur Spiritus sanctus ad animi fortitudinem et constantiam; ideo Discipulis suis baptizatis dixit Christus: *Sedete hic, donec induamini virtute ex alio*. Tertio vita corporea, per quotidianum cibum est nutrienda ac fovenda, ne pereat, cujus vices in spiritali vita gerit Eucharistiæ Sacramentum: nam, inquit Christus Dominus Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis... caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Quemadmodum autem vita temporalis hominis multis est miseriis et infirmitatibus obnoxia; unde duobus

indiget tamquam remediis: primo quidem medicina ad recuperandam sanitatem: et altero ad removendum languorem ex infirmitate, quod fit per dietam, et exercitium: ita in spirituali vita proportionaliter reperiri debent hæc duo: uno quidem tamquam spiritali medicina, scilicet Pœnitentia, quæ sanitatem restituit, et peccati morbum eliminat, et altero ad reliquias morbi ejusque languorem amovendum; quod utique fit per Extremam-Uctionem, quæ removet peccatorum reliquias. Cæterum quia homo ordinatur ad societatem, ac in ordine ad illam dupliciter perficitur, nimirum vel suscipiendo potestatem administrandi aliqua officia in Republica, vel multiplicandi Rempub. priori correspondet Sacramentum Ordinis: posteriori vero Sacramentum Matrimonii: est enim simul officium naturæ, et gratiæ beneficium ac signum.

DICES 1: Tot sunt Sacramenta, quot peccati defectus; ordinantur enim contra peccati defectum: atqui duo sunt tantum peccati defectus, culpa et pœna. — **Nego minorem:** quia culpa et pœna diversitatem habent: et secundum speciem, quia diversæ sunt species culparum et pœnarum: et secundum diversos hominum status, et diversas habitudines: unde Sacramenta multiplicari oportuit.

DICES 2: Tot sunt Sacramenta, quod actiones Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quia Sacramenta pertinent ad eas actiones, ex S. Dionysio: sed tres tantum sunt actiones Hierarchiæ, *Purgatio, illuminatio, perfectio.* — **Nego majorem:** quia tria considerantur in actionibus Hierarchicis, agentes, recipientes, et actiones. *Agentes* sunt Ecclesiæ Ministri, ad quos pertinet Ordo: *recipientes* sunt ii, qui accedunt ad Sacramenta, qui producuntur per Matrimonium: *actiones* sunt purgatio, illuminatio, perfectio: sola purgatio non est Sacramentum novæ legis, quod gratiam confert, sed potius spectat ad Sacramentalia, quæ sunt Catechismus, et Exorcismus: purgatio autem et illuminatio simul Ecclesiasticæ Hierarchiæ pertinent ad Baptismum, et propter remedium secundario pertinent ad Pœnitentiam et Extremam-Uctionem: at perfectio quoad virtutem, quæ est veluti formalis perfectio, pertinet ad Confirmationem, quoad assecutionem finis ad Eucharistiam.

Conclusio tertia. — NON SUNT PLURA SACRAMENTA, QUAM SEPTEM. Hæc sufficienter constat ex præcedentibus Conclusionibus, et probatur: si aliqua præter septem memorata essent novæ Legis Sacramenta, maxime aliqua eorum, quæ a SS. Patribus nomine Sacramenti donantur: nempe lotio pedum, aqua benedicta, eulogiæ, et martyrium: sed nulla horum usurari possunt proprie dicta Sacramenta: igitur, etc. *Major constat. Minor* vero ut clarius innotescat, sub distinctis §§ est probanda.

§ 1. — LOTIO PEDUM NON EST PROPRIE DICTUM SACRAMENTUM. — **Probatur primo,** quia nulla Concilia, nullæ Ecclesiasticæ institutiones, nullæ preces, nullæque Catechisticæ doctrinæ, quibus maxime Apostolica traditio continetur et declaratur, ejusmodi cæremoniam Sacramentis Evangelicis accensent *Probatur secundo:* Sacramentum novæ Legis debet esse signum certum, divinitus institutum, cui annexa sit promissio gratiæ sanctificantis, et virtus eam conferendi ex divina institutione ab universa Ecclesia frequentandum: sed omnia hæc pedum

Lotioni non conveniunt: *primo* namque non habet certam promissionem gratiæ; illa namque promissio nusquam in Scriptura, seu traditione legitur: *secundo*, non habet etiam efficacitatem gratiæ conferendæ; nam instituta fuit a Christo in signum purgationis faciendæ ante institutionem Eucharistiæ, et in signum humilitatis Christi; non vero ad conferendam gratiam. *Denique*, non habet mandatum, aut institutionem hujus ritus usurpandi; unde etiam nusquam frequentatum fuit ab universa Ecclesia, maxime Rom. observat S. Ambr., lib. 3. *De Sacramentis*, cap. 1. Et S. Aug., Epist. 119. cap. 18. *De lavandis pedibus*, hoc profert: *Cum Dominus formam humilitatis, propter quæ docendam venerat, commendaverit, ut ipse consequenter exposuit, quæsitum est quomam tempore potissimum res tanta etiam facta doceretur. Et in illius tempus occurrit, quo ipsa commendatio religiosius inhæreret: sed ne ad ipsum Baptismi Sacramentum videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem præcipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt: aliqui autem ut sacratori tempore commendarent, et a baptismi sacramento distinguerent, vel diem tertium octavarum, quia ternarius numerus in multis Sacramentis maxime excellit, vel etiam octavum, ut hoc facerent, elegerunt.*

DICES: Tria sunt ad perfectum Sacramentum desideranda: primo, ut sit signum sensibile a Christo ordinatum, et gratiæ sanctificantis significativum: secundo, ut gratiam sanctificantem significatam revera suscipientibus conferat: tertio denique, ut præcepta sit illius frequentatio et susceptio: sed hæc tria occurrunt in lotionem pedum a Christo facta. *Primo* namque erat signum sensibile; siquidem Christus Dominus misit aquam in pelvim, et lavit Discipulorum pedes, quæ ablutio non minus sensibilis erat, quam ea quæ fit in Baptismate: *secundo*, gratiam significabat et mundationem interiorem: nam ibidem Christus Dominus ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Quibus significat necessariam esse lotionem pedum ad expiationem, quæ secundum S. Augustinum sunt veluti sordes pedibus. idest, humanis affectibus adhærentes, ob humanam conversationem, et contrectationem bonorum sensibilium: quemadmodum adhærent corporeis nostris pedibus, ex tactu et conculcatione terreni pulveris. *Tertio denique*, eadem videtur obligatio, idemque mandatum hanc lotionem frequentandi, ac Baptismalem; quemadmodum Christus dixit de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non introibit in regnum cælorum:* ita Petro respuenti hanc lotionem dixit: *Si non laveris te, non habebis partem mecum.* — **Nego minorem**, Christus enim non idcirco lavit eorum pedes, ut lotio esset signum efficax gratiæ conferendæ, sed ut humilitatis præberet exemplum, et ad internam animi munditiam hortaretur, et ut Apostoli digne fierent sui Corporis in proxime instituenda Eucharistia participes. Nec Petro dixit *scies autem postea*, ut per lotionem pedum eum gratiam expecturum assereret; sed ut præsignificaret. quid erat facturum instituendo, et Petro donando Eucharistiam: siquidem cum Petrus Corpus et Sanguinem Christi de manu illius accepit, tunc mysterium hujus lotionis, et debita præparationis ad Eucharistiam per hanc lotionem designatæ intellexit. Similiter cum dixit: *non habebis partem mecum*, noluit lotionem ad salutem esse necessariam exprimere, sed vel ut

Petrum ad debitam obedientiam sua comminatione sollicitaret, eumque propter contumacem inobedientiam ab æterna beatitudine arcendum commonefaceret, ut interpretatur S. Basilius in regulis brevius disputatis resp. 60. et 33; *vel* ut significaret eum non habiturum partem in mensa sua, et cœna parata, nec in Corpore suo quod in eadem cœna erat consécrationis, et aliis distributurus; cum enim moris esset apud Judæos ad mensam non accedere, nisi prius lotis manibus et pedibus, Christus eandem cæremoniam a Discipulis servari voluit; ipseque servare voluit eorum pedes lavando, ut profundæ humilitatis consilium et exemplum eis præberet: qua ratione dixit ibidem: *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister, et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum* enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.*

INSTABIS: Hæc responsio militat in SS. Patres. Nam S. Cyprianus sive alius auctor sermonis *de ablutione pedum*, qui est inter illius opera reconditus, in principio hæc habet: *Ne quid consummationi doctrinæ deesset, inter fixa et immobilia præcepta, et ea, quæ moveri possunt, et repeti, distinctionem p̄suit, ut cæteris immutabiliter semel statutis (idest Baptismate, Confirmatione, et Ordine, quæ infra dicit esse initerabilia) ultima lavacri species quotidianis expiationibus commodata, commendaretur fidelibus. Et sicut lex per singulas offensiones propria sacrificia requirebat, unum figuraretur fidei Christianæ remedium, ad quod curreret quoties se cognosceret offendisse. Et circa medium hæc habet: Ait Dominus: Nisi laverō te non habebis partem mecum. Paulatim mysterii hujus declaratur necessitas, quam conditio proposita inevitabilem reddit: et si cum Christo aliter partem habere non possumus, nisi ipse pedes nostros abluat, quandoquidem sic arcatur consensus, lavet, et tergat, et Sacramenti hujus nobis virtutem exponat. Supra diximus, lotos Baptismate eodem lavacro non indigere: sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum. — Respondeo auctorem illum quisquis sit, hanc lotionem idcirco Sacramentum nominare, quod ille pœnitentiæ lavacri figuram gerat. Eam enim per sensum accommodationis cum pœnitentiæ Sacramento, aut virtute confundere satis patet, tum ex præcedentibus verbis, quibus cum asseruisset Baptismum non esse iterabilem dixissetque: *Iram Dei iterum in eos exardescere, qui contempta Baptismatis indulgentia, proprio abutuntur arbitrio, et voluntate, non necessitate ducuntur; addit nunc: Contemptum suum non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas judicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiæ ostia, meatusque multiplices, sed obiciat fugientibus, et cogit regredi desperatos. ostendens eis pœnitentiæ viam, qua nulla latior invenitur, et reversis dat, ut iterum eis possint Sacramenta injuriata prodesse: quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum. Propter hoc, benignissime Domine, pedes lavas Discipulis; quia post Baptismum, quem sui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procurasti, quod nunquam debeat intermitteri. Tum subjicit prædicta verba in objectione posita, nam hæc habet: Sed hoc lavacrum quotidianis est excessibus institutum, et jugis retractatio usque ad novissima veniens, omnia debet opera, et cogitatus singulos perscrutari, et effectus per vitia discurrentes,**

ragam instabilemque animam per inania erchentes corrigere, et lavare, nec quidquam in vita prætermittere, quod gemitibus et suspiriis non fuerit expiatum.

URGEBIS: S. Ambr., lib. 3. *De Sacram.* suo calculo prædictam in objectione sententiam firmat: nam ubi hæc præmisit Christi ad Petrum verba; *Nisi laverò te non habebis partem mecum*, subdit: *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur, et formam: Hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide autem ne propter multitudinem declinarit. Sunt tamen qui dicant, et excusare contentur, quia hoc non in mysterio (idest Sacramento) faciendum est, non in Baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est sanctificatio: Nisi laverò te non habebis partem mecum. Hoc ideo dico non quod alios reprehendam, sed ut mea officia ipse commendem: in omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen, et nos homines sensum habemus, ideo quod ibi rectius servatur, et nos recte custodimus. Ipsum sequimur Apostolum Petrum, ipsius inheremus devotioni. Ad hoc Romana Ecclesia quid respondet? Utique ipse auctor est hujus assertionis Petrus Apostolus, qui Sacerdos fuit Ecclesie Romanæ. Ipse Petrus ait: Domine non solum pedes, sed et manus, et caput. — Respondeo, ex eo non colligi S. Ambrosium absolute docere hanc lotionem esse Sacramentum; quippe cum fateatur eam non esse Ecclesie Romanæ fidem, quam in omnibus secuturum se profitetur; sed tantum vult intermissam Romæ lotionem pedum, in sua servari Ecclesia, tum ut Christi, ac Petri exemplo morem gerat; tum ut gratiam non ratione lotionis, sed virtute humilitatis, ac Christi imitationis obtineat. Ideo dicit consuetudinem, quæ rectius servatur in Romana Ecclesia de non lavandis pedibus, in Mediolanensi Ecclesia de ipsis lavandis etiam recte custodiri propter exemplum Christi ac Petri.*

INSTABIS ITERUM: S. Bernard., Serm. 1. in Cerna Dom., evidentius prædictam tuetur sententiam his verbis: *Ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum pedum ablutionem. Queris forte unde sciam, quod Sacramentum sit hujus remissionis? post pauca respondet) Vis autem nosse, quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende, quod Petro dictum est, Si non laverò te, etc. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei. Post pauca: Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, et a quibus plene cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, idest intentio, et manus; idest operatio, et conventio munda est. Sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt; quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oportet cedat animus. — Respondeo, S. Bernardum esse intelligendum de Sacramento generaliter et improprie nominato, quatenus est aliquod signum sacrum aliquid significans, non vero de Sacramento proprie dicto, idest pro signo effica-*

citer gratiam significante: sciebat namque Bernardus in Ecclesia Romana septem tantum excipi et credi Sacramenta: equidem ergo contrarium docuisset?

Nec refert, quod asserat hanc pedum abluitionem esse ad salutem necessariam, et peccatorum venialium remissivam: non enim hanc necessitatem esse absolutam arbitratur, alias sibi ipsi contradiceret: quippe cum doceat eam institutam ad sola venialia expianda, propter quæ sola certo certius est nullum a Christi et Dei regno esse arcendum. Ideo autem dicit eam venialia expungere, quia est actio humilitatis et charitatis, ac proinde meritoria et venialium remissiva.

§ II. — AQUA BENEDICTA NON EST ETIAM PROPRIE DICTUM SACRAMENTUM. — **Probat**ur, quia Ecclesia non habet potestatem et auctoritatem instituendi signum aliquod, vel cæremoniam certam et determinatam, quæ vim infallibilem habeat gratiam sanctificantem conferendi, ac peccatorum remissionem largiendi, cum id sit solius Dei: sed consecratio et usus aquæ benedictæ non a Christo Domino, sed ab Ecclesia suam habet institutionem: igitur, etc. *Major patet* si enim id posset Ecclesia, eandem virtutem plurimis aliis cæremoniis conferret, quas proinde ex opere operato gratiam largiri fatendum esset: quod tamen nullus Theologorum aut SS. Patrum admittit. *Deinde*, si valeret aqua benedicta ad gratiæ sanctificantis largitionem et peccatorum venialium remissionem ex opere operato, simili ratione valeret ad alios effectus, ad quos ordinatur et consecratur, videlicet ad fugandos dæmones, eorumque tentationes repellendas, et alia ab eis inferenda nocumenta avertenda; eoque magis, quod hæc in ejus benedictione exprimentur, remissionis autem venialium non fiat mentio, sicut nec gratiæ largitionis. *Minor etiam patet*: nam hujus sacri ritus institutio revocatur ad Alexandrum I summum Pontificem, qui hujus sacræ cæremonie auctor dicitur: nam hic summus Pontifex V post S. Petrum, loquendo de ejusmodi aqua benedicta, ait: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur. Quod et omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat: multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem veram aufert humanarum, et coinquinos sanctificat atque mundat, et purgat, et cætera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit, a phantasmatum versutiis homines defendit?* Quibus verbis præcipuos enumerat effectus aquæ benedictæ. *Nec obstat*, quod ei tribuat vim sanctificandi: hæc enim sanctificatio et mundatio per se ei non competit ex opere operato: sed tantum ratione actus et effectus assumptis ejusmodi aquam: unde inter Sacramentalia quidem refertur: non vero inter Sacramenta debet censi.

§ III. — MARTYRIUM HABET QUIDEM VIM ET EFFICACITATEM SACRAMENTI; NON TAMEN EST SACRAMENTUM PROPRIE DICTUM. — **Prima pars constat**: certo namque certius est martyrium pro Christi nomine passum ac consummatum habere vim gratiam sanctificantem confe-

rendi. Quod utique probabitur q. 2. sequentis Disputationis. Conclusionem 2. ubi declarabimus martyrium supplere vicem Baptismi aquae tam in parvulis, quam in adultis. — **Secunda pars** vero ejusdem assertionis est evidens; Sacramentum enim proprie dictum debet esse certum signum et efficax gratiae conferendae, et habere determinatam materiam et formam cum debita intentione Ministri: sed martyrium nec est signum gratiae conferendae, a Christo Domino ad id determinatum et institutum: quis enim dixerit actionem peccaminosam ex parte agentis, qualis est actio, qua vis infligitur martyri, esse signum divinitus ordinatum ad gratiam conferendam? Neque etiam determinatam habet materiam et formam; cum innumera sint a dæmone et tyrannis excogitata tormentorum genera ad Martyres torquendos et necandos: nec etiam competentem Ministrum habet a Christo Domino designatum: quis enim dixerit Christum Dominum instituisse lictores tamquam gratiae ministros: eos maxime, quorum operatio fieri nequit absque gravissimo peccato mortali, utpote cum sit occisio hominis innocentis in odium Dei et Christianae Religionis? *Addit Seraphicus Doctor in 4. dist. 4. par. 2. quæst. 3. Quod Baptismus sanguinis non est Sacramentum, quia ei deficiunt omnia ea quæ sunt de integritate Sacramenti, scilicet repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex verbi prolatione: quorum quodlibet deficit, ut in opponendo tactum est, et inspicienti patet; et ideo Sacramentum non est.*

§ IV. — PANIS BENEDICTUS ET EULOGIE NON SUNT SACRAMENTUM PROPRIE DICTUM. — **Panis benedicti**, in symbolum Catholicæ communionis fidelibus tradi soliti, primus omnium meminisse videtur Melchisedes Papa, qui sedem Pontificiam tenuit ab anno Christi Domini 311. ad annum 314. Hic autem, ut refertur in libro *De Romanis Pontificibus*, fecit ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Similia refert de Siricio, qui ab ann. 387. ad ann. 397. summum Pontificatum administravit: is enim constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratam Episcopi loci designati susciperet, quod declaratur fermentum. Similiter Innocentius I qui ab ann. 402. sedit ad ann. 419, respondens ad interrogata Decentii Episcopi Eugubini, hoc habet Epist. 1. cap. 5. *De fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti: cum omnes Ecclesie nostræ intra Civitatem sint constitute, quarum Presbyteri, quia die ipso propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, ideo fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ne se a nostra communione, maxime illa die judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cæmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, ut et Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam.* Denique idem apparet ex antiquo Rituali Romano, in quo hæc habentur verba: *Quinta Dominica in quadragesima datur fermentum, in Consistorio Lateranensi.* Cæterum quod fermenti nomine nihil aliud significetur, quam panis ab Episcopis vel Presbyteris benedicti solitus, qui dividebatur fidelibus ad sacram Eucharistiam

non accedentibus, ut ejusmodi fermenti et eulogiarum participatio symbolum esset Catholicæ communicationis, satis aperte colligi videtur ex antiquo Canone Pii Papæ et Martyris titulo inscripto, qui habetur tomo primo Conciliorum his verbis: *Ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, et consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis Presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido et convenienti, ut post Missarum solemniam, qui communicare non fuerint parati, eulogias die Dominica, et in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Ejusmodi autem panis, idcirco dicebatur fermentum, vel per accommodationem ad illam parabolam Evangelicam, qua Dominus noster Jesus Christus Matth. 13. assimilat regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum, regnum namque Christi præsentis temporis, illud esse definitur, quod communicatione Catholica unius massæ coagulatione constringitur; unde qui panem benedictum accipiebat, significabat eo symbolo se esse cum aliis Christi fidelibus fide et charitate conjunctum: vel potius idcirco dicebatur fermentum, ut distingueretur ab Eucharistia, quæ in azimis conficiebatur. — Ejusmodi autem Catholicæ communicationis Symbolum non solum frequentabatur Romæ, et in Occidentali Ecclesia, sed etiam in Orientali, ut declarari videtur in Conc. Laodiceno, cap. 29. in quo dicitur: *Sanctas oblationes ad vicem Eulogiarum per festivitatem Paschalem ad alias Parochias mitti minime oportere.* non alia, ut arbitror, ratione, quam quod eo die omnes fideles ad sacram Synaxim accederent, ac proinde eis non erat opus alio communicationis ac unitatis in fide symbolo: cæteris autem diebus Dominicis ac festivis licitum erat eulogias ministrare: imo et aliis diebus terialibus, excepto Quadragesimali tempore, ne videlicet jejunium frangeretur, ut colligitur ex eadem Synodo c. 49. ubi statuitur: *Non oportet in Quadragesima panem offerri, nisi Sabbato et Dominica tantum.* Non enim servabatur jejunium in Orientali Ecclesia die Sabbato, sicut nec in Occidentali feria quinta, ut constituerat Melchiades summus Pontifex; nam de ipso legimus in libro *Romanorum Pontificum: Hic constituit, ne ulla ratione die Dominica, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant.*

Duplicis autem generis erant eulogiæ: aliæ quidem publicæ, quæ scilicet in publico Ecclesiæ ministerio distribuebantur; aliæ vero privatæ, quas amici inter se ultro, citroque dare atque accipere consueverant. * * Eulogiæ publicæ iis vulgo distribuebantur qui ob impedimentum quoddam diebus festis et Dominicis communicare non erant parati, ex decreto Pii Papæ apud Buchardum, lib. 5. cap. 27. et Concilio Nannetensi, cap. 9. atque adeo ipsis catechumenis qui jus sumendæ Eucharistiæ non habebant, quibus id erat loco Sacramenti, vel etiam Sacramentum quoddam, uti appellat S. Augustinus, lib. 2. *De Peccat. remiss.*, cap. 26. laxiore videlicet Sacramenti acceptione, eo quod panis ille precibus sanctificabatur. Illud autem fuisse in supplementum Eucharistiæ colligitur ex eo quod panis benedictus fieri in die Paschatis vetatur, quia, ut jam diximus, omnes christiani eo die debebant Corpus Christi recipere. Distribuebantur autem eulogiæ post Missam per sa-

cerdotem: *Eulogias post missam*, inquit Leo IV Papa de cura pastorali. *in diebus festis plebi distribuite*. Et summa animi submissione et cultu ex manu sacerdotis oris osculo prius salutata recipiebantur. ut testatur Cabasilas. Quippe, ait S. Augustinus, lib. 2. *De Peccat. remiss.*, cap. 26. *hic panis quamvis non sit Corpus Christi, sanctus est tamen et sanctior cibis quibus alimur*. Unde *θειος αρτος* divinus panis dicitur Pachimeri, lib. 5. *Hist.*, cap. 8. atque inde quemadmodum Eucharistia a jejunis manducabatur; et si quis non jejunus accepisset vicino porrigebat ad manducandum; quod etiamnum observari in Ecclesia græca tradunt Allatius, lib. 3. *De Consensu Ecclesiarum Occid. et Orient.*, cap. 9. et 1. et Goavus ad euehologium. Eulogiarum primam institutionem Synodo Antiochenæ sub Constantio celebratæ videtur adscribere Balsamon, ad Can. 2. — Eulogiarum vero *privatarum* perantiquum fuisse usum plura probant exempla *; inter alia vero S. Paulini Nolæ Episcopi, Epist. 1. ad Severum, hæc scribentis: *Panem campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus*; et Epist. ad S. Aug. *Panem unicum, quem unanimi- tatis indicio misimus, charitati tuæ rogamus accipiendo benedicas*. Et ipsemet S. Aug., Epist. 31. ad eundem Paulinum eulogias mittens scribit: *Panis, quem misimus, uberior benedictio fiat dilectione acci- pientis benignitatis vestræ*. * “ De eulogiis illis plures alii mentio- nem faciunt, sed præsertim S. Basilius, in *Regula*, cap. 133; idem S. Paulinus Nolanus in Epistolis ad Alypium et ad Romanianum; S. Fructuosus, in *Regula*, cap. 23; *Regula* S. Columbani, cap. 10. et Magistri, cap. 76; Gregorius Turonensis, lib. 4. *Hist.*, cap. 16. et alibi; Fortunatus, lib. 11. *Poëmatum*, § 12. ” *

His omnibus constat, quod etsi ejusmodi eulogiæ appellantur *Sa- cramenta*, non tamen perfecti Sacramenti vim et significationem habe- bant; sed tantum Sacramenti nomen inditur, quod ejusmodi eulogia- rum participatio symbolum esset Catholicæ communicationis fidelium inter se, ut nempe qui sacratissima Eucharistia minime communicas- sent, saltem alio communionis signo censerentur esse fideles. Quapropter Concilium Laodicenum, cap. 31. statuit: *Quod non oporteat ab hæreticis eulogias accipere, quia sunt maledictiones potius, quam benedictiones*. Nec obstat quod fermentum illud, seu panem fermentatum, *oblaciones consecratas per Ecclesias, ex consecratu Episcopi* appellant Melchiades summus Pontifex, necnon et Syriacus; apud eos enim idem est con- secratio quod benedictio, et fermentum consecratum quod benedictum; dicebantur autem oblaciones, quia, ut notavimus ex Canone S. Pii, ejus- modi panes a populo offerebantur, ut Episcopali vel Sacerdotali bene- dictione accepta minutatim fidelibus erogarentur.

Ex iis igitur omnibus constat, nihil aliud fuisse fermentum, quam fermentatum panem benedictum, quem ob communicationis symbolum ab Episcopo acceptum impertirentur cuncti Parochiales Presbyteri, eandemque sub se constitutis fidelibus distribuere. Ipsum vero pa- nem diversis nominibus fuisse appellatum, nimirum *fermentum*, ad distinctionem panis azimi, ex quo solet fieri Eucharistia, di- ctumque esse *Sacramentum*, ob sacræ rei signum, nempe Catholicæ unionis, et benedictione consignatum, ob idque *benedictionem* itidem, et *eulogias* dici consuevisse.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTORUM INSTITUTIONE, SEU CAUSA EFFICIENTE, VIRTUTE, ET EFFECTU.

EXPLICATA Sacramentorum essentia, et asserto eorum numero, jam investiganda est ipsorum origo, fecunditas, et effectus, in quibus maxime illorum dignitas et præstantia mirum in modum elucet. Quid enim illustrius, et ad commendationem nobiliter et præclarius existimari potest, quam quod eorum nostræ salutis adminiculorum solus Deus auctor et institutor asseratur, nec creaturæ cujusvis præstantissimæ virtus ad illam institutionem et ordinationem quidquam conferre queat? Quid censeretur hominum admiratione dignius, quam quod ejusmodi signorum, quantumvis aspectu exiliis, tanta sit virtus, ut hominem peccatorum fæce deturpatum non emundet solum, sed et cælesti gratiæ sanctificantis luce ac decore pertundat, et quod stupendum magis, ipsum in Dei filium consecret, et hæredem constituat ac consortem? Unde merito dixit Tertullianus, lib. *De Baptis.*, cap. 1. *Nihil adeo est, quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videatur, et magnificentia, quæ in effectu repromittitur; ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo, vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis, etc.*

Tria itaque hic sunt determinanda: *primum*, utrum solius Dei sit Sacramenta instituere: *secundum*, quænam sit eorum efficacia respectu gratiæ producendæ: *tertium*, quænam Sacramenta characterem producant.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM SOLIUS DEI SIT SACRAMENTA INSTITUERE.

NOTANDUM 1. Circa institutionem Sacramentorum, duplicem potestatem distingui posse: aliam quidem auctoritatis, aliam vero ministerii. *Potestas auctoritatis* dicitur, quæ est independens a quacunque alia, et per propriam virtutem quædam seligit signa, eisque gratiam producendi vim et efficaciam confert. *Potestas vero ministerii* est illa delegata virtus a principali causa ad Sacramentorum vel confectionem, vel administrationem. *Insuper* potestas ministerii duplex statuitur: una quidem *principalis et excellentiæ*: alia vero *communis*. *Principalis excellentiæ* ea est, quæ competit alicui cum singulari prærogativa supra cæteras causas, quæ ad Sacramentorum vel designationem vel confectionem concurrere possunt. *Potestas vero ministerii communiter dicti* ea est, quæ competit cuilibet ministro, quatenus dumtaxat minister est Sacramentorum, hoc est administrator et dispensator. Hinc duplex exurgit difficultas: *prima*, utrum solus Deus conferre possit alicui creaturæ potestatem auctoritatis instituendi Sacramenta, puta humanitati Christi: seu utrum Christus Dominus quatenus homo ex sua virtute habuerit principalem potestatem excellentiæ.

NOTANDUM 2. Ex Doctore in 1. dist. 1. q. 3. num. 1. quod aliud sit signum practicum instituere ad producendam gratiam; aliud vero illud signum reddere certum et efficax ad eandem gratiam producendam. « Possibile enim est, inquit Doctor, quandoque aliquem non
 « veracem uti illo signo: signationem enim habet ex institutione: sed
 « quod sit certum, non habet nisi ex determinatione alicujus causæ
 « cooperantis illi signo ad causandum significatum; v. g. si ab aliquo
 « Legislatore instituat in politia sua pro signo pacis tactus manus,
 « vel hujusmodi, etsi ex ista impositione habet istud signum, quod
 « practice significet pacem, tamen si alius non verax potest uti isto
 « signo, istud signum non est certum ex impositione Legislatoris;
 « sed remanet æquivo-cum; quandoque scilicet verum, quando habet
 « concomitans signatum, quandoque falsum; falsus enim utitur isto
 « signo, sive signato, sicut uteretur signo speculativo, sive signato,
 « dicendo: *concedo tibi dilectionem meam*, habens aliud, scilicet op-
 « positum, in mente. » Hæc Doctor, quibus significat duo esse in Sacra-
 mentorum institutione distinguenda; *primum* est signi sensibilis de-
 signatio ad gratiam significandam et conferendam: *secundum* est
 virtus et efficacia illius signi, ratione cujus dicitur certo et infal-
 libiliter gratiam significare, et inferre, quantum est in se. Primum
 autem se habet dumtaxat incomplete et imperfecte ad institutionem
 Sacramenti; quippe cum de ipsius ratione sit, non solum quod sit si-
 gnum gratiæ sanctificantis, sed quod sit signum certum et efficax
 illius, quod utique obtinere non potest, nisi ab eo qui habet virtutem
 physicam producendi gratiam, et eam productionem huic signo an-
 nectendi.

NOTANDUM 3. Sacramenta duobus modis a Deo censi posse in-
 stituta, nimirum vel *immediate* per seipsum; vel *mediate* per aliquem
 Angelum, aut hominem. *Immediate* quidem, puta si Deus designaret
 aliquod signum sensibile, ad cujus applicationem certo et infallibiliter
 produceret et conferret gratiam. Quod utique fieri potest duobus modis:
 nempe vel *immediate* a Deo, ut Deus est, vel a Deo quatenus est Deus-
 homo, idest, quatenus divina persona, quæ *immediate* ea Sacramenta
 instituit, in assumpta humanitate subsistit. Quod rursus concipi potest
 duobus modis: *primo*, ita ut illa designatio Sacramentalis signi, et vis
 ei annexa producendi gratiam, tota refundatur in personam divinam;
 sola autem illius manifestatio fieret per humanitatem assumptam; *vel*
 ut ipsa assumpta humanitas a divina persona communicatam habeat
 virtutem ejusmodi signa efficacia instituendi, quasi sibi propria, ita ut
 hujus institutionis censeatur causa princeps. *Similiter* Deus concipi
 potest instituere Sacramenta *mediate* duobus modis; nempe vel *in-*
complete, si videlicet concederet alicui creaturæ facultatem designandi
 et assumendi aliquod signum sensibile, ad cujus præsentiam et po-
 sitionem ipse certo et infallibiliter gratiam produceret: vel *complete*,
 si nempe ipsi creaturæ, cui concedit facultatem signum instituendi,
 concederet etiam vim et efficaciam producendi gratiam.

His ita præmonitis, tria supersunt statuenda; *primum*, quod solus
 Deus potestatem auctoritatis ac principalem habeat instituendi Sacra-
 menta proprie dicta, ita sibi propriam et peculiarem, ut nulli crea-
 turæ possit eam delegare: *secundum*, quod Christus Dominus quatenus

homo non sit causa princeps et physica, sed moralis institutionis Sacramentorum: *tertium*, quod omnia Sacramenta quatenus est Deus immediate instituerit.

Conclusio prima. — SOLUS DEUS COMPLETE ET PROPRIE POTEST INSTITUERE SACRAMENTA. Hæc est Doctoris loco supra laudato, num. 5. ubi ait: « Quantum ad signationem, possibile esset quod
« ab aliqua creatura institueretur Sacramentum, quia sicut posset homo
« imponere signum speculativum effectus Dei, ut patet de ista oratione;
« *Deus causat gratiam in animas*, ita posset imponere signum, quod
« practice signaret Deum invisibiliter agere: sed non posset dare illi
« signo, quod esset regulariter certum; non enim potest dare certi-
« tudinem alicui signo pratico, nisi in cuius potestate est posse cau-
« sare signatum illius signi: solus autem Deus potest se determinare
« ad causandum effectum sibi proprium: ergo solus Deus potest dare
« certitudinem signo pratico sui effectus. Sic ergo patet, quod a Deo
« solo potest institui Sacramentum, quantum ad signum certum ». *Et*
infra num. 6. ibi: « quod si hoc signum certum est de ratione Sacra-
« menti, uti videtur ex illa particula, *efficax*, sequitur, quod de ra-
« tione ejus proprie dicta, a solo Deo possit institui. Si autem est de
« ratione ejus, etc. » Quibus verbis Doctor satis aperte docet solum
Deum posse Sacramentum instituire: quippe cum solus virtutem ha-
beat gratiam infallibiliter producendi ad applicationem et positionem
alicujus signi, quamquam posset committere puræ creaturæ designa-
tionem alicujus signi practici, ad cuius præsentiam ipse gratiam san-
ctificantem conferret: hæc autem, ut diximus, designatio, esset dum-
taxat Sacramentum imperfectum ex parte ipsius designantis, qui enim
tale signum determinaret, ex se non haberet vim illud signum efficax
et practicum efficiendi, sed id necessario præstandum esset a Deo, ac
subinde solus Deus potest auctoritative instituire Sacramenta. — Quæ
utique ratio sic formari potest: ille tantum auctoritative potest insti-
tuere Sacramenta, qui potest virtutem Sacramento tribuere, et signi-
ficatum per illud effectum producere: atqui solus Deus potest virtutem
tribuere Sacramento, et illius effectum, nempe gratiam sanctificantem,
et peccati remissionem producere: igitur, etc. *Major constat. Minor*
*probat*ur illis omnibus Scripturæ textibus, quibus Deus asseritur solus
gratiæ sanctificantis et justificationis auctor. Sic Job 4. *Quis potest*
facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus
es? Et Psal. 83. *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, etc.

DICES 1: Sacramenta legis naturæ erant signa pro arbitrio ab ho-
minibus fidelibus ad suæ fidei obtestationem assumenda: Sacramenta
vero legis scriptæ sicut et ipsa lex Moysi consignata fuerant per An-
gelos: igitur Sacramenta possunt institui a creaturis. — **Respondeo**
ad primum, ex eo solum inferri, quod determinatio signorum Sacra-
mentalium fuerit ex voluntate humana, non vero quod ab ea penderet
Sacramentorum institutio: Deus enim voluit et immediate per se
ipsum instituit, quod homines tempore legis naturæ assumerent ad
suam sanctificationem signa sensibilia, ad quorum positionem ipse gra-
tiam produceret, non vero quod homines illis signis tribuerent vim pro-
ducendi gratiam. *Ad secundum* dico, legem et Sacramenta legis Mo-

sayca ideo dici tradita per Angelos, non quod legem istam condiderint, aut Sacramenta illa instituerint propria auctoritate, sed tantum quod eorum fuerint promulgatores.

DICES 2: Qui potest producere effectus Sacramenti potest etiam instituere Sacramentum: sed Ecclesiae Ministri producere possunt effectus Sacramentorum: igitur, etc. *Major constat ex dictis. Minor vero probatur: effectus Sacramentorum est, ut homo purgetur a peccatis, illuminetur, et perficiatur per gratiam: sed purgare, illuminare, et perficere pertinet ad Ecclesiae Ministros, ut docet S. Dionysius in lib. De Ecclesiastica Hierarchia, cap. 5: igitur, etc. — Nego minorem, et ejus probationem distinguo: purgare, illuminare, et perficere per se immediate est effectus Sacramentorum, concedo: mediate tantum, nego. Similiter distincta minore, neganda est consequentia: purgatio enim, quae attribuitur Ecclesiae Ministris, non est immediata: illi namque ideireo purgare dicuntur, quia spiritus immundos ejiciunt a certu fidelium, et catechismis, ac sacris admonitionibus disponunt ad Sacramentorum receptionem; similiter illuminant populum Dei, non quidem per se illuminando singulorum animas, aut gratiam infundendo, sed verbum Dei praedicando, et Sacramenta subministrando.*

DICES 3: Ex S. Augustino, Tract. 5. in Joan. circa medium: Baptismus Joannis erat Baptismus hominis: sed Baptismus Joannis erat verum Sacramentum: igitur homo potest instituere verum Sacramentum. *Major est ipsius S. Augustini; ait enim: Aliud est, inquit, baptizare per ministerium, aliud per potestatem; baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur: non qualis est ille per cujus ministerium datur: tale erat baptisma Joannis, qualis Joannes; baptisma tamen justii hominis, sed qui acceperat a Deo talem gratiam, ut dignus esset praere Judicem: tale autem baptisma Domini, qualis Dominus, etc. — Respondeo negando minorem: Baptismus enim Joannis non habebat vim conferendi gratiam sanctificantem, nec remittendi peccata, ut probabimus agendo de Baptismo.*

DICES DENIQUE: Creatura potest designare aliquod signum, ad ejus praesentiam Deus infallibiliter produceret gratiam: sed hoc sufficit ad rationem Sacramenti: igitur creatura potest instituere Sacramentum. *Probatur major auctoritate S. Augustini loco supra laudato, ubi ait: Potuit autem Dominus noster Jesus Christus, si vellet dare potestatem alicui servo suo, ut daret Baptismum suum tamquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo, et tantam vim dare Baptismo, translato in servum, quantum vim haberet Baptismus datus a Domino, etc. — Respondeo ad minorem cum Doctore loco supra laudato n. 6. quod si haec ad rationem Sacramenti sufficiant, revera quidem pura creatura poterit ex commissione Dei instituere Sacramenta; et hac ratione conciliari poterit sententia Doctoris cum opinione Doctorum Angelici et Seraphici asserentium posse a Deo creaturae committi virtutem et facultatem instituendi Sacramenta; si nempe haec institutio sumatur praecise tantum, ut est designatio formae et materiae sensibilis, et ut praescindit a certitudine et efficacia respectu effectus. Quod utique patet, quia sic aliqui statuunt remedium legis naturae fuisse institutum, ut in potestate cujuslibet esset assumere quamlibet rem ad protestationem fidei. Sic Chri-*

stus per potestatem excellentiæ instituit Sacramenta, qua homo, et sicut Ecclesie data est potestas instituendi ritus et solemnitates Sacramentorum, ita potuit committi potestas designandi materiam et formam: tamen non inde sequeretur certitudo et efficacia signi instituti, sed ex decreto Dei, quo determinaret concurrere infallibiliter ad productionem effectus significati: igitur signa sic instituta haberent quidem suam designationem a pura creatura, suum vero effectum a Deo: et sic creatura esset quidem auctrix institutionis signi, Deus vero esset auctor effectus significati. — *Nec aliud certe voluit S. Aug. verbis in objectione laudatis, ut constat ex sequentibus; ait enim: Hoc noluit ideo ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo sercum ponere spem in seruo. Ideo clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso: Numquid pro vobis Paulus crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizavit ergo tanquam minister, non tanquam ipse potestas. Baptizavit autem Dominus tanquam potestas.* Quibus patet S. Augustinum nolle eam potestatem primariam et absolutam interius per Sacramenta sanctificandi potuisse communicari seruo. Enimvero si talis concederetur, nihil prorsus sequeretur absurdi, si quis in eo spem collocaret. Solum itaque voluit potestatem Sacramentalem conficiendi ac ministrandi nomine proprio conferentis, v. g. *Ego te baptizo in nomine Claudii, vel meum tibi confero baptismum,* potuisse quidem conferri seruo, sed non fuisse conveniens, ne servus verbis ipsis deceptus in baptizante spem suam, non autem in Deo principali causa reponeret.

Conclusio secunda. — CHRISTUS DOMINUS QUATENUS HOMO EST TANTUM CAUSA MORALIS, ET MERITORIA INSTITUTIONIS SACRAMENTORUM.

Probatur: Christus Dominus aliquam causalitatem habuit circa Sacramentorum institutionem: sed non habuit physicam: ergo moralem. *Major patet quia, ut probabitur Concl. sequenti, ipse omnia Sacramenta instituit. Minor vero probatur: causalitas physica vel est principalis, vel instrumentalis: sed neutram habuit. Non quidem principalem: tum quia solus Deus est causa principalis justificationis, ut colligitur ex his Scripturæ textibus. Job. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Isaïæ 43. et Oseæ 13. Non est absque te Salvator. Nec solvitur dicendo, eos textus solum innuere Deum esse causam primam justificationis: siquidem licet Deus sit causa prima calefactionis, inepte tamen diceretur: quis potest calorem facere? nonne tu qui solus es? cum ignis pariter ad calorem efformandum concurrat. Tum quia si Christi humanitas esset causa principalis gratiæ per Sacramenta producendæ; maxime vel ex innata sua virtute, vel divinitus indita. Non primum: quippe cum illius humanitas ejusdem sit speciei ac ordinis naturalis, cujus sunt cæteræ; gratia autem sit ordinis supernaturalis, et cujusvis naturæ vires excedens. Non etiam secundum; id enim haberet vel a gratia habituali, vel ab unione hypostatica. Non primum; alias quilibet justus talem habere posset fecunditatem; quippe cum habeat gratiam Christi gratiæ in specie similem. Nec obstat major intensio gratiæ Christi; quia non mutat naturam et vim efficiendi; forma enim in-*

tensior id solum habet, ut intensiorem effectum possit edere; quem remissior non ederet ratione majoris resistentiæ in passo, quod in presenti locum non habet. *Non etiam secundum*, quia per illam unionem natura non mutatur substantialiter, ac proinde nullam vim physicam accipit, quam ex se non haberet: sed Deus ratione unionis ei tantum assistit, qua divina assistentia et unione fit ut humanitas sit causa moralis, meritoria et impetratoria gratiæ, quam alter justus ratione suorum operum et suæ gratiæ impetrare et obtinere non posset. Hæc autem moralis causalitas non debet immutare physice Christi humanitatem; sed sufficit ut Deus per extrinsecum respectum eam dignam efficiat id obtinendi, quod postulat; sicut regia dignitas non immutat physice naturam Reginæ, quæ aliquid a Rege obtinet ratione talis dignitatis, quod alteri non concederetur, v. g. Esther. Sic Christus *exauditus est pro sua reverentia*, inquit Apostolus; ut autem esset causa secunda et physica-efficiens ratione unionis hypostaticæ, oportet ut aliquid reale et physicum in eam ab unione ipsa effunderetur, alioquin immutata manens physice, nullam physicam activitatem ab unione obtineret.

DICES 1: Illa est causa principalis, cui per se assimilari debet effectus: sed nostra justificatio in hoc consistit, ut nos assimilet Christi humanitati, juxta illud ad Rom. 8. *Prædestinavit nos conformes fieri imaginì (idest humanitati) Filii sui*. Ergo, etc. — **Nego majorem**; siquidem Deus uti potest tamquam instrumento gratia unius justis ad producendam gratiam in altero justo; et tunc effectus esset similis causæ illi morali, et causa illa non esset principalis.

DICES 2: Quidquid est principium universale nostræ justificationis est ejus causa principalis: sed talis est Christus; *de plenitudine enim ejus omnes nos accepimus*. — **Nego majorem**; et ad *minorem* dico, Christum ideo dici causam universalem justificationis, quia meruit ut homo omnem gratiam, quam ut Deus producit.

URGEBIS: Ex hoc plura sequuntur absurda: *primo* enim sequitur Christum non differre a reliquis ministris, qui etiam sunt causæ instrumentariæ: *secundo*, si solum esset instrumentum morale, non deberet prius esse justus, et Deo gratus, instrumentum enim non debet habere formam quam in alio producit; quo fit ut etiam Sacerdos, licet sit in peccato mortali, conferat gratiam, et a peccatis solvat, quia tantum est instrumentum: *tertio*, sequeretur nostram gratiam esse perfectiorem gratia et justificatione Christi; effectus enim semper est nobilior instrumento, quo producitur. — **Nego has omnes sequelas**. *Primum* quidem, quia licet per instrumentariam virtutem non differat, differt tamen quia ipse per verum meritum de condigno impetrat a Deo gratiam: cæteri autem per nullum sui meritum, sed per Sacramenti virtutem gratiam producunt. *Secundam* pariter, quia gratia et sanctitas vere prærequiritur in Christo, ut vere impetret; secus si tantum ut Sacerdos ministraret ea, ex quorum collatione gratia infalibiliter confertur. *Tertiam* denique, id enim verum est de instrumentis physicis, non de moralibus, et impetrativis; cum enim dona iniquorum non probet Altissimus, nec peccatores exaudiat, hinc ut quis ab eo petita excipiat, justus et ei gratus esse debet.

DICES 3: Christus est justus per essentiam, habet enim sanctitatem

ex propriis, non autem per participationem: sed quod est tale per essentiam est causa principalis cæterorum, quæ talia sunt per participationem. — **Distinguo majorem:** quatenus Deus-Homo habet sanctitatem a se, non ab alio emendatam, *concedo*: quasi ejus humanitas haberet justitiam a se, non vero a divinitate mutuam, *nego*. Similiter est distinguenda *major*: quæ suapte natura talia sunt, *concedo*: quæ tantum ab alio, *nego*. Humanitas autem Christi suapte natura sancta non est, sed per gratiam habitualement internam, et per externam Dei assistentiam ab unione profluentem, quæ eam physice non immutant, nec proinde aliquam efficacitatem physicam ei conferunt.

Non est etiam causa instrumentalis physica: tum quia, ut dictum est, humanitas non habet physicam activitatem in gratiam: tum quia, ut infra dicetur fusius, nulla creatura habere potest efficacitatem naturalem erga gratiam, et ea quæ sunt ordinis supernaturalis. — Restat itaque inferendum *Christum tantum esse causam moralem et meritariam*. Meritoriam inquam, quippe cum (inquit Doctor in 4. dist. 2. q. 1. n. 7.) ille sit causa meritoria Sacramentorum, qui signis a se institutis meruit efficacitatem gratiæ producendæ: at Christus ut homo id meruit. *Probat*ur: Deus ab hominibus offensus decreverat talem offensam non condonare, nec aliquod auxilium ad eam expiandam concedere, nisi prius divinus honor resarciretur, justitiæque divinae factum fuisset satis, per oblationem alicujus tantum honoris Deo tribuentis quantum hominis peccatum abstulerat: sed id præstitit Christus, seipsum offerendo ut nos redimeret ab omni iniquitate: imo *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia, ut copiosa apud eum esset redemptio*: ergo, etc. — *Confirmatur*, nam omnis Sacramentorum efficacitas provenit ex passione Christi: igitur est eorum causa meritoria. *Probat*ur *antecedens*: ab eo Sacramenta habent suam efficacitatem, a quo habent quod gratia ad eorum collationem regulariter et infallibiliter producat: atqui id habent meritorie a passione Christi. *Major constat*: siquidem non alia est Sacramentorum efficacitas. *Minor probatur*: omnis gratia hominibus conferenda solum confertur intuitu et virtute Christi meritorum. Unde S. Joannes: *Gratia et veritas per Jesum Christum*. et rursus: *De cujus plenitudine omnes nos accipimus*: ergo maxime ratione completorum Christi meritorum: sed Christi merita non fuere completa nisi per mortem et passionem, quæ fuit nedum vitæ passibilis terminus, sed et signaculum et complementum ejus meriti. Licet enim nomen JESU ei fuerit inditum in Circumcisione, et prius ab Angelo prænuntiatum quam nasceretur: attamen in sola passione ejus nominis perfectam virtutem assecutus est, juxta illud Apostoli: *Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, etc.* Cum ergo *Salvatoris* nomen non nisi per mortem perfecte fuerit assecutus, inferendum est ab ejus morte nostræ salutis media, qualia sunt Sacramenta, suam duxiss. virtutem et originem. Idipsum indicant omnes illi sacri contextus, quibus Christus dicitur nos lavisse a peccatis nostris in Sanguine suo; redemisse nos non corruptibilibus auro vel argento, sed pretiosissimo Sanguine, etc.

DICES 1: Effectus in actu, non est nisi a causa in actu, ex Arist. 5. *Metaph.* 5., cap. 2: sed passio Christi non est in actu: ergo non potest

tribuere efficaciam, quam actu Sacramenta obtinent. — Distinguit majorem Doctor: causa efficiens et physica, concedit: moralis et meritoria. negat: plura namque actu beneficia conferimus propter obsequia præterita, et quorum sola memoria perseverat.

DICES 2: Sacramenta haberent illam efficaciam a Christi passione vel præterita, vel futura. Non primum, alias Baptismus et Eucharistia non haberent illam efficaciam, quippe cum ante passionem fuerint instituta. Non etiam secundum, alias Sacramenta Legis veteris parem habere potuissent efficaciam. Ergo, etc. — Respondet Doctor, habuisse a passione exhibita non quidem in actu exteriori, sed interiori, quo Christus ab instanti Conceptionis se cruci et morti adjudicavit, juxta illud: *In capite libri scriptum est, etc.* Et illud: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur?* etc. Resp. 2. quod si ministrata fuissent vivente Christo, minorem efficacitatem habuissent, tum quia cælum non aperuissent suscipientibus; tum quia si ex tota Christi vita sit facta et integrata una oblatio ad nostram redemptionem, ex qua Sacramenta nostra suam hauserunt efficaciam, certo certius est eam non ita fecundam fuisse ex incompleta, quam fuit ex completa per passionem oblatione.

DICES 3: Si Sacramenta haberent illam efficaciam a Christi passione, maxime vel tamquam a causa meritoria, vel tamquam a causa principali. Non secundum; quia nihil potest esse causa principalis et efficiens Sacramentorum, nisi quod potest esse causa effectus signati per Sacramenta: sed solus Deus potest esse causa efficiens et principalis gratiæ. Neque etiam primum: quia gratiæ nulla est causa meritoria, *si enim ex meritis, jam non est gratia*, ut arguit Paulus, Rom. 9. — Respondet Doctor, esse causam meritoriam. Ad Apostolum dicit, gratiæ non esse quidem causam meritoriam de condigno in eo, qui ipsam suscipit, alias esset præmium, non gratia. Posse tamen in eo esse causam meritoriam de congruo; et alius pro illo qui suscipit potest mereri de condigno. Sic gratia nobis data non est gratia respectu Christi, *ei enim, qui operatur, merces non reputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, ut loquitur Apostolus: sed est gratia respectu nostri: tum quia illius principium, nempe Christus, nobis datum est gratis; tum quia gratia ipsamet nobis gratis applicatur.

INSTABIS: Ergo absolute non debet dici gratia, licet mihi concedatur gratis, quia est præmium alterius. — Respondet Doctor, quod si in rigore sumatur gratia, nullum opus Dei dici potest puræ gratiæ, nisi sola Incarnatio; quia omnia alia opera in homines a merito passionis effluunt. Incarnatio vero fuit quidem accelerata et in aliqua ratione ac persona operata propter meritum de congruo, vel Patriarcharum, vel B. Virginis; non fuit autem decreta, nisi ex pura misericordia.

DICES 4: Si Sacramenta efficaciam exceperunt a Christi passione, maxime ex vulnerato ejus latere: dicit enim S. Aug. 15. *De Civit.*, cap. 26. *Ostium in latere arcæ Noë est vulnus lateris Christi, ex quo Sacramenta manarunt*: sed ab eo vulnere non potuerunt habere efficaciam, quia vulnus illud inflictum fuit lateri Christi jam mortui, ac proinde incapacis meriti: igitur, etc. — Respondeo, Sacramenta non habere efficaciam a vulnere, sed ab operibus et passionibus Christi meritoriis dum viveret; *vel* si a vulnere, non prout illatum est: sed

prout illud prævidens Christus dum viveret, voluntarie acceptavit. Unde S. Aug. mystice loquitur, et per quamdam similitudinem eorum quæ a Christi latere fluxerunt cum Sacramentis. Sanguis enim assimilatur speciei vini in Eucharistia, et aqua quæ fluxit assimilatur aquæ baptismali; unde dicit S. Augustinus hæc duo Sacramenta ex Christi latere fluxisse.

Conclusio tertia. — OMNIA NOVÆ LEGIS SACRAMENTA SUNT IMMEDIATE INSTITUTA A CHRISTO DOMINO. Hæc videtur esse de fide determinata in Concilio Trid., Sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Christo instituta anathema sit.* Ubi quamvis particula *immediate* expresse non habeatur, tamen Canonem de immediata institutione intelligendum esse, aperte colligitur: *Primo* quia alias Concilium hunc Canonem non edidisset, si ageretur solum de Institutione mediata; eam enim ultro tatentur omnes; quippe cum certum sit Ecclesiam nihil præscribere, maxime in iis quæ spectant ad Sacramentorum confectionem et administrationem, nisi per auctoritatem sibi a Christo Domino delegatam. *Secundo*, quia hic Canon additus est præsertim contra Lutheranos, qui contendebant Sacramenta Baptismi et Eucharistiæ tantum esse a Christo Domino instituta, ac subinde affirmabant cætera esse quidem sacros ritus ab Ecclesia ordinatos, sed negabant esse proprie dicta Sacramenta. *Tertio*, quia Sess. 21. cap. 2. declarat S. Synod. hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, statueret vel mutaret ea, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret: at frustra adderetur hæc exceptio, *salva illorum substantia*, si illa non a Christo, sed ab Ecclesia fuissent instituta; enimvero si illa instituisset Ecclesia, illorum quoque substantiam mutare posset: ejusdem enim est potestas, et leges ferre, et approbare. *Quarto* denique, si difficultas foret de immediata institutione alicujus Sacramenti a Christo Domino, maxime de Extrema-Uctione, quam a S. Jacobo institutam esse nonnulli contendunt, ex cap. 4. ejus Epistolæ Canonice: sed Conc. Trid. Sess. 14. Can. 1. de Sacramento Extremæ-Uctionis, decernit: *Si quis dixerit Extremam-Uctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino Nostro institutum, et a B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Colligitur pariter hæc veritas e Scriptura sacra; nam S. Paulus 1. ad Cor. 4. ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, idest Sacramentorum: sed si Sacramenta quædam instituissent Apostoli, non essent tantum dispensatores, sed etiam auctores et institutores mysteriorum Dei: igitur, etc. *Deinde* Actor. 1. Christus Dominus dicitur post Resurrectionem, et per dies quadraginta apparuisse Discipulis, cum eis conversatum et locutum esse de regno Dei, idest de Ecclesia ædificanda et administranda: Sacramenta autem pertinent imprimis ad ædificationem et administrationem Ecclesiæ. Unde præclare S. Leo, Sermon. 1. *De Ascens. Domini*, scribit: *Illi dies, qui fluxerunt inter Domini Resurrectionem et Ascen-*

sionem, non otioso transiere decursa, sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt reuelata mysteria.

Hoc ipsum luculenter confirmat Subtilis Doctor in 1. d. 2. q. 1. n. 4. ubi ait: « Omnia Sacramenta instituta sunt a Christo, vel a Deo, « pro tempore istius Legis. Quod breviter ostendo hic, quia de sin- « gulis in locis eorum propriis plenius apparebit: De *Baptismo* patet « quod fuit institutus a Christo vivente: quia Discipuli baptizabant, « ut patet Joan. 3. et præceptum fuit ut publice prædicaretur. Matth. ult. « *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos, etc.* — De *Eucharistia* patet « ejus prædicatio diffusa, Joan. 6. sed institutio in Cœna. Matth. 6. — « De *Confirmatione* patet institutio. Joan. 20. *Accipite Spiritum san- « ctum, etc.* Vel in die Pentecostes, Act. 2. — De *Pœnitentia* dicitur quod « est instituta Jacob 5. *Confitemini alterutrum, etc.* Sed hoc non vi- « detur probabile ex processu litteræ, quia statim sequitur: *Orate pro « invicem, etc.* Manifestum est enim quod per illud sequens non in- « tendebat aliquod Sacramentum instituere, nec promulgare: nec etiam « erat apud Jacobum auctoritas instituendi aliquod Sacramentum, sicut « post tangetur in ratione ponenda ad istam conclusionem. Melius ergo « est ut dicatur institutam fuisse. Joan. 22. *Accipite Spiritum Sanctum. « quorum remiseritis peccata, etc.* Et promissam Matth. 16. *Tibi dabo « claves regni cœlorum. quodcumque ligaveris, etc.* Ista enim potestas « non erat principaliter dimittendi peccata, quod est Dei proprium: « sed arbitrari, est in foro pœnitentiæ, solvere vel ligare. — De « *Extrema-Uctione* dicitur quod Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis? etc.* « Sed licet ibi promulgaverit Sacramentum, est melius dicere, quod « fuerit institutum a Christo. Legimus enim Marci 6. quod Apostoli « ungebant oleo multos infirmos, et sanabantur: constat autem quod « hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam un- « ctionem virtuosam. — De *Matrimonio* apparet Matth. 19. *Non legistis « (ait Christus) quia masculum, et fœminam fecit eos?* supple Deus, et « dixit, supple per os Adæ: *Quamobrem relinquet homo: etc.* ubi Christus « approbat et ratificat id, quod Deus in statu innocentia, per os Adami « publicavit. — De *Ordine*, Matth. 26. *Hoc facite in meam commemora- « tionem.* Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, etc.* Hæc enim duo « pertinent ad Ordinem Sacerdotalem, scilicet potestas respectu Cor- « poris Christi veri, et potestas respectu corporis Christi mystici, ut « dicetur in materia de Ordine. — Quod autem hæc omnia a solo Deo « fuerint instituta, patet per illud, quod tactum est in generali de « institutione Sacramenti. Nulli enim competit signum instituere pra- « cticum, nisi vel respectu alicujus actus sui proprii, vel respectu « alicujus, qui subest sibi, quantum ad illum actum: Sacramentum « autem est signum practicum respectu effectus Dei proprie, et Deus « non potest in actu sibi proprio alicui alii subesse: ergo, etc. » *Hæc Doctor.*

Eamdem veritatem docent SS. Patres, maxime S. Dionysius, qui in *Ecclesiast. Hierarchia*, cap. 1. ait: *Apostoli Sacramentorum formas accepere, non confinxere: sed aliunde non potuerunt accipere, quam a Christo: igitur, etc.* — Similiter S. Ambrosius, lib. 4. *De Sacramentis*, cap. 4. ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? Et*

S. Aug. lib. *De Vera Religione*, cap. 17. *Ubi*, inquit, *venit tempus gratiæ, ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, etc.*

Suadetur etiam triplici ratione, seu congruentia: decens enim erat, ut omnia Sacramenta, quæ sunt efficacia media-ad salutem consequendam, ab eo ortum ducerent, qui est revera Mediator Dei et hominum, ne videlicet in alio, quam in ipso Mediatore homines suam spem constituerent. *Secundo* ne divisio et schisma in Ecclesia fieret, propter diversa Sacramenta a diversis instituta: si enim facta fuerit inter fideles contentio, ex eo quod qui baptizati fuerant ab Apostolis, se præferendos esse existimarent iis, qui dumtaxat a Discipulis Baptismum susceperant, ut observat Apostolus 1. ad Cor. 1. objurgans eos, quod dicerent: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*, licet omnes in Christi baptismo fuissent baptizati; at quanto magis fuissent invicem divisi, si a diversis diversa suscepissent baptismata? *Denique*, cum ad caput Reipub. pertineat condere leges fundamentales, et quæ vim habeant in tota Reipub. cujusmodi sunt leges sacramentales, eo ipso quod essent plures Sacramentorum institutores, essent etiam plura capita in Ecclesia, quod utique absurdum et periculosum esset.

DICES 1: Christus Dominus Joan. 20. Discipulos alloquens ait: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos:* atqui ille ita missus est a Patre, ut habuerit potestatem instituendi Sacramenta: ergo eandem Apostolis delegavit. — **Distinguo majorem:** quantum ad aliquid, nempe quoad munus reconciliationis hominum, et extensionem remissionis peccatorum, *concedo:* quia, ut dicebat S. Paulus, *Pro Christo legatione fungimur:* quantum ad omnimodam auctoritatis plenitudinem, *nego:* alioquin sequeretur, quod quemadmodum Christus Dominus potuit remittere peccata absque ulla Sacramentorum interventione, ita etiam peccata sic remittere potuerint Apostoli.

DICES 2: Auctor quisquis est Sermonis in Cæna, apud S. Cyprianum, agens de ablutione pedum, ait: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, et auctor, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere Doctorem, et ut par est Spiritui Sancto et Christo divinitas; ita suis in institutis par est auctoritas et potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradidere, quam quod ipse Dominus tradidit, et in sui commemorationem fieri præcepit:* ergo censet Christum Dominum solam Eucharistiam immediate instituisse. — **Respondeo primo, negando consequentiam:** Christus enim ideo dicitur institutor et auctor Eucharistiæ præ cæteris Sacramentis, quia prius eam celebravit: nec tantum instituit, sed etiam exhibuit, et accepit: alia Sacramenta non ita. Hæc enim Apostoli jam a Christo instituta contulerunt, et acceperunt. **Respondeo secundo,** auctorem illum per Sacramentum Christi intelligere non solam Eucharistiam, sed etiam alia Sacramenta: per *ly* vero *in cæteris*, intelligere cæremonialia, quæ non a Christo immediate, sed ab Ecclesia tuere instituta, ut explicant Bellarminus, Gravina, et alii. **Addo:** præfatam auctoritatem non favere hæreticis, cum illi doceant, non solum Eucharistiam, sed etiam Baptismum a Christo immediate fuisse institutum.

DICES 3: Ex S. Augustino, Epist. 118. *Christus levi suo jugo nos*

subdidit, et sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem nori populi colligavit, ut est Baptismus, communicatio Corporis et Sanguinis ipsius, et si quid in Scripturis Canonicis commendatur: illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto terrarum orbe serrantur, intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, et statuta retineri: ergo Christus ea solum instituit immediate Sacramenta, quæ commendantur in Scripturis; alia sunt ab Apostolis instituta. — **Nego consequentiam**, omnia quippe Sacramenta commendantur in Scripturis, saltem implicite. *Secundo*, multa de Sacramentorum materia et forma Christus immediate tradidit Apostolis, et ipsi suis Successoribus, quæ scribere noluerunt, ne vilescerent apud imperitos et profanos. Nam ex S. Augustino, Epist. 57. *Nosti in quo sacrificio dicatur: Gratias agamus Domino Deo nostro. Ex 3. Hierarchiæ Ecclesiast. Vide ne Sancta Sanctorum enunties: sed venereris potius: nec ea minus perfecta tradas, sed cum iis solis, qui sacri sunt, communices.* Et cap. 7. *Consecratorius invocationes nefas est seipso interpretari, et arcanum earum sensum, virtutesque, quas in iis Deus operatur secreto, in publicum efferre.* Quare quæ dicit S. Aug. *Apostolis, aut Conciliis statuta custodit, sunt Ecclesiasticæ cæremonia, puta quod Domini Passio, Resurrectio, Ascensio in cælum, et adventus de cælo S. Spiritus anniversaria solemnitate celebrentur, et si quid aliud universa servat Ecclesia.*

URGEBIS: Idem S. Aug., lib. 3. *De Doctrina Christiana*, c. 19. ait: « Postquam resurrectione Christi manifestum nostræ libertatis indicium illuxit, ne eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus operatione gravi sumus onerati, sed pauca pro multis, eademque tactu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus, et Apostolica nobis tradidit disciplina »: igitur ex ejus mente non solum Christus, sed et Apostoli Sacramenta tradiderunt, et instituerunt. — **Distinguo majorem**: ipse Dominus et Apostolica tradidit disciplina, nempe Dominus instituendo, Apostolica autem disciplina commendando et dispensando. quod Christus instituit, *concedo*: quasi Christus ipse dumtaxat quædam Sacramenta. Apostolica vero disciplina cætera instituerit, *nego*. Et similiter *distincta minore, nego consequentiam*.

DICES 1: Plurimi sunt Doctores Catholici, qui diserte asserunt aliqua Sacramenta vel ab Apostolis, vel in Conciliis esse instituta. Nam Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, p. 15. cap. 2. expressis verbis habet: Sacramentum Extremæ-Uctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur: Jacobus enim Apostolus in Epistola sua scribens sic ait: *Infirmitur quis in vobis?* etc. Idem *De Sacramentali Confessione*, censet S. Bonaventura, in 4. dist. 17. art. 1. qu. 3. « Confessio, inquit, fuit a Domino insinuata, et ab Apostolis instituta, ab Episcopo Jerosolymitano S. Jacobo promulgata in Epist. sua cap. 5. ubi ait: *Confitemini ulterutrum peccata vestra* ». Quam utique assertionem sic probat: « Quia, inquit, confessio hominis est opus pure humanum: unde non est data virtus Sacramenti ipsi Confessioni, sed Absolutioni: ideo recte hominibus puris institutio debuit reservari. Ex his, quæ dicta sunt, quatuor possunt rationes elici, quare Do-

« minus immediate Confessionem et expresse non instituit: *Prima*
 « quidem, quia non oportuit. *Secunda* vero, quia in hoc voluntariam
 « esse debere docuit. *Tertia*, quia est Sacramentum recidivantium.
 « *Quarta*, quia quantum est de se, est opus humanum. Unde credo,
 « quod per se non instituit, etsi dicatur instituisse, hoc est intelligen-
 « dum, insinuando, et auctoritatem dando ». *Insuper* Alensis noster,
 qu. *De Sacramento Confirmationis*, membr. 1. ait: « dicunt alii hoc
 « Sacramentum fuisse institutum a Domino, et collatum: utpote
 « quando manus super pueros imposuit. Matth. 19. Sed quia in illa
 « impositione manuum non expressum est aliquid de forma verborum,
 « vel de materia, qua mediante hoc Sacramentum exerceretur, patet
 « quod non fuit a Domino institutum. Dicunt alii, quod hoc Sacra-
 « mentum fuit institutum ab Apostolis, collatum, et ministratum: quod
 « non est verum, et hoc patet per hoc quod Apostoli confirmabant sola
 « impositione manuum sine inunctione, et sine forma verborum, qua
 « utitur Ecclesia. Propter hoc sine præiudicio dicendum, quod Do-
 « minus neque hoc Sacramentum, ut est Sacramentum, instituit,
 « neque dispensavit, neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quod
 « post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmari, et illis
 « Spiritum Sanctum dari ad robur: unde *Spiritus Sanctus nondum*
 « *erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Non, inquam, in
 « plenitudine, vel ad robur, sed fuit datus die Pentecostes: unde Apo-
 « stoli confirmati sunt a Spiritu Sancto immediate sine mysterio, et
 « Sacramento, et ipsi deinde confirmabant sine Sacramento. Quare
 « hoc? Infra patebit. Sed postquam Apostoli, qui erant bases Ecce-
 « siæ, qui a Domino erant prælati, et Spiritu Sancto confirmati, defe-
 « cerunt: institutum fuit hoc Sacramentum S. Spiritus instinctu, in Con-
 « cilio Meldensi quantum ad formam verborum, et materiam elemen-
 « tarem, cui etiam Spiritus Sanctus contulit virtutem sanctificandi ». *Idem* docet S. Bonaventura, in 4. dist. 7. qu. 1. — **Respondeo primo**,
 nomine *institutionis* Sacramentorum illos auctores eorum promulgatio-
 nem et ministrationem intellexisse. Quod autem nonnulli de Confir-
 matione cum Alensi censent, illam in Conc. Meldensi celebrato anno 844.
 fuisse institutam, nulla ratione confirmari potest: cum nequidem ullum
 verbum institutionis, vel promulgationis in Canonibus illius Concilii
 habeatur. Si enim spectemus Acta Concilii, prout referuntur Tom. 3.
 Conciliorum Galliæ, duo tantum Canones habentur de Chrismate,
 nempe 45. et 46. In *primo*, prohibetur ne quis propter sacrum chrisma
 aliquid muneris accipiat: in *secundo*, ne quis sacrum chrisma, nisi in
 Feria 5. majoris Septimanæ conficere præsumat. Si autem attendamus
 ad caput ut *Episcopi*, a Gratiano ex Conc. Meldensi citatum de *con-*
secratione, dist. 5. præcipitur tantum ut Episcopi, non nisi jejuni per
 impositionem manuum Spiritum Sanctum tradant. Nulla autem fit
 mentio de institutione. **Respondeo secundo**, quod olim respondebat
 S. Augustinus Donatistis objicientibus auctoritatem S. Cypriani de
 nullitate Baptismi ab hæreticis collati, lib. 2. contra Cresconium,
 cap. 30. *Non accipio, inquit, quod de baptizandis hæreticis et schi-*
smaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua
B. Cyprianus sanguinem fudit.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUENAM SIT SACRAMENTORUM EFFICACITAS ET VIRTUS.

NOTANDUM 1. Circa Sacramentorum efficacitatem ac producendi virtutem varie erratum esse tum a veteribus, tum a recentioribus hæreticis. Refert enim S. Aug., lib. *De hæresibus*, hæresi 16. Manichæos negasse Sacramentis vim justificandi, *Baptismum*, inquit, *in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizatum putant*. Paulitiani quoque, teste Eutymio, lib. 2. *Panopliæ*, cap. 21. docuerunt Baptismum nullatenus, animæ prodesse, quamvis aliquam utilitatem afferret corpori: *Liberos*, inquit, *suos ab Ecclesiæ Presbyteris salutari Baptismo volunt aliquando lustrari; existimant enim crucem, et Baptismum corpori prodesse; quorum tamen vim ad animæ purgationem pervenire non putant, nec ullam aliam afferre activitatem*. Similiter Massaliani, seu Messaliani, referente S. Damasceno, lib. *De centum hæresibus*, circa finem, emendationem animæ solis precibus ajebant fieri; nec Baptismum hominem perficere, neque divina Sacramenta animi sordes expiare, sed ad id conferre solas preces, quæ ab homine funduntur. Hinc *Euchytæ*, hoc est *præcatores* dicti sunt, quia ex Theodoro, lib. 4. *Hæreticarum fabularum*, cap. 11. salutis perfectionem solis precibus tribuebant, rati Baptismum auferre solum peccata novaculæ instar, non autem peccatorum radices, quas ajebant, oratione sola, funditus evelli: malumque dæmonem unicuique ab initio assignatum penitus ab animo expelli. Vocabantur etiam *Entusiastæ*, quod alicujus dæmonis in se vim admitterent, quam sancti Spiritus præsentiam appellabant. Tandem *Armenii* distinguentes inter remissionem peccatorum, et gratiam, fatebantur per Sacramenta remitti peccata, negabant tamen per ea gratiam, sive quodlibet aliud bonum justificans conferri, ut asserit Guido Carmelita, lib. *De hæresibus*, cap. 16. — *Quantum* autem ad recentiores hæreticos; non una, eademque, sed multiplex fuit eorum circa Sacramentorum efficacitatem sententia; nam Sacramentarii et Anabaptistæ omnimodam eis gratiæ productionem denegant. Quod autem pertinet ad Lutherum et Calvinum, si eorum verba spectes, aliquando nobiscum consentire, aliquando vero dissentire videntur; revera tamen a nobis penitus discrepant, neque enim aliam causalitatem astruunt in Sacramentis, quam vel ob signationis, vel rememorationis, non autem veræ productionis gratiæ; ita quod velint quidem per Sacramenta excitari et nutriri fidem, per quam homo divinas promissiones comprehendat, cujus apprehensionis beneficio justificetur per fidem. Unde Melancthon in Apolog. Confessionis Augustanæ, circa art. 5. et 13. audacter pronuntiat: *Damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent quod Sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaica est opinio, quod per ceremonias justificamur sine bono motu cordis, hoc est sine fide; et tamen hæc impia et perniciosa opinio magna auctoritate docetur in toto Regno Pontificio*. Qui quidem errores ut confutentur, et Catholica Doctrina ab impia hac hæreticorum criminatione et calumnia vindicetur, tria hic statuenda sunt: *Primum*, quod Sacramenta produ-

cant gratiam sanctificantem ex opere operato: *secundum*, qualiter eam producant. utrum per physicam activitatem. an vero dumtaxat per moralem: *tertium*, qualem gratiam producant, et conferant: quæ ut evidentiore fiant,

NOTANDUM 2. Quod cum dicitur gratiam produci ex *opere operato*, nihil aliud significatur, quam ipsam produci virtute operis externi eliciti: duplex enim humanum opus distingui potest, externum videlicet, et internum: externum autem se habet veluti passive, quia ab interno imperatur, et suum valorem ac meritum obtinet: unde Theologi sumpserunt ansam distinguendi duplicem operandi modum, nempe ex opere operantis, et ex opere operato. Tunc dicitur aliquis agere ex *opere operantis*, quando producit effectum ex vi et efficacia operis interioris, puta cum quis gratiam sanctificantem obtinet virtute contritionis, aut alterius dispositionis. Dicitur vero agere ex *opere operato*, dum scilicet aliquem exerceat actum exteriorem, virtute cujus producatur gratia, etiamsi nulla in suscipiente esset ad gratiæ susceptionem efficax dispositio, dummodo ex parte ipsius nullus adsit obex. Itaque conferre gratiam ex opere operato, est eam conferre ratione operis exterioris, seu collationis Sacramenti, non autem ratione actus interioris suscipientis, aut ministrantis: vel quod idem est, ipsam conferre non ratione meriti, sed ultra meritum suscipientis, et solum ratione operis exterioris suscepti. Non quod velinus Sacramenta conferre gratiam adultis absque ulla eorum dispositione; quemadmodum nobis perperam imponunt Melancthon, et Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 14. §. ubi fingit sensum hujus controversiæ esse: *Num Sacramenta gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel dispositione suscipientis*: contrarium enim aperte tradit Concilium Tridentinum, Sess. 6. ubi docet ad gratiam sacramentalem percipiendam in adultis prærequiri fidem, pœnitentiam, devotionem, etc. — Neque est, quod Calvinus ibidem § 14 irrideat hæc vocabula *ex opere operato*, eaque appellet monstra verborum. et nova commenta: si enim teste Horatio, *De arte Poetica*.

*Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus;*

et Cicerone scribente in Tusculanis: *Usus multa vocabula adinvenit, et inventa antiquavit*: certe usus plusquam 400. annorum pro hac voce præscripsit. Siquidem eam reperimus ab Innocentio III, usurpatam lib. 3. *De Mystero Missæ*, cap. 5. ubi scribit: *Non ergo Sacerdotis iniquitas effectum impedit Sacramenti: sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit: quamvis igitur opus operans aliquod sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum*. Neque inusitatum est ac insolitum nova eudere verba, et contra Grammaticæ regulas, verbum deponens in passivum commutare; hujus enim praxis fundamentum habemus in Epistola ad Hebræos, cap. 3. his verbis: *Talibus hostiis promeretur Deus*, ubi verbum deponens *promeretur* passive sumitur. Unde in simili S. Augustinus in Psal. 138. maluit dicere *ossum ossi*, quam *os ossis*, ut nempe facilius intelligeretur a populo: *Melius est enim, inquit, ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi*.

NOTANDUM 3. Duplicem distingui posse causam productivam alicujus rei: unam physicam, aliam moralem. *Physica* dicitur, quæ per actionem realem attingit ipsius rei entitatem et productionem. *Moralis* vero, quæ non attingit effectum per actionem suam, sed vel applicando activa passivis, sicut medicus dicitur causa sanitatis; vel inducendo agens ad agendum precibus, consiliis, imperio, prohibitione, proposito premio, et similibus. *Rursus* utraque causa est duplex, nempe principalis, et instrumentaria. *Principalis* physica est, quæ per se effectum attingit, et independenter ab influxu alterius causæ, licet aliam in effectus producendi consortium admittat. *Moralis* vero principalis ea dicitur, quæ principalius et efficacius movet ad effectus productionem: v. g. Princeps, qui præcipit ærarii Præfecto, ut centum aureos alicui largiatur, dicitur causa principalis ejusmodi largitionis. Causa *physica instrumentalis* ea est quæ non operatur per virtutem formæ sibi inexistentis, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. *Moralis* vero *instrumentalis* dicitur organum, quo principalis causa utitur ad effectum producendum; v. g. Epistola regia manu scripta ad ærarii Præfectum, ut largiatur centum aureos, est causa moralis instrumentaria ejusmodi donationis, quia est instrumentum, quo utitur Princeps ad talem effectum; principalis autem moralis est voluntas Principis. Quæritur autem qualiter Sacramenta producant gratiam; utrum videlicet per modum causæ physicæ, aut moralis: principalis, aut instrumentariæ. Cum autem Sacramenta diversa sint, et alia aliis præstantiora, etiam statuendum est utrum majorem, aut æqualem gratiam in subjectis æqualiter dispositis producant.

Conclusio prima. — SACRAMENTA NOVÆ LEGIS PRODUCUNT GRATIAM EX OPERE OPERATO, SEU VI SUA, UT CAUSÆ INSTRUMENTARIÆ. Hæc est de fide determinata in Conciliis: primo quidem Nicæno ab Alphonso Pisano linguæ Latinæ reddito, ubi lib. 3. Constitutionis de S. Baptismate sic habetur: *Baptisma nostrum, inquit, non oculis corporeis considerandum est, sed mentis oculis: aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam: descendit qui baptizatur reus peccatorum, et ascendit liberatus ab hac servitute et peccato factus filius Dei, et hæres ejus gratiæ.* Idem expresse tradit Florentinum in Decreto Eugenii, ubi decernitur septem esse novæ Legis Sacramenta, quæ multum differunt a Sacramentis veteris Legis: illa enim non causabant gratiam: sed solum per passionem dandam esse significabant: hæc vero nostra, et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. — Sed omnium clarissime Tridentinum, Sess. 7. Can. 6. *De Sacramentis: Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi et signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ et justitiæ, et notæ quædam Christianæ perfectionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit per ejusmodi Sacramenta non dari gratiam semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ea rite suscipiant; sed aliquando, et aliquibus, anathema sit.* Et Can. 8. *Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non con-*

ferri gratiam, sed ipsam fidem solam divinæ promissionis ad gratiam conferendam sufficere, anathema sit. Idem colligitur ex Symbolo Constantinopolitano, et Nicæno; ubi definitur. *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Probatur primo hæc veritas ex iis omnibus Scripturæ textibus, quibus gratia per Sacramenta conferenda, aut collata declaratur; primo quidem, id constat de Baptismate, scriptum est enim Joan: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, etc.* Quibus verbis regeneratio et nativitas spiritalis tribuuntur Spiritui sancto, tamquam causæ principali; aquæ vero tamquam causæ instrumentali: aqua enim conjungitur cum Spiritu sancto tamquam causa hujus regenerationis, quod maxime denotatur per particulam *et*: illa namque causalitatem aliquam indicat, ut norunt Grammatici.

RESPONDET CALVINUS, lib. 4. *Institutionum*, cap. 16. n. 27. per aquam significari Spiritum sanctum: « aquam ergo, inquit, et Spiritum « simpliciter accipio pro Spiritu, qui aqua est. Neque hæc est nova « locutio: prorsus enim cum illa, quæ Matth. cap. 3. habetur con- « venit: qui sequitur me, ille est qui baptizat in Spiritu sancto, et « igne. Quemadmodum ergo Spiritu sancto, et igne baptizare, est Spi- « ritum sanctum conferre, qui in regeneratione ignis officium, natu- « ramque habet, ita renasci aqua et Spiritu, nihil aliud est, quam « vim illam Spiritus recipere, quæ in anima id facit, quod aqua in « corpore. » — Verum, Hunnius Lutheranus, lib. *De Baptismo*, cap. 10. merito hanc Calvinii interpretationem vocat *profligatam temeritatem, et diaboli glossam contortam*: siquidem hæc directe militat in alios Scripturæ textus, quibus peccatorum remissio et hominis justificatio ipsi Baptismati tribuitur. Sic Act. 20. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi in remissionem peccatorum*: ubi particula *in* cum accusativo casu denotat in quem finem, et ad quem effectum, et fructum ejusmodi fiat ablutio, et præterea denotat Baptismum antecedens ad justificationem, ac proinde non est illius tantum sigillum et signum connotativum, ut vult Calvinus. — Hinc Ananias agebat Paulo Act. 22. *Baptizare, ablue peccata tua in nomine ejus*. Unde ipsemet S. Paulus ad Ephes. 5. Baptismi efficacitatem instrumentalem explicans, ait: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Et ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis solvos nos fecit*. In quibus locis mundatio et salus assignatur ut effectus lavacri aquæ. — Idem constat de Eucharistia, nam Joan. 6. scribitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Si autem Eucharistia solum esset signum gratiæ, non autem illam conferret, non minus absona et ridicula foret ista locutio, quam si quis diceret: nisi quis biberit ex hedera, vinum venale significante, non explebit sitim. Similiter 1. ad Cor. 10. Apostolus infert, fideles unum esse unitate charitatis: *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*: si autem est ratio constitutiva unitatis corporis participatio unius panis, manifestum est, quod hæc unitas sit effectus talis participationis; proindeque charitas, per quam fit illa compago, attribuitur Sacramento Corporis Christi, tamquam effectus causæ suæ. — Idem constat de cæteris Sacramentis;

nam de *Penitentia* legitur: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* De *Ordine ad Titum* 2. *Ut suscitēs gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum.* De *Extrema Unctione*, Jacobi 5. *Oratio fidei salcabit infirmum, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* De *Matrimonio* autem, licet non ita sit evidens et apertum testimonium, id tamen colligitur ex cap. 5. ad *Ephes.* ubi dicitur *Magnum Sacramentum*, ut nempe denotetur eandem esse illius, ac cæterorum Sacramentorum efficaciam.

Eandem similiter veritatem probare licet variis argumentis petendis ex doctrina SS. Patrum: primo quidem ex eo quod asserant, nonnisi fide inveniri posse ac intelligi, qualis quantaque sit Sacramentorum operatio, quæ infirmiore ingenii aciem naturalem superet. *Mirandum*, inquit Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. 2. *et lavacro dilui mortem, at quin eo magis credendum, si quia mirandum est, idcirco non creditur; qualia enim docet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus.* Similiter S. Chrysostomus Homil. 24. in Joan. 1. *Quæ quotidie videmus, inquit, ac tangimus, fide indigent, quanto magis arcana illa, et spiritualia? Hinc trita illa S. Augustini exclamatio, tractat. 88. in Joan. Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat? At nisi aqua Baptismalis concurreret ad gratiæ productionem, sed ad ejus tantum præsentiam homo de excitanda fide provocaretur, nihil in ea mirum, nihilque exclamatione dignum appareret: igitur, etc.*

Secundo idem suadetur ex variis similitudinibus, quibus utuntur SS. Patres ad declarandam regenerationem, quæ fit per aquam baptismatis; nam sanctus Chrysostomus, Homil. 25. in Joan. eam assimilat utero materno: *Quod est, inquit, matrix embryoni, hoc est fidei aqua: siquidem in aqua gignitur, et formatur.* Item ibidem Baptismum comparat aquis, quibus initio mundi jussit Deus, ut reptilia producerent: *Primum enim, inquit, dictum est: Producant aquæ reptile animæ viventis: at ex quo Christus alveum Jordanis ingressus est, non amplius animarum viventium reptilia, sed animas rationales, et spirituales aqua producit.* S. autem Leo, Serm. 4. *De Nativit. Domini*, Baptismum comparat utero B. Virginis: *Omni homini renascenti aqua, inquit, baptismatis, instar est uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem, ut peccatum, quod ibi vacaverat sacra Conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Unde etiam nonnulli e SS. Patribus dicunt, quod quemadmodum Spiritus sanctus supervenit in Virginem, ut conciperet Christum Filium Dei, ita mystice supervenit in aquas baptismatis, ut eis vim conferat producendi filios Dei adoptivos. *Supervenit, inquit Tertullianus, lib. De Baptismo, cap. 10. Spiritus de cælis statim, et aquis supernatat, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Idem docet S. Hieronymus, *Dialog. adversus Luciferianos*, non longe ab initio: *Prius, inquit, ipsa aqua lavatur ex Spiritu, ut alios lavare spiritualiter possit.* Et S. Cyrillus Alexandrinus: *Quemadmodum viribus igni intensius aqua calefacta, non aliter urit quam ipse ignis, sic Spiritus sancti operatione, aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem, et potentiam.* Quæ certe omnes et aliæ similes loquendi formulæ irritæ forent et nullæ, si Baptismi Sacramentum nulla ratione concurreret ad gratiam producendam.

Tertio, eadem veritas aperte constat ex eo quod Baptismus infantibus collatus remittat peccatum originale, eis gratiam sanctificantem conferat, ipsosque si ante adeptum rationis usum ex hac vita migraverint, ad regnum cælorum perducatur, ut contra Pelagianos passim docet S. Augustinus: sed isti mirandi effectus non possunt tribui efficacitati fidei ipsorum infantium: ac subinde duntaxat Sacramentorum virtuti.

REPONUNT Lutherani et Calvinistæ, pro eo tempore, quo baptizantur parvuli, eis divinitus concedi usum rationis. — Verum, hæc responsio potius digna est risu, quam impugnatione: quis enim credat Deum istud miraculum operari, cum illius nec Scripturæ, nec SS. Patres ullatenus meminerint?

Denique, eadem veritas apparet ex præclaris elogiis, quibus SS. Patres Baptismi efficaciam commendant. Sic S. Ambrosius, lib. *De Initiandis*, cap. 4. *In illo, inquit, mundi consepultus elemento, peccato mortuus, est ad vitam resuscitatus æternam.* Theodoretus in *Epitome divinatorum decretorum*, cap. *De Baptismo: Donum Baptismi non solum remissionem dat vestrorum peccatorum, sed spem etiam ingerit promissorum bonorum, mortisque dominicæ, et Resurrectionis efficit participes, et doni Spiritus sancti participationem largitur, et filios Dei reddit, ac hæredes, et cohæredes Christi: non enim, ut amentes Messaliani putant, novaculam tantum imitatur auferens peccata.*

REPONUNT HÆRETICI, SS. Patres loqui de Sacramentorum efficacia per excitationem fidei. — Verum contra, primo plerique scribunt Evangelica Sacramenta e perfosso Christi latere fluxisse, Christumque baptizari voluisse, ut mundissimæ carnis suæ tactu mundandi vim aquis daret, ut Ambrosius, lib. 2. in Lucam: at si tantum excitando fidem, et non efficiendo gratiam influeret, ut concio, seu tabella, representando fidei mysteria, non recte dicerentur e Christi latere fluxisse; ut nec concio, seu tabella dicitur inde fluxisse; nec Christus magis dicitur aquæ vim ullam dedisse, carnis suæ tactu, quam sacris concionibus. Non haberent etiam Evangelica Sacramenta quid amplius, quam Mosayca in gratia conferenda: quia Mosayca fidem etiam excitabant: at Patres nostra Sacramenta distinguunt a veteribus, quod nostra producant gratiam, quam antiqua significabant tantum. *Ratio est*, quia fides, ex hæreticis, est vere causa salutis et gratiæ: sed ex Scriptura Sacramenta novæ Legis eodem modo causa gratiæ dicuntur, ac fides: nam dicitur de fide Lucæ 7. *Fides tua te salvam fecit.* Joan. 5. *Qui credit ei, qui me misit, habet vitam æternam.* Actor. 7. *Fide purificans corda eorum.* Rom. 4. *Arbitramur hominem justificari per fidem.* Rom. 9. *Justificati ergo ex fide.* De Sacramentis Baptismi, et Eucharistiæ dicuntur eadem iisdem verbis 1. Petri 3. *Vos salvos facit Baptisma.* Joan. *Qui manducat meam carnem habet vitam æternam.* Tit. 3. *Salvos vos facit per lavacrum regenerationis.* Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.*

OBJICIUNT HÆRETICI varios Scripturæ textus, quibus evincere conantur hominem non justificari per Sacramenta suscepta, sed per fidem, et devotionem suscipientis. Primo quidem, quia Habacuc 2. Rom. 1. et Hebr. 10. *Justus ex fide vivit: non vivit autem ex Sacramentis: ergo Sacramenta dici non possunt justificare.* — Distinguo majorem:

justus ex fide vivit, idest, per fidem præstolatur et expectat vitam æternam sibi a Deo promissam, nec frangitur, aut etsi eam retardari videat, ob fidem quam habet, concedo. Hinc Habacuc ait: *Si moram feceris, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso: justus autem in fide sua vivit.* Apostolus similiter ad Hebr. 10. ait: *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem: adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est, veniet, et non tardabit: justus autem meus ex fide vivit.* Idest, sola fides confert ad justitiæ vitam, nec ad eam per se quidquam conferunt Sacramenta, nego: falsum enim est, quod fides gratiam sanctificantem producat, et ad justificationem per se solam conferat, ut diximus Disp. de Fide.

OBJICIUNT 2. Illud ad Ephes. 5. ubi Christus dicitur mundasse Ecclesiam *lavacro aquæ in verbo vitæ*: sed per *verbum vitæ* nihil aliud intelligitur, quam verbum, quod fide conceptum vitam producit, dum videlicet homo apprehendit per fidem divinas promissiones sibi factas, easque animo constanti expectat: igitur, etc. — **Nego minorem**: nam, ut diximus Art. 1. per *verbum vitæ* intelligitur verbum consecratorium, nempe invocatio divinæ Trinitatis, cujus benedictione et virtute aqua concipit vim regenerandi; et ita verbum illud dicitur verbum vitæ, quandoquidem Spiritu sancto replente fontem, aqua baptismalis vim recipit sanctificandi hominem, et eum perducendi ad vitam et salutem.

OBJICIUNT 3. Illud 1. Petri, ubi dicuntur octo animæ salvæ factæ per aquam: *Quod et vos, inquit, nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*: sed hæc interrogatio conscientie nihil aliud est, quam exercitatio fidei Resurrectionis Christi, quæ habet vim sanctificandi: ergo salus non tribuenda aquæ Baptismatis, sed bonæ conscientie ac fidei virtuti. — **Distinguo majorem**: salvos nos facit conscientie bonæ interrogatio, quatenus est dispositio et præparatio ad fructum Baptismi utiliter percipiendum, concedo: tamquam causa sola productiva gratiæ, et salutis, nego. *Ad minorem* dico ipsam *interrogationem conscientie* nihil aliud esse, quam mentis interiorem emundationem, quæ vocatur interrogatio conscientie bonæ in Deum per Resurrectionem Jesu Christi, ratione videlicet sui effectus; hæc enim interrogatio est effectus ablutionis animæ, nam emundatio sordium animæ facit ut conscientia nostra possit a Deo interrogari, et probari tamquam sincera et bona: necnon Deum rogare, eique respondere, propterea quod firmiter credat Resurrectionem Christi, ut in novitate vitæ ambulemus; nam ut dicit Apostolus Rom. 4. *Christus resurrexit propter justificationem nostram.*

OBJICIUNT 4. Illud Lucæ 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Igitur homo per Sacramenta non potest quidquam conferre ad peccatorum remissionem. *Confirmant* ex S. Hieronymo in 4. cap. Isaia, ubi ait: *Homo præbet aquam, Deus autem Spiritum sanctum, quo sordes animæ abluuntur, et peccata purgantur*: ergo homo per Sacramentorum ministrationem nullatenus confert ad gratiam largiendam. — **Distinguo antecedens**: solus Deus remittit peccata, ut causa princeps, concedo: ait enim Isaia 43. *Ego sum ipse, qui deleo iniquitates*: ut causa mi-

nisterialis. et instrumentalis. negò; sic enim v. g. Christus Dominus restituit caeco nato visum ut causa princeps: tamen aqua Siloe, qua ad Christi imperium usus est caecus, contulit ad ejusmodi visus restitutionem ut causa instrumentalis: unde S. Aug., lib. 3. *Quæstionum in Leviticum*, q. 81. *Et Moyses, inquit, sanctificabat, et Dominus: sed Moyses visibilibus Sacramentis per mysterium suum. Dominus invisibili gratia per Spiritum sanctum.*

OBJICIUNT 4. Varias S. Aug. auctoritates, quibus significare videtur, non aliter homines conferre ad justificationem per administrationem Sacramentorum, quam orando et deprecando. Sic maxime docet trac. 6. in Joan. *Vidit, inquit, Simon Magus per impositionem manuum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est:* idem docet lib. 15. *De Trinitate*, c. 17. *Quantus, inquit, Deus, et qui dat Deum: neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum: orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiam servat Ecclesia:* at si Apostoli non conferebant Spiritum sanctum per manuum impositionem, neque etiam gratiam largiebantur; nam, inquit Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* — **Respondeo**, S. Augustinum nihil aliud velle quam quod Apostoli non dabant Spiritum sanctum, ut est divina persona; nec etiam largiebantur gratiam per modum causæ principalis, *concedo:* ut est donum Spiritus sanctus, *nego.* Et sic neganda est *consequentia:* non enim alia est mens S. Augustini: ibi enim probat Christum esse Deum, ex eo quod dederit Spiritum sanctum die Pentecostes; ait enim: quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus, qui dat Deum? nec enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; quia nempe dari tantum ab eo proprie potest, a quo procedit: non procedit autem a Discipulis, ac subinde ab eis personaliter dari non poterat. Nihilominus ut Ministri Christi dabant ipsius Spiritus sancti donum; legimus enim Actor. 8. *Quod per impositionem manuum dabatur Spiritus sanctus.*

OBJICIUNT 5. Alias ejusdem S. Doctoris auctoritates, quibus probare nituntur Sacramenta dumtaxat agere secundum fidem et dispositionem suscipientis. Sic Serm. 3. *De Verbis Domini: Baptisma quod semel adhibetur per fidem mundat.* Et lib. *Quæstion. veteris et novi Testamenti*, q. 59. *Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis, nec donum caeleste poterit consequi; qui per se aquam, non per fidem immutari credat, aqua enim ornitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur, ut fides in eo sit:* atqui si homo per fidem, non per aquam immutatur, salus est tribuenda fidei, non Sacramento. — **Respondeo ad primum:** Baptisma mundat per fidem, ut dispositionem præviam, concedo: ut mundationis causam efficientem, quam excitet Baptismus, et ex qua mundandi vim habeat, nego; nam S. August. explicat illud Lucae 11. *Nunc vos Pharisei, quod de foris est calicis, et catini, mundatis. Quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, et iniquitate.* Unde Christus arguit Phariseos, qui quotidie ante prandium se lavabant aqua ac si ea lotio posset esse cordis mundatio, suosque Discipulos monet, ne justitiam esse putent in mundatione corporis; quia Baptismus mundat adultos per fidem, ut per dispositionem

necessariam: fides autem intus est, non foris, juxta illud Actor. 7. *Fide mundans corda eorum*: Pharisei autem quod erat foris lavabant; intus vero plurimis vitiis erant inquinati. *Ad secundum respondeo primo*, hoc opus nullatenus esse S. Aug. sicut pluribus argumentis probatur ab Erasmo in censura hujus libri, neque hujusce tractatus fit mentio, sive in libris *Retractationum* S. Aug. sive in indice Possidii. Inter cætera hic auctor cum doctrina S. Augustini pugnat: docet enim quod per Spiritum Domini, qui ferebatur super aquas in origine mundi, non intelligatur Spiritus sanctus, sed spiritus materialibus substantiis præpositus. Item quod Melchisedech non fuerit homo, sed Spiritus sanctus sit. Et in quæst. 59. quæ nobis opponitur, hæc verba dominica, Joan. 5. *Spiritus ubi vult spirat*, etc. de vento, non de Spiritu sancto exponit. Quæ omnia S. Augustino, et veritati prorsus opposita sunt. *Respondeo secundo*, hominem dici posse non per aquam, sed per fidem immutari: *primo*, quod non immutatur per aquam mundam, sed per aquam, ad quam accedit invocatio Trinitatis; quia Trinitas est objectum fidei; et ita non per aquam, sed per fidem immutatur, sicut, ex alibi dictis, verbum mundat, non quia dicitur, sed quia creditur: *secundo*, quia causa formalis immutationis non est aqua, sed fides formata; unde, sicut ante diximus, justus ex fide vivit, quia per fidem formatam constituitur justus.

OBJICIUNT 6. Si Sacramenta novæ Legis revera concurrerent ad productionem gratiæ, essent diversæ efficacitatis et virtutis a Sacramentis veteris Legis: at contrarium docet S. Augustinus: igitur, etc. *Major patet ex dictis. Minorem probat* Calvinus lib. 4. *Institutionum*, cap. 14. num. 26. ex S. Augustino, Homil. 26. in Joan. ubi S. Doctor ait: *Sacramenta Judæorum in signis fuisse diversa, in re quæ significatur paria: diversa specie visibili, paria virtute spirituali*. Et Homil. 45. *In signis diversis eadem fides: sic in signis diversis, ut in verbis diversis: quia verba sonos mutant per tempora, et utique nihil aliud sunt verba, quam signa. Bibebant Patres eundem spirituales potum, nam corporalem non eundem. Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari ponitur. Et illi pro magno Sacramento biberunt aquam profluentem e petra: nos quid bibamus, norunt fideles. Si visibilem speciem intendas, aliud est; si intelligibilem significationem, eundem potum spirituales biberunt*. In Psal. 77. lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 13. *Idem in mysterio cibus, et potus illorum, qui noster: sed significatione idem, non specie: quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus*. Quamquam hæc quoque in parte aliquid differentiæ esse concedimus. Utraque enim in paternam Dei in Christo benevolentiam, ac Spiritus sancti gratias nobis offerri testantur; sed nostra illustrius ac luculentius. In utrisque Christi exhibitio: sed in his uberius ac plenior, nempe prout fert illud, de quo supra disseruimus veteris et novi Testamenti discrimen: atque id est quod voluit idem Augustinus (quem ut optimum ex tota antiquitate, et fidelissimum testem sæpius citamus) cum tradit, Christo revelato, Sacramenta fuisse instituta numero pauciora, significatione augustiora, virtute præstantiora. Ita Calvinus. — **Respondeo primo**, primam auctoritatem mendaciter et corrupte a Calvino proferri; nusquam enim S. Augustinus dixit, Sacramenta ve-

teris et novæ Legis esse paria virtute spirituali, sed virtute spirituali idem significare; ait enim: *Sacramenta illa in signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria. Apostolum audi: Nolo enim vos ignorare, fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt.... et omnes eandem escam spirituales manducaverunt: spirituales utique eandem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spirituales vero, eandem quam nos.* Et subdit: *Omnes eundem potum spirituales biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali.* Quibus patet S. Augustinum non aliud significare, quam quod Sacramenta veteris et novæ Legis convenient in virtute; non quidem efficiendi gratiam, sed eam significandi; cum hoc tamen discrimine, quod illa futuram solum speculative, hæc præsentem et practice significant. *Respondeo secundo, Sacramentorum novæ Legis duo esse officia: unum quidem instruere, alterum mederi. Instruunt, cum gratiam significant; medentur cum eam conferunt. Per primum sunt signa protestativa fidei, per secundum sunt signa operativa salutis, ut observat S. Chrysostomus, Homil. 83. in Matth. Per sacratissimam istam mensam, inquit, et salvat et docet.* In prioris officio conveniunt cum Sacramentis veteris Legis, quæ eandem fidem commendabant et docebant, solumque discrepant in eo quod Sacramenta veteris Legis objectum fidei futurum respiciebant ac significabant: Sacramenta autem novæ Legis præteritum representant, nempe Christi Incarnationem, vitam, mortem, et alia ejus mysteria. In posteriori autem officio Sacramenta novæ Legis omnino discrepant a Sacramentis veteris Legis: quamvis enim hæc eandem gratiam significarent, illam tamen nec continebant, nec conferebant, erant enim ægena et vacua, inquit S. Paulus, et si quid haberent plenitudinis, non nisi umbris et figuris implebantur; omnia enim in figura contingebant illis: Porro hoc discrimen ideirco distincto non annotavit prætatis in locis S. Augustinus: tum quia versabatur in Atrica, ubi grassabatur hæresis Manichæorum, qui Legem veterem dannabant; unde convenientius erat exprimere concordiam Sacramentorum veteris et novæ Legis, quam eorum discrepantiam prædicare: tum quia Tractatus in Joann. et narrationes in Psalmos, homiliæ sunt, et narrationes ad populum, quibus aderant Catechumeni, et plerique infideles, quibus licitum non erat Ecclesiæ mysteria revelare. Unde etiam frequenter in eis sermonibus S. Augustinus ait: *uti norunt fideles.*

OBJICIUNT 7. Qui docent Sacramenta producere gratiam, non solum homines distrahunt a Christi meritis, sed divinam potentiam veluti Sacramentis alligant; efficiunt enim ut homines recurrant ad rem corpoream, tamquam ad causam et originem suæ justificationis, quasi Deus non posset eos justificare, nisi dependenter ab ipsis exterioribus signis: sed *consequens* est absurdum: igitur, et *antecedens*. — *Nego majorem:* potius enim per hæc subsidia homines ad Deum et Christum promovent; quippe cum fateantur Sacramenta habere vim dumtaxat a Christi meritis, et significatum per ea effectum efficienter a solo Deo produci, moraliter vero ab ejusmodi Sacramentis. Unde quemadmodum qui curabantur a Christo per contactum ejus vestimenti, sicut mulier sanguine fluens, aut per lutum divinis ejus manibus impositum, ut œcus natus, non collocabant spem suam in

ejusmodi rebus materialibus, sed potius in ipso Christo Domino, a quo velut a fonte hæc sanativa virtus exundabat, sic nos spem nostram non reponimus in ipsis Sacramentis, sed eam collocamus in Dei efficientia, et Christi meritis, quod utique nullam absurditatem præsert; alioqui non debuisset Deus Israelitas a morsu serpentium sanare per aspectum aenei serpentis, aut mundare Naaman Syrum per aquas Jordanis; nec debuisset etiam Dei Filius carnem assumere, ne magis homines adhærerent rei corporeæ, quam Deo. Neque Deus per Sacramenta justificans alligatur ipsis Sacramentis, sed Sacramenta Deo, quia Deus absque Sacramentis justificare potest: Sacramenta sine Deo non possunt. *Adde quod ipsi hæretici velint adultum, cui Christi sanguis applicatur, non justificari nisi per fidem, nec tamen volunt Deum alligari fidei, vel sanguini Christi: igitur idem dicendum de Sacramentis.*

OBJICIUNT ULTIMO: Non potest creatura corporea producere rem spiritualem et supernaturalem: atqui Sacramentum est creatura corporea; gratia vero est res supernaturalis: ergo, etc. — **Respondeo, distinguendo majorem:** non potest producere, ut causa principalis, concedo: ut instrumentalis, subdistinguo: physice, concedo: moraliter, nego. *Deinde concessa minore, similiter distinguo consequens.* Sive autem physice, sive moraliter producant gratiam, id sufficit ut obstruatur os adversariorum loquentium iniqua.

Conclusio secunda. — SACRAMENTA NOVÆ-LEGIS NON PRODUCUNT GRATIAM PHYSICE, SED DUMTAXAT MORALITER. Ita Subtilis Doctor in 4. dist. 1. qu. 4. et 5. num. 12. ubi ait: « Ad primam ergo « quæstionem dico, quod cum necessitas eorum, quæ sunt ad finem, « sumatur a fine; et secundum omnes loquentes de Sacramentis, finis « Sacramenti est gratia, vel aliquis effectus Dei invisibilis disponens « hominem ad salutem; et iste finis possit sufficienter haberi, eo modo « quo habetur per Sacramentum, absque hoc quod dicatur Sacra- « mentum habere aliquam actionem proprie dictam, sive respectu « gratiæ, quam non potest attingere, cum illa creetur; sive respectu « dispositionis supernaturalis præviæ, quia illa etiam crearetur: se- « quitur quod non sit ponenda talis actio, cum nec ista plura sint « necessaria, nec manifeste ponibilia ». — In eandem sententiam propendent Sanct. Bonaventura ibidem art. 1. qu. 4. Alensis 4. 3. p. q. 5. memb. 3. art. 5. p. 3. 4. et 5. Aureolus qu. 1. art. 4. Durandus qu. 1. Vazquez dist. 132. cap. 5. Et illam probat Doctor; quia necessitas alicujus colligitur ex fine: finis autem institutionis Sacramentorum est gratia sanctificans, aut effectus aliquis invisibilis supernaturalis: at effectus iste per Sacramentum obtineri potest absque illo influxu physico: igitur, etc. Quæ utique Doctoris ratio efficacissima est, ex præsupposita impugnatione sententiæ affirmativæ, quam infra subjiciemus.

Probatur itaque Conclusio: Primo quidem, auctoritate SS. Patrum, qui denegant veram efficientiam physicam Sacramentis novæ Legis. Sic S. Cyprianus, Serm. de Baptismo Christi: *Remissio, inquit, peccatorum sive per Baptismum sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet:*

cerborum solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa institutionis Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum: rem vero Sacramenti Spiritus sanctus formatur et efficit. — Concordat Basilius, lib. *De Spiritu sancto*, cap. 15. ubi sic ait: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, Baptismatis pactum nobis statuit: mortis quidem imaginem implente aqua: Spiritu vero vitæ arrham præbente.* Ergo existimat Baptismum esse pactum vel signum pacti, quo posito statuit Deus per se immediate gratiam infundere. — Accedat Ambrosius, lib. 7. *De Sacramentis*, cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio: aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* — Denique S. Aug. Epist. 23. *Aqua, inquit, exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, et Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ: solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem in uno Christo.* Ex quibus apparet qualiter SS. Patres denegent efficaciam physicam Sacramentis, non autem moralem; nam alibi affirmant Sacramenta producere gratiam. Ut ergo inter se concilientur, debet statui causalitas moralis, et negari physica. Sic in communi modo loquendi uni, et eidem causæ attribuimus, et negamus effectum; v. g. si laudetur artificium alicujus Palatii, dicitur princeps non extruxisse, sed artifex; si vero sumptuositas princeps, non artifex. Similiter Patres, quando in Sacramentis explicant, quæ sit vis physice producens gratiam, eam attribuunt soli Deo: quando vero explicant quid possint Sacramenta ratione suæ institutionis, et meritorum Christi, docent ea causare gratiam.

Probatur secundo ratione: Eadem est causalitas aliorum Sacramentorum, quæ Baptismi: sed Baptismus non habet veram causalitatem et efficaciam physicam respectu gratiæ producendæ: igitur nec alia Sacramenta. *Minor constat:* perfectior virtus causandi gratiam et justificationem non convenit Baptismo, quam Christi Domini humanitati: sed Christi Domini humanitas solam habuit efficaciam moralem et meritoriam respectu gratiæ producendæ: igitur causalitas physica, quæ perfectior est, non convenit Baptismo. *Major patet:* Baptismus enim et cætera Sacramenta omnem suam efficaciam mutuuntur ab operibus meritoriis Christi, quæ ipsis insunt et applicantur, ut docet S. Aug. in *Enchiridio*, cap. 52. et Origenes, et Anselmus ex illo S. Pauli ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* Probatur minor ex Concilio Trid., Sess. 6. cap. 5. ubi loquens de causis justificationis, ait: « Hujus causæ justificationis sunt, finalis quidem gloria Dei et Christi, et vita æterna; « efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, « signans et ungens Spiritu sancto promissionis... meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus Dominus Noster Jesus Christus, qui « cum essemus inimici... sua sanctissima Passione in ligno crucis « nobis justificationem meruit, et pro nobis Patri satisfecit; instrumentalis autem Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum « fidei, etc. ». Quibus verbis Concilium duplex genus causalitatis attribuit Christo, nempe finalis, et meritoria; causalitatem autem causæ efficientis, quatenus ab instrumentali et meritoria distinguitur, soli Deo tribuit, idque sine ulla limitatione; qua loquendi formula denotat efficientiam physicam, quæ est efficientia simpliciter: igitur mens Con-

cilli est, illam efficientiam neque Sacramento, neque Christo competere. *Probat*ur *consequentia*: quia Concilium declarat Christi meritum maxime repetendum esse ex ejus passione, per quam debitam satisfactionem pro nobis Deo Patri exolvit: sed meritum istud non potest habere veram efficientiam physicam, siquidem operari sequitur esse, ac subinde quod non existit realiter et physice, non potest etiam physice et realiter influere in alicujus rei productionem: sed Christi Domini Passio, ejusque merita, neque in se, neque in aliquo suo effectu realiter existunt, sed tantum in acceptione divina: igitur non possunt habere efficientiam physicam. *Adde quod* Concilium tribuit dumtaxat causalitatem Passioni Christi, quatenus habuit rationem satisfactionis et meriti: sic autem non habuit aliud genus causalitatis, quam moralis. *Probat*ur, quia passio Christi non aliter influit in justificatos ut exhibita, quam ut exhibenda; Christus enim fuit uniformis Redemptor et caput omnium, qui præcesserunt, et subsequuti sunt, juxta illud Pauli: *Bibebant omnes de spiritali conseguente eos petra, petra autem erat Christus*: sed Christi Passio non habuit rationem causæ influentis physice respectu eorum, qui ejus Incarnationem præcesserunt, quippe nondum extabat: igitur neque etiam nunc agit physice.

*Probat*ur tertio, et præcedens ratio confirmatur: quod physice concurrat ad alicujus productionem, debet realiter existere dum res fit, et habere aliquam activitatem, qua physice possit agere et producere: sed Sacramenta nec sunt realiter dum producitur gratia, nec aliquam habent activitatem physicam, qua possint concurrere ad illius productionem: igitur, etc. *Major* constat quoad primum membrum; quod enim non existit realiter, nequit aliquid magis realiter producere, quam homo possibilis, aut mortuus possit de facto et actu loqui aut ambulare: operari namque sequitur esse, ac proinde quod non est actu et realiter, nequit actu et realiter operari. Constat pariter quoad secundum membrum; si enim ullam activitatem habeat in actu primo circa aliquid, nusquam illud magis poterit edere, quam nigredo albificare, etc. *Probat*ur itaque minor quoad primam partem: Sacramentum, puta Baptismus, non existit realiter, nec secundum se totum, nec secundum aliquam sui partem, nec secundum aliquid a se productum dum gratia producitur. *Probo*: Sacramentum non operatur, nec gratiam producere potest, nisi sit perfectum et completum, tam secundum materiam, quam secundum formam: si enim v. g. quis baptizando tantum proferret vel per malitiam, vel per ignorantiam, vel per decessum baptizati: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus*, non autem adderet illam ultimam particulam, *sancti*, Baptismus nullus foret, ac proinde nullam gratiam ederet, quia Sacramentum esset imperfectum, ut omnes fatentur: et si quis negaret, convinci posset ex eo quod si deficiens unum verbum formæ non irritum faciat Sacramentum, nec duo irritum facient, nec tria, et sic de cæteris; quia penultimum non magis est de essentia et integritate, quam sit ultimum, sicque omittendo vocabula *Spiritus sancti*, validum nihilominus foret Baptismus, quod tamquam hæreticum a Conciliis proscribitur. Itaque Baptismus gratiam non producit, nisi dum perficitur per ultimæ syllabæ formæ prolationem. Sed nec ultima syllaba illius formæ est Sacramentum: tum quia alioquin sola ad gra-

tiam producendam sufficeret: tum quia gratia non producitur nisi eo instanti, quo formaliter completur integra verborum necessariorum prolatio, et in quo verum est dicere: jam non est integra illa forma, sed immediate ante fuit. Ergo eo instanti quo producitur gratia, Sacramentum non est realiter neque secundum se totum, neque secundum aliquam sui partem. Nec etiam remanet secundum aliquid a se productum, quo mediante gratiam produceret, quia eadem, quæ de gratia producenda, recurreret difficultas; insuper nullus alius assignatur (a Sacramentis characterem non imprimantibus) effectus producendus, præter gratiam sanctificantem, et quædam gratiæ auxilia.

NEC VALET DICERE cum quibusdam Sacramentum gratiam producere pro indeterminato tempore, vel determinato antequam perficiatur Sacramentum: vel cum aliis, quod gratia producat eodem instanti, quo perficitur Sacramentum: tum quia omnis causa realis, et physica saltem prioritatem naturæ supponitur ad effectum: ergo non potest producere antequam sit: tum quia dum forma perficitur et absolvitur, remanet tantum in esse ultima syllaba, quæ non est Sacramentum.

NEC VALET PARITER RESPONDERE, per potentiam obedientialem Deum elevare illam postremam Sacramenti partem; idque, sive per aliquam qualitatem supernaturalem, sicut elevatur intellectus per lumen gloriæ ad videndum Deum, et voluntas per charitatem ad amandum; sive per extraordinarium concursum, quo creatura ratione potentiæ obedientialis ad effectum præter activitatem elevatur. Non, inquam, valet replica: tum quia illa pars sic elevata, et physice causans, non est Sacramentum Baptismi; eo quod ad producendam gratiam per Sacramentum Baptismi requiratur prolatio aliorum verborum, et exterior ablutio, quæ actu non existunt: tum quia si existant, id solum moraliter: ergo si possint priora verba moraliter Deum movere ad elevandam illam particulam, ut physice producat gratia: quidni integra verba sufficienter Deum movebunt ad gratiam producendam?

RESPONDET, non requiri existentiam realem totius causæ, ut agat physice, sed sufficere, ut præteritis aliis partibus una remaneat quæ vice totius effectum edat: v. gr. alteratio, licet successiva, concurrit secundum se totam ad productionem caloris, licet una pars tantum illius existat dum calor producitur. — Contra, implicat ut aliquid dicatur quidquam producere physice secundum partem non existentem, nisi illa pars dum existeret produxisset aliquid conducentem ad productionem effectus, alias esset causa, et non causa. Nec una pars producere potest virtute aliarum partium, nisi priores partes aliquid edidissent, quod mediante ultima exequi posset, quod illa se sola non exequeretur. — Neque urget exemplum de alteratione: quia vel calor producitur in instanti post motum, et sic non dicitur produci ab alteratione, nisi quatenus removet obstacula, et præparat subjectum: vel producitur per alterationem successivam, et sic qualibet pars motus quamlibet partem caloris producit. Unde illud ad rem non proficit. Nam priora verba nec producunt partem gratiæ, tum quia non habent rationem Sacramenti: tum quia si aliæ non proferrentur, homo non minus diceretur justificari, quod implicat, et omnes negant: neque tollunt impedimentum, nec animam præparant, quia anima de se sufficienter est disposita ad gratiam recipiendam, et nullum esse potest

aliud impedimentum, quam pertinax voluntas hominis in peccato, quæ non per priora formæ verba, sed per gratiam excitantem et cooperantem potest mutari: ergo, etc.

OBJICIUNTUR I. Omnes Conciliorum, et SS. Patrum auctoritates in prima Concl. laudatæ, quibus tribuitur Sacramentis novæ Legis vera causalitas respectu gratiæ. — Respondet Vasquez, illam causalitatem optime et melius salvari per causalitatem moralem, quam per physicam: *tum quia* illa est facilior intellectu, et minores involvit solvendas difficultates: *tum quia* eo modo Patres, Concilia, et Scripturæ testantur Christi mortem, sanguinem, et passionem nos mundare, sanctificare, etc. quo modo id asserunt de Sacramentis; attamen certum est Christi mortem non sanctificare nos physice, sed tantum moraliter et meritorie: *tum denique quia* Patres eodem modo loquuntur de efficacia Sacramenti, dum diu peractum est, ac dum actu ministratur, ut in casu obicis positi gratiæ baptismali; nam S. Aug., 3. *De Bapt.*, cap. 3. *Tunc, inquit, incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint, non ut jam remissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse, etc.*

OBJICIT ISAMBERTUS I. Preces Ecclesiæ in benedictione aquæ baptismalis, in quibus inter alia similia hæc habentur: *Tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.* Et ubi immergitur cereus hæc dicuntur: *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti.* Et insufflando in aquam: *Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi facundet effectu.* — 2. Preces quibus Episcopus, Feria 5. in *Cœna Domini* utitur in consecrando oleo: *Clementiam tuam suppliciter deprecimur, ut huic unguento spirituales gratias largiendo plenitudinem sanctificationis infundas.* — 3. Verba Catechismi Concilii Tridentini, parte 2. cap. 1. num. 27. ubi aperiens modum quo gratia producitur, hæc habet: *Quo autem pacto tanta res et tam admirabilis per Sacramentum efficiatur, ut quemadmodum sancti Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat, et cor abluat: id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendere non potest: constitutum enim esse debet nullam rem sensibilem suapte natura ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat: at fidei lumine cognoscimus omnipotentis Dei virtutem Sacramentis inesse, qua id efficiant, quod sua vi res naturales præstare non possunt.* — **Respondeo** hæc nil urgere: *tum quia* certum est per has preces aquam non accipere virtutem sanctificandi, quia quælibet alia aqua non benedicta sufficeret ad baptismum; *insuper* non soli aquæ, sed etiam verbis illa vis inesse deberet, cum ex materia et forma conficiatur Sacramentum: *tum quia* per ea verba solum intelligi potest sola moralis efficacitas, quam non habet quidem ex natura sua aqua, vel oleum, sed ex ordinatione divina; et sicut Rex plura potest operari per auctoritatem regiam, quæ secundum vires naturales et physicas non posset exequi, ipsa tamen regia auctoritas nihil physicum in eo constituit; ita Sacramenta plura possunt ex ordinatione divina, et per moralem efficaciam, quæ secundum virtutem naturalem præstare non possent, ut loquitur Catechismus.

INSTABIS: Catechismus dicit illum operandi modum esse admirabilem et ineffabilem. Et S. Cyrillus, lib. 4. in S. Joan., c. 11. loquens de Carne Christi, ubi cum dixisset: *Non solummodo verbo atque imperio ut Deus utebatur, verum etiam carnem suam, quasi cooperatricem nonnumquam adhibebat, ut reipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi conjuncta est, vivificam esse.* Cap. 24. agens de efficacitate ejusdem carnis in Eucharistia, subdit: *Quomodo autem fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus: sed silentio atque firma fide suscipimus.* At si arbitratus fuisset id fieri per moralem efficaciam, id non diceret esse ineffabile: quid enim ea morali efficacia conceptu facilius? — **Respondeo**, eam quidem moralem efficaciam physica longe esse conceptu faciliorem; nihilominus valde mirabilem in eo quod, ad talium signorum etiam ab indignissimo homine applicationem, infallibiliter Deus gratiam producat.

DICES 1: S. Ambrosius 4. *De Sacramentis*, cap. 4. comparat verba consecrationis et transubstantiationis cum verbis creationis: sed hæc habuerunt efficaciam physicam: ergo et illa. — **Distinguo antecedens**: comparat ea quantum ad veritatem effectus ex parte loquentis, *concedo*: quantum ad efficacitatem locutionis et verborum, *nego*. Intendit enim solum ibi S. Ambrosius, quod sicut Deus ex nihilo potuerit verbo omnia creare, multo magis creata potuerit verbo transmutare: sive interim verba illa physicam efficacitatem habeant, sive moralem, perinde est, modo effectus sequatur.

DICES 2: Ex hoc sequeretur Sacramenta non habere majorem efficaciam, quam verba maleficorum ad operanda præstigia ope dæmonum. — **Nego**: quia Sacramenta habent efficaciam intallibilem, et a nulla causa impediibilem respectu gratiæ producendæ in subjecto disposito. Secus de maleficiis, etc.

Conclusio tertia. — SACRAMENTA CONFERUNT ÆQUALEM GRATIAM SUBJECTIS ÆQUALITER DISPOSITIS, ET INÆQUALEM INÆQUALITER PRÆPARATIS. Ita expresse Tridentinum, Sess. 6. cap. 7. ubi inæqualitatem gratiæ, non solum in Dei voluntatem, sed et in diversam suscipientium dispositionem refundit his verbis: *Vere justii nominamur et sumus, justitiam in nobis recipiendo, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.* Notandum autem per has particulas, *prout vult*, non intendere Concilium quod Spiritus sanctus duobus eodem modo dispositis inæqualem interdum gratiam conferat, alias frustra adderet, *et secundum propriam cujusque dispositionem*: sed intelligit mensuram ex parte Dei esse illius voluntatem, qua in universum dona singulis partitur prout vult, sive in Sacramentis, sive extra Sacramenta.

Eandem doctrinam passim habent SS. Patres. Damascenus, lib. 4. *De Fide*, cap. 10. *Quamvis*, inquit, *peccatorum remissio omnibus æque per Baptismum detur; Spiritus tamen gratiæ pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur.* S. Cyprianus, Epistola 6. quæ nunc est 76. docet pluribus exemplis Scripturæ sacræ, effectum Baptismi, ut Baptismus est, sive per lotionem, sive per infusionem, aut aspersionem morientibus detur, æqualem in omnibus gratiam operari;

id, inquam, probat exemplo Solis, qui super omnes pari et æquali luce diffunditur. Mannæ, qui Exodi 16. sine discrimine sexus vel ætatis ad mensuram Gomor a singulis colligebatur: Semini quod in Evangelio æqualiter seminatur: Denarii quod Matth. 2. a Patre-familias per procuratorem æqualiter distribuitur: quibus addit: *Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentes totus infunditur. Nam si dies æqualis omnibus nascitur, et si Sol super omnes pari et æquali luce diffunditur, quanto magis Christus sol et dies verus in Ecclesia sua lumen æternæ vitæ pari æqualitate largitur?*

NEC DICAS ex hoc inferri S. Cyprianum velle æqualem semper gratiam per Sacramenta communicari, non obstante diversa suscipientium dispositione. **R**espondeo enim eum ibi tantum agere de Sacramento Baptismi secundum se considerato, sive per lotionem, sive per aspersionem conferatur, contenditque utrumque valere, et parem conferre gratiam, quatenus Sacramentum est secundum suam efficacitatem; non vero per respectum ad subjectum. Sacramentum enim considerari potest tribus modis: *primo*, per comparisonem ad aliud specie diversum: v. g. comparando Baptismum cum Eucharistia, etc. et sic cum unum sit alio præstantius, ut decernit Concil. Trident., Sess. 7. Can. 3. *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta esse virtute paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit;* certum est pariter præstantiorem gratiam edere. *Secundo*, considerari potest in seipso solum, et penes proprium illum effectum ad quem determinate a Christo fuit institutum. *Tertio*, per habitudinem ad subjectum cui applicatur. — *Primo modo*, unum Sacramentum præstantiorem gratiam producit, quam aliud, non obstante æquali dispositione. *Secundo modo*, habet ut conferat gratiam sibi propriam in hoc et isto determinato gradu, et non in ampliori vel minori: v. g. dum parvulis confertur Baptismus, cum nullam in eis positivam dispositionem non reperiatur, sed solum meram non repugnantiam, quæ in omnibus est æqualis, habet etiam in illis omnibus æqualem gradum, quia nihil aliud habet, quam quod voluit Christus correspondere operi operato Sacramenti, sine habitudine ad dispositionem subjecti. *Tertio modo*, gratiam producit æqualem vel inæqualem, pro diversa suscipientium dispositione, idque ex opere operato, tum juxta Christi ordinationem, quæ nobis innotescit per Concil. Trid. supra laudatum: *tum* ex analogia quam Sacramenta habent cum causis naturalibus, quæ æqualem vel inæqualem effectum pro varia subjecti dispositione produciunt: *tum denique* ex congrua et suavi providentiæ ordinatione, qua major gratia melius disposito conferri debet, ut spe majoris illius fructus excitemur ad suscipienda Sacramenta cum majori dispositione et reverentia. Ita solvendæ sunt omnes obijciendæ Patrum auctoritates. — Id autem voluisse S. Cyprianum, constat ex assumptis ab eo exemplis: lux siquidem Solis licet sit eadem, nihilominus major vel minor fit, ratione majoris vel minoris perspicuitatis subjecti. Manna licet idem, attamen diversas habebat suavitates pro diversa dispositione et desiderio manducantium. Immo et ipsemet expresse urgendo exemplum seminis, hæc habet: *In Evangelio dominicum semen æqualiter seminatur: sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiforrem copiam vel trigesimi, vel sexagesimi numeri fructu exuberante numeratur.*

Neque huic assertioni contradicit Subtilis Doctor, ut nonnulli ipsi falso imponunt. asserentes ipsum docere, quod de facto major datur gratia virtute Sacramenti Prædestinatis, quam reprobis, imo etiam inter Prædestinatos amplior gratia per Baptismum conferatur ei, qui ad majorem gloriam est prædestinatus; imo contrarium aperte docet; quamquam id sentiat esse possibile, quod ut aperte constet. placet illius verba describere, ex lib. 4. dist. 4. quæst. 7. n. 3. ubi ait: « Respondeo, quod cum ad effectum Baptismi, scilicet gratiam, concurrat causa principalis, scilicet Deus, et causa meritoria, ut Passio Christi, et ipse suscipiens Baptismum: ex parte cujuslibet istorum posset attendi æqualitas, vel inæqualitas. Quantum ad Deum determinantem se cooperari isti signo per effectum significatum, et in hoc instruendum istud signum in ratione signi certum, aliquo modo potest esse differentia, aliquo modo non. Aliquam enim gratiam disposuit regulariter conferre cum isto signo; ita quod nulli minorem: et ista dici potest conferri virtute Baptismi, quia virtute veritatis hujus signi, et sicut determinatio illa universalis, quantum ad istum gradum est uniformis, ita effectus æqualis ». Ecce in terminis nostra conclusio. — *Fergit.* « Verumtamen quia Deus prædestinavit diversos Electos ad diversos gradus gloriæ, et hoc ante determinationem hujus signi: ad tantam vel tantam gloriam conferendam, et ordinationi ad majorem gloriam rationabiliter potest conferri major gratia, potest Deus in determinando veritatem seu certitudinem hujus signi disponere conferre alicui suscipienti præcise illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, et alicui majorem, quem prædestinavit ad majorem gloriam: sed ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divina. Propter hoc dici potest, quod ex parte causæ principalis, effectus est regulariter æqualis simpliciter, qui datur virtute Baptismi: quia supponitur quod de lege communi prima gratia non datur major absque omni differentia extra causam principalem. » *Quid clarius? Adstruit possibilitatem inæqualitatis ex parte causæ principalis, sed negat actum de lege communi.* — *Eodem modo loquitur n. 4. de inæqualitate ex parte causæ meritoriae, inquit:* « De secundo potest dici, quod illa causa meritoria potest efficacius operari ad gratiam in uno, quam in alio: vel quia specialius pro uno, quantum ad intentionem offerentis, quam pro alio: vel quantum ad executionem pro uno oblata in effectu, pro alio non, nisi in prævisione divina. Primo modo Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus novit scientia visionis, et per consequens novit omnes Electos, et ad quem gradum gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro Prædestinato ad majorem gloriam plenius offerre passionem suam, et præcipue cum se offerret pro genere humano, ad hoc ut de eis impleretur divina prædestinatio. Secundo modo passio Christi efficacius cooperatur pro nobis, qui sumus in lege Evangelica, quam pro Patribus in lege Moysis; quia obsequium præstitum ad majus bonum retribuendum magis acceptatur, quam beneficium prævisum. Et illo secundo modo est inæqualitas in suscipientibus gratiam, per Circumcisionem, et Baptismum, propter inæqualem applicationem causæ meritoriae ad istos, et forte etiam in baptizatis ante passionem, et post passionem. Si

« autem primo modo, scilicet propter specialem obligationem in voluntate Christi, sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dum est de facto: sed possibilitas est ostensa ». Hincque Doctor: igitur non facile quisquam credat Auctoribus citantibus Doctorem pro aliqua sententia, nisi verba textus legerit, et expenderit, ne in ipso obtineat, quod dicitur Eccl. 19. v. 1. *Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur.*

QUESTIO I. *Utrum Sacramenta præter gratiam sanctificantem, aut illius augmentum, conferant aliqua auxilia a virtutibus infusis, et donis Spiritus sancti distincta?*

• RESPONDEO id videri probabilius, ut communiter docent Theologi: *tum quia* alioqui frustra plura et distincta Sacramenta essent instituta; quippe cum augmentum gratiæ haberi posset per frequentem ejusdem Sacramenti repetitionem, puta per sacram Communionem; verisimile enim est, quod plus gratiæ habitualis conferatur per frequentationem Eucharistiæ, quam per receptionem aliorum Sacramentorum. *Tum quia* SS. Patres docent Sacramenta Matrimonii, et Ordinis esse instituta, ut per gratiam ejusmodi Sacramentorum Ecclesiastica munia rite possent perfici, et conjugii onera æquo animo sustineri, necnon et mutuus amor inter conjuges rependi, mutuaque servari fides, et proles pie educari. Docent pariter Confirmationem esse institutam ad conferendam gratiam, qua constanter, ubi necessum fuerit, fidem profiteamur adversus quoslibet illam impugnantes, etiam cum honorum jactura et vitæ dispendio. Idem dicendum de cæteris Sacramentis, cum enim Baptismus sit per se institutus ad spiritualem generationem hominis, et ad vitam gratiæ instaurandam, verisimile est quod per ipsum conferantur auxilia quædam specialia, quibus illa vitæ novitas perficiatur ac servetur. Similiter Sacramentum Penitentiae confert aliquod auxilium speciale ad efficacius detestanda peccata, et satisfaciendum pro commissis. Pariter Eucharistia, cum sit instituta per modum alimenti spiritualis, confert auxilia, per quæ præservamur a morte spirituali, nempe mortali peccato. Idem constat de Extrema-Uctione, quæ cum ordinata sit ad abstergendas peccatorum reliquias, et conferendum robur in illo vitæ discrimine, merito credi potest, quod specialia conferat quædam auxilia ad ejusmodi effectus. — *Denique*, ea distinguuntur, quorum effectus sunt diversi: atqui diversi sunt effectus gratiæ gratum facientis, et gratiæ sacramentalis: effectus enim gratiæ gratum facientis est tribuere aliquam similitudinem divinæ naturæ, juxta illud 2. Petri, cap. 1. *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*: effectus autem gratiæ sacramentalis est conferre aliquod remedium contra defectus peccati: ejusmodi autem effectus sine dubio sunt diversi: igitur, etc. — Idem patet de gratia sacramentali respective ad virtutes et dona; gratia enim sacramentalis se habet ad gratiam virtutum, et donorum, quemadmodum gratia virtutum et donorum se habet ad gratiam sanctificantem communiter sumptam. Quod ut percipiatur, advertendum est gratiam sanctificantem tripliciter considerari: *primo* quidem communiter, quatenus videlicet hominem facit Deo gratum, et divinæ naturæ consortem: *secundo*, gratiæ virtutum et donorum addunt super ejusmodi

gratiam sanctificantem auxilia quædam, quibus homo perficitur et vegetatur, ad eliciendos actus conformes ipsis donis et virtutibus, maxime vero ad credendum, sperandum, et diligendum Deum super omnia: gratia vero sacramentalis perficit hominem ad speciales Sacramentorum effectus mox designatos. Quod autem revera sacramentalis gratia addat aliquid super gratiam virtutum et donorum, sicut et supra gratiam habitualem, aperte colligitur, quia alias Sacramenta frustra conferrentur habentibus gratiam habitualem, ac virtutes, et dona Spiritus sancti; maxime cum ejusmodi gratia facilius augeri posset virtutum et donorum exercitio, quam Sacramentorum ope.

DICES: Gratia sacramentalis ordinatur tantum ad tollendos animæ defectus, qui ex peccatis oriuntur: sed ad id sufficit gratia virtutum et donorum, omnia quippe peccata excluduntur per ejusmodi virtutes, quia nullum est, quod alicui virtuti non opponatur: igitur, etc. — **Distinguo minorem:** ad id sufficit generatim, *concedo:* speciatim, *nego:* nam habitualis gratia virtutum et donorum tollit quidem generale defectum animæ, et generale vulnus potentiarum ejus, privationem virtutis et gratiæ; non tollit autem peculiare aliquos defectus, ad quos auferendos ordinatur gratia sacramentalis.

QUÆRES 2. *Quænam sit illa gratia Sacramentalis?*

RESPONDET Paludanus, esse habitum aliquem peculiarem realiter distinctum ab habituali gratia, virtutibus, et donis Spiritus sancti, quem appellat regenerativum in Baptismo, corroborativum in Confirmatione, nutritivum in Eucharistia. Idem dicendum de cæteris. *Verum* refellit, tum quia nulla est necessitas admittendi istius habitus; actus enim ad quos juvat gratia sacramentalis, aut sunt communes, et ordinarii ex deliberata voluntate elicti; aut sunt extraordinarii, et ex solo speciali Spiritus sancti motu, non autem ex propria deliberatione exerciti, quales fiunt interdum a viris sanctioribus: sed ad priores actus sufficit gratia habitualis, cum virtutibus supernaturalibus; ad posteriores vero sufficiunt dona Spiritus sancti, quibus reddimur facile mobiles ad sequendum ejusmodi divini Spiritus impulsus.

Alii aliter sentiunt; sed omissis eorum sententiis, existimo dicendum, gratiam sacramentalem addere supra gratiam habitualem et virtutes ac dona Spiritus sancti, auxilia actualia, puta piam et sanctam cogitationem, motusve subitos voluntatis a Deo divinitus immissos, ad consequendum finem Sacramentorum, ad quæ quidem auxilia jus habet, qui Sacramenta suscipit; licet enim quæcumque gratia habitualis exigat aliqua auxilia, sive gratias prævenientes ad resistendum tentationibus, et bene operandum: *Deus namque* (loquitur Tridentinum, Sess. 6. cap. 11.) *sua gratia actuali semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur:* rationem præmiserat, *Quo, inquit, fit, ut justii ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem et amici facti Deo, sobrie, juste, et pie viventes proficere possint per Christum Jesum, qui diligentes se diligit, ditans eos specialibus favoribus et auxiliis, quibuscum facilius possint, si velint, mandata Dei servare: id quippe consentaneum est legibus amicitiae, ut amicus juxta voluntatem amici operetur. Licet quæcumque gratia habitualis sibi vindicet specialia auxilia necessaria*

ad sui conservationem, attamen potissimum convenit gratiæ sacramentalis, quæ de congruo postulat certa quedam auxilia, quibus obtineatur finis a Christo Domino per Sacramentum specialiter intentus: quemadmodum contingit apud homines, ut dum subditus aliquis meruit sui Principis amicitiam suis obsequiis in aliquo loco, maxime dignus est, ut ibidem præmio donetur: v. g. dum urbem aliquam ex parte adversariorum ad deditionem compulit, dignus est, ut ejus urbis præfectus instituat.

DICES: Idem habitus gratiæ non sufficit ad actus speciè diversos: sed in Sacramentis sunt actus speciè diversi; Matrimonium enim ordinat ad servandam conjugii fidem, ad christianam liberorum educationem, et onera familiæ ferenda: ergo ad eos actus eliciendos concurrere debet alius habitus: sed ille alius esse non potest, quam gratia sacramentalis: ergo gratia sacramentalis non est auxilium actuale, sed habituale. — **Nego majorem:** nam gratia sanctificans, quæ collata fuit in statu innocentia, et in veteri Testamento, non videtur speciè diversa ab ea, quæ confertur hominibus justis in Lege Evangelica; diversos tamen speciè præstat effectus; nam gratia status innocentia coercerat effrenes motus sensitivæ partis, et corpus animæ, ac sensum rationi subjacebat; quem utique effectum non præstat gratia sanctificans novi Testamenti. Hæc similiter longe efficacior est, quam gratia veteris Testamenti: quippe cælum hominibus prius clausum aperit.

QUÆRES DENIQUE: *Quinam habeant jus ad illa auxilia Sacramentalia?*

RESPONDEO, probabilius videri, eos dumtaxat jus illud sibi vindicare, qui gratiam sanctificantem in Sacramenti receptione obtinent, et obtentam conservant. Unde qui gratiam Dei cum Sacramento Matrimonii non accipit, nec acquirit jus ad auxilia specialia, quæ sanctos conjuges ad educationem liberorum, et alia Matrimonii onera ferenda juvant, et ita in aliis Sacramentis. *Probat*, quia Auctor sermonis in *carna* apud S. Cyprianum, cap. *De ablutione pedum*, ait: *Deus reversis per penitentiam dat, ut iterum possint eis injuriata sacramenta prodesset: quorum si penitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Hinc qui suscepto Confirmationis Sacramento, gratiam per peccatum mortale amittit, et rursus ad Deum per penitentiam redit, haud dubie plus recipit gratiæ, quam qui non accepta Confirmatione, cum æquali dispositione accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum; is enim animo promptiori paratus est ad subeunda quæque tormenta pro tuenda fide, quam qui non suscepto Confirmationis sacramento simili ratione ad Pœnitentiæ accederet. Hic autem animi vigor non confertur præcise per Pœnitentiæ sacramentum; quia hoc gratiam confert pro mensura dispositionis suscipientis: oportet ergo, ut proveniat ex vi susceptæ Confirmationis, cujus gratia reviviscit per penitentiam, quatenus removet impedimentum, nempe peccatum.

DICES: Actuale gratiæ auxilium non exigit statum gratiæ sanctificantis; siquidem istud Deus interdum largitur, etiam perditissimis hominibus, ut constat exemplo S. Pauli, Magdalena, et aliorum peccatorum, qui divino irradiante gratiarum lumine ad bonam frugem sese receperunt: igitur status gratiæ habitualis sanctificantis non est necessarius ad suscipienda auxilia per Sacramenta. — **Distinguo ante-**

cedens: si gratia actualis detur ex mera liberalitate et misericordia. qualiter data est tum S. Paulo, tum aliis illustribus penitentibus. *concedo*: si detur ex aliquo jure seu debito, quemadmodum dantur auxilia per Sacramentorum collationem debita. *nego*.

INSTABIS: Gratia sacramentalis non habet majorem connexionem cum gratia sanctificante, quam virtutes divinitus infusæ: sed hæc possunt esse sine gratia sanctificante: nam in peccatoribus possunt esse fides et spes, in quibus tamen gratia gratum faciens non residet. — **Distinguo majorem**: non habet majorem connexionem, quam virtutes, quæ ab ipsa gratia sanctificante profluunt. *concedo*: quam virtutes, quæ requiruntur ut dispositiones ad gratiam. *nego*. Et similiter distincta *minore*. *nego consequentiam*. Fateor enim gratiam sacramentalem non habere majorem connexionem cum gratia sanctificante quam charitas, quæ ab ipsa profluit, estque eadem realiter cum ipsa: secus autem est de virtutibus, quæ ab ipsa non profluunt, sed potius ad eam sunt dispositiones præviæ; quales sunt fides et spes.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM, QUALEM, ET CUI SACRAMENTA CHARACTEREM IMPRIMANT.

NOTANDUM 1. Ex Doctore in 4. dist. 6. quæst. 9. num 3. nomine *characteris* hic significari signum aliquod, quo assimilantur invicem ii qui tali signo notantur, et ab aliis hominibus discernuntur: *χαρακτήρ* enim græce, latine dicitur *forma*, *figura*, vel *imago*, *nota*, aut *signum* quoddam distinguens aliquos ab aliis. Hinc Heb. 1. Filius Dei dicitur græce *χαρακτήρ τῆς ἰσοστάσεως αὐτοῦ*, hoc est, figura et imago substantiæ ipsius Patris: et Apoc. 13. dicuntur aliqui habere *characterem bestię*, seu figuram in frontibus et manibus, quo significetur eos pertinere ad familiam bestię. Quocirca figura, quæ candente terro pecoribus imprimitur, ut domini sui notam gerant, et discerni possint a pcedibus alterius domini, vulgari sermone *character* appellatur. Hoc modo etiam, inquit Doctor, dicimus characteres, figuras, quibus litteræ scribuntur: qua ratione etiam figuræ quædam protractæ in incantationibus characteres solent appellari. Itaque nomine *characteris* proprie significant Theologi *signum quoddam spirituale impressum a Deo suscipienti Sacramentum non iterabile*.

NOTANDUM 2. Ex eodem *ibidem* duas potissimum hujus characteris distingui proprietates, duosque effectus: alium quidem physicum, alterum vero moralem. *Physicus* est, ut sit assimilatio subjecti habentis characterem ad aliud quod similem formam obtinet, et distinctio ejusdem ab alio ita non signato. *Moralis* vero est, ut sit signum rememorativum Sacramenti suscepti, conformativum Christo, cujus Sacramentum suscipitur, et obligans suscipientem ad legem et fidem servandam, cujus est initiatio: tandem ut per illud signum suscipiens Sacramentum deputetur ad aliquod munus: quemadmodum per aliquam notam peculiarem homines olim militiae adscribebantur. Inde colligit Doctor, characterem distingui ab alio effectu Sacramenti, nempe gratia, necnon a virtutibus infusis, fide, spe, et charitate; « quia, inquit, tales virtutes non semper imprimuntur suscipienti Sacramen-

« tum non iterabile, utpote fiete suscipienti Ordinem, vel Confirma-
 « tionem: character autem semper imprimitur. Hoc etiam apparet ex
 « quadam alia conditione, quam communiter loquentes attribuunt cha-
 « racteri, scilicet quod est indelebilis: virtutes autem istae sunt dele-
 « biles, ut patet de peccante mortaliter, in quo non remanent istae
 « virtutes. »

NOTANDUM 3. Recentiores hereticos in dubium revocare, quod per
 Sacramenta novae Legis ejusmodi character imprimatur suscipientibus;
 nam Joannes Wielēt, lib. 4. *Triologi*, cap. 15. ait: « Multiplicant qui-
 « dam in ordinibus a Sacramentis characteres; sed istorum fundatio-
 « nem, et fructum, nec in Scriptura sacra, nec in ratione considero. »
 Lutherus quoque lib. *De captivitate Babylonica*, cap. De Ordine, cha-
 racterem sic irridet: « Efflexerunt, inquit, characteres, quos hūic suo
 « Sacramento tribuerunt, qui imprimerentur ordinatis: unde ergo tales
 « cogitationes, qua auctoritate, qua ratione stabiliuntur? » Similiter
 Calvinus in *Antidoto*, Can. 9. Sess. 7. Concilii Tridentini: « Quod,
 « inquit, de characterem indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina:
 « nam in veteribus id totum ignotum fuit, et magis consentaneum est
 « incantationibus magicis, quam sanae Evangelii doctrinae: eadem
 « ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit. »

His praemissis, quatuor potissimum ac in Quæstione sunt statuenda:
primum, quod revera per aliqua dumtaxat Sacramenta imprimatur cha-
 racter: *secundum*, quod ille non sit aliqua relatio rationis, ut voluit
 Durandus, nec tantum realis, ut quidam perperam fingunt Doctorem
 Subtilem asseruisse; sed qualitas quaedam spiritualis: *tertium*, utrum
 character ille immediate subjectetur in animæ substantia, vel in aliqua
 ex ejus facultatibus: *quartum* denique, an sit omnino indelebilis, et
 inamissibilis.

Conclusio prima. — TRIA SACRAMENTA NOVAE LEGIS, PUTA
 BAPTISMUS, CONFIRMATIO ET ORDO IMPRIMUNT CHARACTEREM SPIRI-
 TUALEM. Hæc est de fide, determinata in Conciliis, maxime Floren-
 tino in Decreto Eugenii, ubi legimus: *Inter hæc Sacramenta (novae
 Legis) tria sunt, Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem,
 idest, spirituale signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima
 indelebile: unde in eadem persona non reiterantur: reliqua autem qua-
 tuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt. Idem
 definit Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 9. his verbis: Si quis
 dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Or-
 dine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam
 spirituale, et indelebile: unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Eandem veritatem perpetua traditione ab Ecclesiae primordio ac-
 ceptam luculenter expressit Innocentius III, ut refertur in capite
Majores, de Baptismo, ubi cum quæreretur an dormientibus et amen-
 tibus characterem Sacramenti imprimatur in Baptismo, ita ut excitati
 a somno, vel ab aegritudine non sint denuo baptizandi, *respondet*,
 « Sunt qui dicunt, quod Baptismus et Ordo non solum dormientibus
 « et amentibus, sed invitis et contradicentibus, etsi non quoad rem,
 « quoad characterem tamen conferuntur: alii non absurde distinguunt,
 « quod hic, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, ne de-

« trimentum incurrat, Baptismi suscipit sacramentum, ut qui fiete ad
 « Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum.
 « Qui vero penitus contradicit, et nunquam consentit, nec rem, nec
 « characterem suscipit sacramenti; dormientes autem et amentes,
 « si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione
 « persisterent, etsi sic fuerint immersi, characterem non suscipiunt
 « sacramenti: secus autem, si prius catechumeni fuissent, et habuis-
 « sent propositum baptizandi. Tunc ergo characterem sacramentalis
 « imprimi operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit
 « obsistentem. » Quibus verbis supponit Innocentius, doctrinam de
 characterem sacramentali esse in Ecclesia constantem, et a Majoribus
 acceptam: ut optime notat Subtilis Doctor laudata quæst. 9. num. 11.
 ubi observat, quod etsi dici posset priora hujus auctoritatis verba
 nomine *characteris* significare Baptismum; *tamen per posteriora*, inquit,
quibus dicit, quod sacramentalis operatio imprimi characterem, videtur
expresse loqui de characterem, tamquam de aliquo impresso ipsi animæ,
sicut loquimur in proposito.

Non desunt etiam Scripturæ testimonia huic veritati patrocinantia:
 imprimis enim proferri potest illud 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos*
Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.
 Quibus verbis Apostolus distinguit tres effectus Confirmationis, quorum
primus est gratia, qua instar olei unguimur et roboramur; *secundus*
 est character, quo consecramur Deo, et con-signamur tamquam signo
 Christi ad cultum divinum et aliquod officium; *tertius* est Spiritus
 sanctus, qui nobis reddit testimonium bonæ conscientiæ, estque in
 nobis velut pignus futuræ gloriæ. Fateor tamen ex hac et simili Scri-
 pturæ auctoritate non clare et explicitè concludi posse ejusmodi sa-
 cramentalis characteris impressionem: aliquis enim reponere posset,
 ejusmodi Scripturæ textus exponendos esse de gratia sanctificante;
 quemadmodum Tridentinum, Sess. 6. cap. 7. vocat illam promissionis
 Spiritum sanctum, dicens: *Efficiens vero (causa justificationis) misericors*
Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu
promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Et de hac intel-
 ligunt locum Apostoli 2. Corinth. 1. Chrysostomus, (Ecumenius, et alii.
 Quamvis autem non omnes eam recipiant in susceptione Sacramenti,
 tamen ipsum Sacramentum, quantum est ex se, natum est illam con-
 ferre, quod sufficit.

Proferuntur etiam plures SS. Patrum auctoritates eandem veri-
 tatem insinuantes; primo quidem Cyrillus Hierosolymitanus præfatione
 in suas *Catecheses*: ubi ait: *Magnum est sane propositum Baptisma*
captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regene-
ratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, et indelebile: sed
 Baptismus non est indelebilis ratione gratiæ sanctificantis; hæc enim
 per quodlibet mortale peccatum deperditur: ergo talis dicitur ratione
 signaculi in baptizato manentis, quale nullum esse potest aliud, nisi
 character. Similiter S. Basilius, Homil. 13. ait: *Nisi signaculum in te*
agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?
Quomodo, dices, Dei sum, signa Dei non ostendens? an ignoras que-
madmodum signatus domos in Ægypto præterit exterminator, in non
signatis vero primogenita premit? Thesaurus non obsignatus facile

patet furibus; oris absque nota, protinus insidiis est obnoxia. Item S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 4. *Baptismus*, inquit, *est sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio: significat enim cujus Domini possessio simus.* Et intra: *Prius signata non facile insidiis appetitur, quæ non est signata facile capitur a furibus.* Sanctus Chrysostomus, Homil. 2. in Epist. ad Ephesios: *Signati sunt Israelitæ: sed nota circumcisionis, ut pecora: nos ut filii in diem redemptionis.* Unde Homil. 14. ait: *Nos fecit gregem regalem.* Idem habent alii SS. Patres, ut Hieronymus ad Ephes. 1. *Deus imprimit animæ signaculum sancti Spiritus.* Et S. Ambrosius 1. *De Spiritu sancto*, cap. 6. *Spiritu signamur, ut splendorem et imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est spirituale signaculum.* Sed omnium optime huic veritati adstipulatur S. Augustinus pluribi, maxime vero lib. 6. *De Baptismo*, cap. 1. scribens: *Eluxit Pastoribus Ecclesiæ, ovem, quæ foris errabat, et dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus foris acceperat venientem ad Christianæ unitatis salutem, ab errore corrigi, a vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea potius agnosci quam improbari: quandoquidem ipsum characterem multi et lupi, et lupis infigunt; ille autem dominicus character, aut est ipsa Dei gratia, aut ipsum Sacramentum, aut aliquod indelebile signaculum impressum animæ: sed non est ipsa gratia; hæc enim non infigitur lupis, idest malis hominibus in malitia sua permanentibus, nec agnoscitur in ove toris inter hæreticos errante. Non etiam est ipsum Sacramentum; quia character ille, cujus meminit S. Augustinus, infigitur lupis: at exterius Sacramentum dici non potest infigi; nam est actio transiens: igitur necessum est, quod loquatur de characterem impresso animæ.*

Advertendum nihilominus, ut notat Doctor num. 14. hanc auctoritatem posse intelligi de ipso Baptismo, non autem de effectu Baptismi. Unde fateor, quod neque hæc auctoritas, nec aliæ supra a nobis memoratæ sufficerent ad astruendum istum characterem sacramentalem, nisi intercederet Ecclesiæ definitio. Unde ibidem Doctor præclare colligit: *Propter ergo solam auctoritatem Ecclesiæ, quantum occurrit ad præsens, est ponendum characterem imprimi.* Unde præclare Suarez, disp. 11. Sect. 1, postquam varia recensuisset SS. Patrum testimonia pro impressione characteris sacramentalis, subdit: « quoniam vero, « inquit, hæc omnia testimonia non videntur cogere, ideo Scotus d. 6. « q. 9. dicit facile exponi posse ipsum Sacramentum Baptismi, v. g. « esse characterem, et ideo concludit sola auctoritate Ecclesiæ nos cogi « ad ponendum characterem. Sed quamvis verum sit Ecclesiæ aucto- « ritatem habere præcipuas partes in hoc negotio, tamen ea supposita « intelligimus mentem Sanctorum fuisse in eadem significatione de « characterem loqui; et sine dubio multa ex dictis Sanctorum melius « prædicto modo intelligentur ». Quibus verbis optime attingit scopum Doctoris, et mentem a nobis expositam.

Tres nihilominus pro asserendo ejusmodi characterem congruentias profert Doctor n. 15. ubi scribit: « *Primo*, congruum est ad formam « perfectam poni aliquam dispositionem: gratia autem forma est super- « naturalis et perfecta: ergo congruit ad eam esse aliquam disposi- « tionem præviam supernaturalem: talis est character. *Secundo*, con- « gruit Deum non instituiss: Sacramenta vana, saltem pro nova Lege,

« quæ perfecta est: ergo congruit, quod Sacramenta sua a nullo reci-
 « piantur vere, quin aliquem effectum habeant: sed non semper habent
 « gratiam, sicut in fïcto: ergo aliquem alium. *Tertio*, congruit rece-
 « ptum in familiam Christi distingui a non recepto per aliquid intrin-
 « secum sibi; quia licet Christus posset distinguere sine tali intrinseco,
 « tamen perfectior est et in se. et in comparatione ad omnem Eccle-
 « siam, militantem scilicet et triumphantem, si fiat per aliquam formam
 « intrinsecam manentem, quam si non sic fiat. Tale distinctivum ejus,
 « qui suscepit Sacramentum, quo intratur in familiam Christi, ab eo,
 « qui non suscepit, et immanens in suscepto ponitur character ».

Subdit autem quod istarum congruentiarum tertia est magis ratio-
 nabilis, quia est etiam specialis de Baptismo: duæ autem aliæ talem
 habent probabilitatem, quod si ponatur character, tali modo ponetur,
 qualem illæ congruentiæ tangunt. Unde concludit: *Sic ergo breviter*
teneatur conclusio propter auctoritatem Ecclesiæ prius adductam: et duæ
congruentiæ, una de susceptione in familiam Christi, et alia de dispo-
sitione conferenda, sunt probabiles.

Ex quibus apparet Doctorem Subtilem non revocare in dubium veri-
 tatem et existentiam characteris sacramentalis, ut quidam perperam
 ipsi imponunt, sed tantum quod illa veritas probari non possit ex-
 pressis et evidentibus Scripturæ sacræ, aut sanctorum Patrum sen-
 tentiis: neque ulla efficaci ratione demonstrari, sed dumtaxat quod
 constet ex auctoritate Ecclesiæ, ejus traditioni et definitioni suffra-
 gantur tum Scripturæ, tum sanctorum Patrum oracula.

Aliam hujus veritatis congruentiam subjicit Auctor *Sermonis de*
Carna apud Sanctum Cyprianum: nam agens de ablutione pedum, aperte
 significat Baptismum, Confirmationem, et Ordinem iterari non posse,
 quia imprimunt characterem. *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent*
regulæ (scilicet in Canonibus Apostolicis 46. et 68.) *et semel sanctifi-*
catis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo
sacros ordines semel datos renovat: nec sacro oleo linitos iterum linit,
et consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat Sacer-
dotum, quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset, quod
ille sanctificat.

REPONUNT HERETICI 1. Baptismum non iterari, quia est ingressus
 in Ecclesiam. — **Contra**, exinde sequeretur quod ubi quis ab Ecclesia
 per apostasiam est egressus, iterum ad eam accedens deberet baptizari,
 quod militat adversus præfatorum Patrum, et veterem Conciliorum doe-
 trinam.

REPONUNT 2. Ideo non iterari, quia est spiritualis regeneratio pur-
 gans animum ab originali peccato. — **Contra**, dum quis cum effectu
 peccati mortalis baptizatur, nec regeneratur spiritualiter, nec peccatum
 originale dimittitur, attamen iterum dum facti poenitet non baptiza-
 tur. *Deinde*, regeneratio spiritualis fit etiam per contritionem exci-
 tatam per Evangelii prædicationem, ut dicitur Apoc. 1. et ad Cor. 4.
Per Evangelium ego vos genui: nihilominus sic geniti baptizantur. De-
nique, toties homo regeneratur, quoties amissam spiritualem vitam re-
cipit; non tamen toties baptizatur.

REPONUNT 3. In probanda characteris existentia fieri circulum vi-
 tiosum, idcirco enim dicimus tria Sacramenta imprimere characterem,

quia non possunt iterari: et non posse iterari, quia characterem imprimunt: sed hæc ratiocinatio nulla est, ut constat ex Aristotele, lib. *priorum*: ergo, etc. — **Nego majorem**: circulus enim vitiosus est dum fit in eodem genere causæ: secus hic; nam impressio characteris est causa, cur Sacramentum non iteretur, et non iteratio est effectus illius characteris: unde sicut rationale rite probatur *a posteriori* per risibile, et risibile *a priori* demonstratur per rationale, ita et character recte inferitur per negationem iterationis, et hæc per characteris impressionem.

DICES 1: Nulla apparet sufficiens ratio, propter quam videatur admittendus sacramentalis character: igitur frustra asseritur. *Probat*ur *antecedens*: vel enim admitteretur tanquam dispositio ad gratiam, quod affirmari non potest, quia Sacramentum in voto susceptum confert gratiam independentem a characterem: insuper, inquit Doctor n. 16. cum in quolibet Sacramento coneratur gratia, in quolibet requireretur impressio alicujus characteris, ut esset dispositio prævia ad ejusmodi gratiam conferendam, quod falsum est: vel admitteretur ut distingueret baptizatum a non baptizato: at hoc videtur etiam inutile: tum respectu Dei, qui absque ullo prorsus signo novit homines qui et quales sint: tum respectu Beatorum et Angelorum, qui in divina essentia clarissime vident ac discernunt baptizatum a non baptizato: tum respectu nostri, quia cum illud signum spirituale sit, non potest a nobis percipi sensuum beneficio; tum in comparatione ad dæmones et damnatos, cum enim signum istud sit ordinis supernaturalis, consequens est quod cognosci non possit ab intellectu operante dumtaxat ex naturæ viribus; tum denique per ordinem ad officia et ministeria, ad quæ hujusmodi Sacramenta suscipientes deputantur, siquidem illa deputatio fieri pot. st per solam denominationem extrinsecam, quemadmodum deputantur iudices ad jus cuique dicendum. — **Respondeo**, characterem censeri posse hominibus collatum per Sacramenta propter omnes fines assignatos: siquidem Deus hominem characterem insignitum sibi speciali jure vindicat, Beati enim in specialem custodiam assumunt viatores in societatem fidei et Sacramentorum associant, et licet in se non sit sensibilis, tamen per causam, seu per Sacramentum semel collatum distinguit ab eo, qui tale Sacramentum non suscepit. « Beati etiam, inquit Doctor n. 19. et damnati possunt cognoscere hominem characterem insignitum, quem non cognoscerent eo modo, si « tali characterem non notaretur; etenim character in beatitudine subsistit ad majorem gloriam, et in damnatione ad majorem confusionem ». Denique sicut qui deputantur ad diversa officia in domo cujusdam Principis notari solent quibusdam signis, quibus eorum munia noscantur, ita homines qui per Baptismum recipiuntur in familiam Christi; per Confirmationem vero designantur tanquam milites ad profitendam fidem, et per Ordines donantur aliqua potestate circa corpus Christi verum, et mysticum; congruum, inquam, fuit ut peculiari characterem sacramentali ad eadem officia designarentur.

DICES 2: SS. Patres nomine characteris et mystici Christi signaculi seu sigilli, nihil aliud intelligunt, quam ipsum Baptismi sacramentum: igitur sacramentalis character non est aliquis effectus sacramenti. — **Distinguo antecedens**: nihil aliud intelligunt, quam sacramentum Baptismi, quod est signaculum causaliter et efficienter,

ut animæ regeneratio, peccati mors et remissio, *concedo*: formaliter et per se, *nego*: nam illud signaculum dicitur imprimi, vel infigi credentibus, et ab eis portari. ut quid semper manens: at signum foris adhibitum non est ejusmodi, sed potius Baptismatis effectus: nam ex Cyrillo Catech. 16. *Spiritus sanctus obsignat animas in Baptismo*. Ex S. Ambrosio, lib. 1. *De Spiritu sancto: Signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur ut Spiritus sanctus exprimat in nobis effigiem imaginis cœlestis, ut sciamus cordis nostri magis hoc, quam corporis esse signaculum*. Igitur illud signaculum in corde est quid internum, et a Sacramento distinctum.

INSTABIS: Character, de quo loquimur, est signaculum quoddam internum, et spirituale indelebiter animæ impressum: sed character, de quo loquuntur SS. Patres, maxime vero S. Augustinus, non est ejusmodi, nihilque est aliud, quam invocatio sanctissimæ Trinitatis, ut constat ex *sermone super gestis cum Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo: Ego, inquit, quando venio ad fratrem meum, et corrigo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: iste est character Imperatoris mei, militibus, vel potius cum militibus suis ut hunc imprimerent eis, quos congregabant, castris ejus, præcepit dicens: Ite, baptizate gentes*. — *Confirmatur, quia ibidem S. Augustinus docet, quo si Donatus, aut Paulus baptizassent in nomine suo, impressissent suum characterem: igitur nomine characteris impressi in Baptismate, nihil aliud intelligit S. Augustinus, quam ipsam invocationem sanctissimæ Trinitatis, in ejus nomine et virtute confertur Baptismi sacramentum. Patet antecedens, ait enim ibidem: Quod est, inquit, quod dico? Desertor characterem suum non ferit, Donatus non baptizavit in nomine Donati: nam si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris caractere infingeret*. Et rursus ait infra, quod merito Paulus prohibuerit eos, qui dicebant: *Ego sum Pauli*, quia ejus nomine baptizati non erant, et habebant alium characterem, nempe Patris, et Filii, et Spiritus sancti: *Quid vultis, inquit, esse mei, et non potius cujus ego sum: agnoscite, advertite characterem vestrum, numquid in nomine Pauli baptizati estis?* — **Respondeo, concessa majore, distinguendo minorem**: Baptismus est character imprimens, *concedo*: impressus, *nego*: nam, ut eadem imago Regis, idemque character est in sigillo, et cera, sed in sigillo est imprimens, in cera vero est impressus: sic Baptismi sacramentum, maxime ejus forma, est character imprimens; nam ejus nota spiritualis imprimitur animæ, quæ nota character impressus appellatur. Hinc ipsemet S. Augustinus, Epist. 23. ait: *Baptismi sacramentum apud hæreticos valet ad consecrationem, non ad æternæ vitæ participationem*. Namine autem *consecrationis* non intelligit gratiam sanctificantem, hæc enim est vitæ æternæ participatio; neque Baptismus, qui præteriit: ergo necessum est, quod intelligat characterem. Unde tract. 1. in 1. Joann. Epist. *Videat, baptizatur quicumque, si habeat charitatem, et tunc dicat: Natus sum ex Deo: si autem illam non habeat, characterem impositum habet*. Character autem ille non est Sacramentum ipsum, quippe cum non maneat: neque gratia, quia hæc non acquiritur absque charitate: igitur, et: *Ad confirmationem dico, sensum verborum S. Augustini esse, quod si Donatus aut Paulus in nomine suo baptizasset, illa nominum ipsorum*

vocatio præ se tulisset speciem characteris imprimentis, revera tamen non fuisset character imprimens, quia character fuisset desertoris, non Imperatoris, qui unum subinde attulisset effectum; quocirea ait se deleturum, abjecturum, et anathematizaturum, si talem invenisset in homine ad unitatem accedente. Quemadmodum igitur in re monetaria, quando argentum vel aurum signatur Principis imagine, distinguendus est character imprimens in sigillo ferreo, et impressus in argento, vel auro: ita etiam in re Sacramentaria, quando anima in aliquo sacramento characterè signatur, distinguendus est character imprimens in invocazione sanctissimæ Trinitatis, et character impressus in anima suscipientis Sacramentum.

DICES 3: Omnis character est signum: sed nullum in anima potest esse signum, omne enim signum debet esse sensibile: igitur in anima nullus potest esse character. — *Distinguo majorem*: est signum analogice, et per aliquam similitudinem, quatenus videlicet id omne alicui configurat, et assimilat, aut ab alio distinguit, appellatur imago, figura, et signum, quemadmodum Filius dicitur character, et figura substantiæ Patris, concedo; Sacramenta enim fideles invicem colligunt, Christo configurant, et eos ab infidelibus discernunt: est signum proprie dictum, rursus distinguo: ratione sui, et per se, nego, ut sic enim est aliquid insensibile: ratione sacramenti sensibilis, quod suscepit, concedo: novimus enim, et asserere possumus, aliquem insigniri characterè baptismali, quia compertum habemus, quod aqua sit ablutus in nomine sanctissimæ Trinitatis.

PETES: Quare dumtaxat sunt tria Sacramenta characterem imprimentia? — Respondet Subtilis Doctor in 1. dist. 6. q. 10. n. 12. numerum characterum optime colligi et declarari ex proportione, quam habet status legis Evangelicæ ad regimen politicum, secundum quod in familia Principis servantur quidam speciales gradus dignitatis, qui omnibus non conveniunt: *Primus* est associatio in familiam, qui convenit quidem omnibus servis Principis, et per quem ab aliis distinguuntur: *secundus* est militiæ, seu militum deputatorum ad custodiam Principis, et Regni tutelam: *tertius* est Ministrorum, et dispensatorum, juxta varios suos gradus. Servata hac autem proportione, Baptismus est, per quem quis recipitur in familiam, Confirmatio in militiam, Ordo in ministerium et dispensationem. Cætera Sacramenta possunt esse communia omnibus aliis in Christiana familia existentibus, quæ ut fiant evidentia et planiora, Doctoris verba lubet hic at-
 « Dico, *inquit*, quod hoc potest patere per simile in politiis
 « istis mundanis: nullus enim habet determinatum gradum in familia
 « Regis, quia comedit vel bibit, nec quia post offensam dominus re-
 « conciliatur sibi, nec quia multiplicat personas in ista politia; nam
 « isti actus communes esse possunt omnibus in quocumque gradu:
 « sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam do-
 « mini; alium, quando ulterius proficit, et constituitur miles ad de-
 « fendendum Rempub.: alium, quando constituitur ut supremus sub
 « domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua fa-
 « milia; utpote aliquis Senescallus generalis, et immediatus sub Do-
 « mino, cui commissa est auctoritas universalis ad recipiendum aliquos

« in familiam Domini. Et ideo si esset nomen impositum, quod signi-
 « ficaret gradum in familia, vel baliviam, non diceretur gradum, vel
 « dignitatem habere aliquis, quia accedens ad mensam, vel quia con-
 « jugatus, vel quia rediens ad gratiam post offensam: sed diceretur
 « tantum habere gradum, qui de populo, esset assumptus in fami-
 « liam domini: et ulteriorem gradum, qui in familia constitueretur
 « ad defendendam domum, vel dominum; et ulteriorem, qui con-
 « stitueretur tamquam propositus ad recipiendum aliquos ad fami-
 « liam, et instituendum inferiores. Sic in proposito, tria Sacramenta,
 « scilicet Eucharistia ad nutritionem spirituales, Matrimonium ad
 « procreationem corporalem, Pœnitentia ad reconciliationem annua-
 « lem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, imo possunt esse
 « communes omni membro Ecclesiæ, in quocumque gradu. Sed *primus*
 « gradus Ecclesiæ, et quidem universalissimus, est recipi in familiam
 « Christi, quod fit in Baptismo. *Secundus specialis*, in militiam ad de-
 « fensionem fidei Christianæ, quod fit in Confirmatione. *Tertius*, con-
 « stitui in Patrem, et Pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam,
 « et ad dirigendum et instituendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut
 « in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet re-
 « ceptionem in familiam, promotionem ad militiam, et prælationem
 « ad doctrinam, bene tamen iterari possunt nutritio, et procreatio, et
 « reconciliatio: ita in proposito, tria Sacramenta non decet iterari: alia
 « autem iterantur: et in non iterandis gradus non iterabilis acquiritur,
 « et character dicitur: in iterandis autem non. » — His concinit Cate-
 « chismus Tridentinus, q. *De Sacram. in communi*, n. 30, ubi ait: « Jam
 « vero character hoc præstat, tum ut apti ad aliquid sacri suscipien-
 « dum, vel peragendum efficiamur, tum ut aliqua nota alter ab altero
 « internoscatur. Ac Baptismi quidem character utrumque consequi-
 « mur, ut ad alia Sacramenta percipienda reddamur idonei, et eo præ-
 « terea fidelis populus a Gentibus, quæ fidem non colunt, distinguatur:
 « idem autem in character Confirmationis, et sacri Ordinis licet co-
 « gnoscere: quorum altero veluti Christi *licet cognoscere* milites ad ejus
 « nominis publicam confessionem, et propugnationem, ac contra in-
 « situm nobis hostem: et spiritualia nequitiae in cœlestibus armamur,
 « atque instruimur, simulque ab iis, qui nuper baptizati, tamquam
 « modo geniti infantes sunt, discernimur: alter vero tum potestatem
 « Sacramenta conficiendi et ministrandi conjunctam habet, tum eorum,
 « qui ejusmodi potestate præditi sunt, a reliquo fidelium cœtu distin-
 « ctione ostendit. »

Conclusio secunda. — CHARACTER SACRAMENTALIS NON EST RELATIO RATIONIS, NEC REALIS, SED FORMA REALIS ABSOLUTA. Hæc videtur probabilior Subtilis Doctoris sententia, quidquid nonnulli minus modeste ipsi perperam affingant: quod ut appareat evidentius, placet Doctoris verba in 4. dist. 6. qu. 10. num. 13. exscribere. Ait autem: « Ad quæstionem potest dici, quod sicut non potest probari aliquam
 « formam realem imprimi in susceptione Baptismi, aliam a gratia et
 « virtutibus, et hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per
 « rationem evidentem ex creditis manifestis; ita non potest probari
 « characterem, si ponatur forma realis, esse formam absolutam realem,

« vel respectivam, quia utrumque salvari potest, quod sit scilicet
 « forma respectiva, sic ut jam ostensum est, vel quod sit forma realis
 « absoluta. Si ponatur, non potest evidenter improbari: quaedam enim
 « sunt satis rationabiliter concedenda de charactere, si ponatur esse,
 « utpote *quod est forma spiritualis impressa a Deo cuicumque susci-*
 « *pienti Sacramentum non iterabile;* et quod ex institutione divina ef-
 « ficaciter significat gratiam illam Sacramenti, et quod disponat ad
 « eam, sicut declaratum est in quaestione praecedente, quia est in eodem
 « susceptivo, et ab eodem agente, et forma prior, et imperfectior, et
 « quod sit indelebilis, cum non habeat causam meritoriam corruptivam.
 « Et quod sit signum memorativum respectu susceptionis Sacramenti,
 « quae praeteriit, et signum configurativum, idest, signans obligationem
 « animae ad Christum. Quod etiam sit forma assimilativa alteri susci-
 « pienti Sacramentum, et ab alio distinctiva, qui non suscipit. » Ex
 his apparet, quam temere Subtili Doctori quidam cum Vasquezio, 3.
 p. d. 131. c. 2. obloquantur, et cum temeritatis insimulent, quod di-
 xerit characterem esse relationem rationis; imo longe non minus ab
 ejus sententia recedunt, qui volunt ipsum asseruisse characterem esse
 relationem realem; nam si penitus e recto rerum aestimatore et judice
 inspiciatur Doctor, apparebit eum duntaxat docuisse, quod utique propu-
 gnari posset sententia affirmans characterem esse relationem realem;
 probabiliorem tamen judicat illam esse sententiam, quae contendit
 ipsum characterem esse formam absolutam de genere qualitatis: quam
 utique sententiam quasi suam propriam, ut assolet, postremo loco as-
 signat et propugnat. Unde illam etiam propugnant celebriores illius
 Discipuli, Bassolius, hic quaest. 3. Mayronius, dist. 7. quaest. 5. art. 10.
 Rubioneus, quaest. 2. art. 2. Vorillon, quaest. 3. dist. 3. con. 1, ut missos
 taceam omnes Modernos, qui cum doctissimo Scholiaste Cavello eam-
 dem assertionem tuentur.

Probatur itaque Conclusio: in eo constituenda est characteris es-
 sentia, quod magis conducit ad illius dignitatem et efficacitatem: at
 ita est de sententia, quae affirmat illum consistere in aliqua forma
 reali absoluta: igitur, etc. *Major patet:* siquidem Sacramentorum ef-
 fectus ea majori commendatione celebraudi sunt, qua possunt, absque
 ulla contradictione et repugnantia: hoc enim maxime confert ad di-
 gnitatem Christianae Religionis, et Dei bonitatem erga homines cele-
 brandam. *Minor vero probatur:* forma realis absoluta est multo per-
 fectior, quam quaelibet respectiva, ut norunt Philosophi: siquidem re-
 lationes sunt exilioris ac tenuissimae entitatis, magisque dependent,
 quam formae accidentales absolutae, siquidem haec duntaxat dependent
 a subjecto cui inhaerent: illae vero non solum dependent a subjecto,
 sed etiam a fundamento et termino. Et insuper relationes extrinsecus
 advenientes, inter quas aliqui volunt reponendum esse characterem,
 dependent etiam a conditionibus extrinsecis, sine quibus non existe-
 rent. — *Deinde,* relatio per se non producit, sed resultat ad alterius
 productionem, ut similitudo inter duos parietes albos: at character per
 se primo producit, ut dictum est in praecedenti Conclusionem, ubi pro-
 batum est quaedam Sacramenta producere et imprimere characterem
 immediate in eo, qui cum fictione, et tamen valide suscipit Sacramen-
 tum aliquod imprimens characterem: non potest autem illius Sacra-

menti assignari alius terminus, aut effectus, quam ipse character; quandoquidem eo in casu non producat sacramentalis gratia: igitur character est aliqua forma realis absoluta — *Denique*, si esset relatio, maxime vel rationis, vel realis: sed neutrum recte potest affirmari. *Non primum*: tum quia Concilia et SS. Patres asserunt characterem esse signum spirituale animæ impressum: sed hæc de ente rationis verificari non possunt, utpote cum non imprimatur animæ, sed tantum objective sit in intellectu: *tum quia* Deus est præcipuus auctor sacramentalis characteris: sed Deus non est auctor entium rationis; absit enim, ut dicamus Deum aliter concipere rem a parte rei, quam sit: *tum quia* homo per characterem signatur, et revera distinguitur ab alio, qui hujusmodi characterem non insignitur: sed ita signari non potest per ens rationis: quomodo enim illa relatio rationis, et extrinseca denominatio posset esse signum, quo unus præ alio deputatur ad sacras actiones, et facultatem habeat illas exercendi, cum nihil ponat in homine, nec per se sit cognoscibilis? *Tum denique quia* character est indelebilis: at ens rationis non potest dici indelebile, cum tantum existat per intellectus fictionem, quæ facillime evanescit: igitur character non potest censi relatio rationis. — Probabilius est pariter illum non esse *relationem realem*: etenim esset vel intrinsecus, vel extrinsecus adveniens. Non quidem *prima*: hæc enim postulat fundamentum proximum, et terminum realiter existentem: sed character Baptismi, et Ordinis v. g. impressus Apostolis, non habuit aliquando terminum actu existentem, puta in triduo mortis, quando Christus non erat. Nihil etiam assignari potest, quod sit illius fundamentum proximum, si quid enim esset, maxime actualis susceptio Sacramenti: sed hæc censi non potest fundamentum proximum characteris, quia impossibile est relationem actu subsistere non subsistente amplius illius fundamento proximo: sed character subsistit, utpote cum sit indelebilis, etiam transacta actuali susceptione Sacramenti; igitur illa Sacramenti susceptio non potest censi fundamentum proximum illius characteris. Concludendum est ergo, quod character sit forma absoluta. — Non etiam est *relatio extrinsecus adveniens*: licet enim in homine baptizato, ordinato, et confirmato, ex actione sacramentali, qua baptizatus, confirmatus, et ordinatus est, maneat relatio extrinsecus adveniens ipsius hominis ad ministrum talium Sacramentorum; hæc tamen relatio non potest dici character; alioqui ex actione aliorum Sacramentorum sequeretur etiam imprimi characterem, quippe cum ex illa actione ejusmodi relatio exurgat. Quod utique probatur, quia illa relatio, quæ manet ex applicatione Baptismi, v. g. non est aliud, quam denominatio baptizati: atqui similis relatio, seu denominatio nutriti, absoluti, sanati, et conjugati, manet ex applicatione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Uctionis et Matrimonii: igitur, etc.

PETES: Ad quam speciem qualitatis spectet character? — Respondet Doctor, loco supra laudato n. 15. posse revocari ad primam, vel ad secundam speciem qualitatis, nempe vel ad *habitum*, vel ad *potentiam*, ait enim Doctor: *Respondeo ergo, quod si character ponatur accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima: nec alterum istorum potest evidentè improbari; quod utique sic probat:*

Si character non posset reduci ad secundam speciem, maxime quia ad illam speciem solum pertinent ea, quæ habent rationem potentie naturalis; ac proinde cum character sit qualitas supernaturalis, non potest ad illam spectare: sed hæc ratio nulla est; quia, inquit Doctor, quamquam Philosophus complexus fuerit sub hoc membro solas qualitates naturaliter activas, tamen, inquit, *potentia supernaturalis, si est absoluta, et accidentalis, et spiritualis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali.* — Similiter si revocetur ad primam speciem, nempe ad *habitum*, quia est difficile mobilis, non poterit improbari; si enim quid obesset, quominus character posset revocari ad habitum, maxime quia habitus datur ad faciliter operandum, character vero, cum sit supernaturalis, datur ad simpliciter operandum; vel quia character est dispositio ad gratiam, ac subinde non est habitus; vel quia habitus est determinatus ad unum agendi modum, bonum aut malum, quia non possumus habitibus indifferenter uti, nullus enim uti potest male virtutis habitu, nullus bene habitu vitii: character autem ad utrumlibet est indifferens, nempe ad bene et ad male operandum: quidam enim utuntur characterem sacramentali bene, religiose, et pie; nonnulli autem male, sacrilege, et impie: sed hæc rationes nullæ sunt. Non quidem *prima*: quia, inquit Doctor num. 16. potest habitus supernaturalis, ut est forma supernaturalis, difficile mobilis, esse principium agendi, vel resistendi corruptivo, et sic habere rationem potentie supernaturalis; unde licet habitus naturalis dicat dumtaxat facilitatem, non autem potentiam, tamen habitus supernaturalis, quatenus est forma spiritualis immobilis, potest habere rationem habitus; prout vero est principium, quo possumus elicere actum supernaturalem, dici potest potentia. Non etiam *secunda*: quia, inquit Doctor *ibidem*, bene potest esse unus habitus dispositio ad alium, sicut secundum distinguentes habitum principii ab habitu conclusionis, habitus principii disponit ad habitum conclusionis; nec tamen inde sequitur, quod sit *dispositio*, quatenus hæc distinguitur contra *habitum* in prima specie qualitatis; hæc enim dispositio est qualitas facile mobilis, et ut sic distinguitur ab habitu, quatenus est qualitas difficile mobilis a subjecto, qualis est character. Non etiam *tertia*, quia, inquit *ibidem*, aliquis potest esse actus indifferens; sicut enim ex frequenter repetitis actibus bene agendi acquiritur habitus inclinans ad bene agendum, et ex frequentatis actibus male agendi comparatur habitus inclinans ad male agendum, sic ex frequentibus actibus absolute agendi, acquiritur habitus ad eliciendum actum, qui nec sit bonus, nec malus. Quod utique probat hoc exemplo: *Potest enim aliquis frequenter considerans Geometriam habere facilitatem magnam ad considerandum conclusionem in illa scientia: at nec ibi est habitus bonus, vel malus, sicut nec actus, ex quo generabatur: sic et in habitu supernaturali potest esse.*

Conclusio tertia. — PROBABILIS EST CHARACTEREM IMMEDIATE ET FORMALITER INESSE VOLUNTATI, MEDIATE AUTEM ET REALITER IPSI SUBSTANTIÆ ANIMÆ. Hæc est Doctoris in 4. d. 6. quæst. 10. num. 4. ubi ait: « Dico ergo ad quæstionem, supponendo... de gratia, quod est idem cum charitate, et per consequens est primo in po-

« tentia, scilicet in voluntate; et ulterius quod ista dispositio ad formam est in eodem susceptivo cum forma, character autem, si ponatur inesse, convenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem..: ergo congruum est ponere characterem formaliter in voluntate. » Ita Doctor: in quibus verbis signanter dicit esse *congruum*; nam rationes quas profert ad ejusmodi assertionem probandam non evincunt omnino necessitatem, sed solum majorem quamdam convenientiam.

Probat itaque primo: Convenientius est, quod dispositio constitutur in eodem subjecto proximo, in quo recipitur forma, ad quam disponit: sed character est dispositio saltem moralis ad gratiam, quæ formaliter et immediate in voluntate residet, ut probatum est in Tractatu præcedenti: igitur, etc. *Major* videtur manifesta ex *Physica*: dispositio enim cum debeat amovere obstacula, quæ obsessent introductioni formæ, cumque præparare debeat subjectum ad formæ receptionem, oportet quod illa reperiat in eodem subjecto, in quo forma est recipienda. *Minorem* supponit Doctor probatam, quæst. 9. n. 18. ubi loquendo de characterem, et sibi objiciens, quod dispositio potest esse ex parte passi vel agentis: *respondeo, non agentis*, inquit, *quasi sit quoddam agens medium inter primum agens, et passum: non enim pono characterem habere aliquam virtutem activam respectu gratiæ causandæ: sed Deum assistere illi, tamquam signum invisibile ad causandam gratiam, quam signat, recedente impedimento, sive obice inherente. Est ergo dispositio ex parte susceptivi, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior, non simpliciter necessario, sed necessario comparando ad potentiam ordinariam agentis causantis utramque formam.* Quibus Doctor significat, quod etiamsi character et gratia non habeant ullam inter se necessariam connexionem ex natura rei, habent tamen in morali æstimatione; quia character ordinatur ad gratiam conferendam, tam per Sacramentum, per quod ipse imprimitur, quam per alia Sacramenta, maxime si loquamur de characterem baptismali; quia per illum capaces efficiuntur aliorum Sacramentorum: non enim est ratio cur character esset indelebilis, et redderet Sacramentum non iterabile, nisi subordinaretur gratiæ tamquam forma prior; neque proprie potest subsistere configuratio animæ, et imaginis, quæ principaliter fit per gratiam in solo characterem, nisi diceret aliquem ordinem ad gratiam; neque obligatio, quæ sequitur ad talem configurationem ad Christum, potest abstrahere a mediis, per quæ debet impleri, nempe a gratia actuali, vel habituali: igitur necessum est, quod habeat quamdam connexionem saltem moralem cum gratia, ad quam est dispositio.

Probat secundo: Omnis obligatio ad opus morale spectat ad voluntatem: sed character baptismalis v. g. inducit obligationem animæ ad Christum, ut servet Legem Christianam: hæc autem obligatio est necessitas moralis operandi: ac subinde inclinatio quedam ad ipsam operationem, non secus ac lex, seu præceptum, aut votum, quæ dicuntur inclinare ad operationem, quatenus opponuntur libertati operandi, vel non operandi, et faciendi hoc aut illud: similiter character Confirmationis inducit obligationem militiæ, et confessionis fidei, item character Ordinis est principium operandi; est enim potestas activa: omnis autem obligatio moralis maxime spectat ad ipsam voluntatem: igitur

cum character inducat obligationem moralem operandi, potius debet esse in voluntate immediate, quam in ipsa animæ substantia, quæ per se non est operativa, aut in intellectu, qui ex se non est capax actionis moralis. *Deinde*, character est potestas, sive signum potestatis suscipiendi ea, vel trahendi quæ pertinent ad cultum divinum: atqui ad virtutem Religionis, quæ est in voluntate, spectat ea expendere et peragere quæ pertinent ad cultum divinum: igitur signum talis potestatis debet etiam reponi in voluntate. *Confirmatur*, quia Sacramenta spectant ad Religionem: ergo et effectus ille, qui deputat hominem ad cultum divinum, qualis est character, etiam spectare debet ad Religionem. Concludendum est ergo, quod character immediate et formaliter sit in voluntate; realiter autem in ipsa animæ substantia, cum qua ipsa voluntas identificatur: quemadmodum gratia et charitas insunt ipsi voluntati; tamquam formæ illam afficientes et perficientes in ordine ad operationem; realiter autem insunt ipsi animæ substantiæ, a qua voluntas est indistincta realiter.

DICES 1: Character non ordinatur ad operandum, sed duntaxat ad perficiendam et signandam animam: ergo potius inesse debet ipsi animæ substantiæ, quam alicui facultati. — *Distinguo antecedens*: non ordinatur per se et effective, *concedo*: per aliud et dispositive, nempe ratione gratiæ operatiivæ, ad quam disponit, seu ministerii et officii, ad ejus impletionem obligat, *nego*.

DICES 2: Substantia animæ est subjectum potentiæ, cui videlicet facultates animæ inexistunt, potentia autem non potest esse subjectum alterius potentiæ: atqui, ut diximus, character revocari potest ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia: igitur non potest existere in aliqua facultate et potentia animæ. — *Distinguo primam partem majoris*: substantia animæ est subjectum potentiæ naturalis, quæ ab ipsa fluit, veluti proprietas ipsi connaturalis, et ipsi realiter identificata, *concedo*: potentiæ, quæ sit accidens supernaturaliter ab ipsa anima realiter distinctum, *nego*. Similiter *distinguo alteram partem ejusdem majoris*: potentia non est subjectum alterius potentiæ substantialis, et realiter sibi identificatæ, *concedo*: accidentalis, et ab ea realiter distinctæ, *nego*. Et sic distincta minore, neganda est *consequentia*: alioqui sequeretur, nullum habitum virtutis esse reponendum in ipsa voluntate.

DICES 3: Character est quoddam lumen spirituale: sed omne lumen spectat ad intellectum: igitur et character. *Major constat* ex S. Dionysio, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 2. ubi ait: *Divina beatitudo hominem adductum ad Baptismum in sui participationem, seu communicationem recipit et admittit, ac proprii luminis, instar signi ejusdam ipsum participem facit, intimum Deo reddens, et consortem munerum, ac ordinis sacri, quorum sacra est tessera summi Sacerdotis, datum accedenti signaculum*, etc. Hoc autem signaculum nihil est aliud, quam character, quem lucem ac lumen appellat: igitur, etc. — *Distinguo majorem*: character est lumen spirituale, ordinatum ad propriam illuminationem habentis characterem, *nego*: ad illuminationem aliorum, ut nempe per characterem cognoscant, me esse deputatum domesticum, aut militem, vel ministrum Christi, *concedo*. Tale autem lumen non debet esse in intellectu: sic enim characteres et insignia servorum

alios illuminant, seu deducunt in notitiam, quod sint servi talis vel talis domini, nec tamen illæ servitutis notæ et characteres debent esse in intellectu.

Conclusio quarta. — CHARACTER SACRAMENTALIS EST INDELEBILIS ET INAMISSIBILIS. Hanc veritatem sic probat Doctor dist. 6. q. 9. n. 20. ubi ait: « Licet multipliciter dicatur de indelebilitate characteris, nec sit multum utile recitare; breviter dico, quod nulla forma potest esse in anima alia ab anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, sicut posterius a priori, quia in hoc nulla potest inveniri contradictio. Sed character, si ponatur, hoc modo est indelebilis, nec potest deleri hoc modo; quia nec virtute alicujus creaturæ. Patet, quia est forma supernaturalis. Nec potest virtute divina deleri de potentia ejus ordinata, quia ordinavit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum inhærens animæ: respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria; cum enim imprimitur in actu peccandi mortaliter, nihil potest demereri ipsum tolli ». Quibus Doctor aperte significat, characterem sacramentalem de via ordinaria esse indelebilem. Quam utique veritatem aperte tradunt Concilia Florentinum et Tridentinum, ut constat ex eorum decretis Conclusionem primam laudatis, quibus significatur illum characterem indelebiter inesse animæ.

Constat pariter ex SS. Patribus, qui appellant signaculum istud indissolubile, maxime ex S. August., lib. 2. *Contra Parmenianum*, c. 13. ubi ait: *Non minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis militiæ nota, quæ quondam imprimebatur carni... et Sacramentorum sanctitas inviolabilis et impolluta manet in bonis ad præmium, in malis ad judicium.*

Suadetur etiam ratione congrua: Conveniens enim fuit, ut ille character esset omnino indelebilis, nec ullo peccato posset evacuari: enimvero si potestas Ordinis, quæ significatur per characterem, posset deperdi per aliquod peccatum, consequens esset, quod homines plerumque forent dubii, an valide Sacramenta susciperent, cum nullum habeant indicium, utrum Sacerdotes, a quibus suscipiunt Sacramenta, sint in statu gratiæ, nec ne: quod certe vergeret in magnum fidelium detrimentum.

DICES 1: Si aliquis character esset indelebilis, maxime Ordinis: at ille per peccata et nefaria scelera deleri potest: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur:* character Ordinis est potestas administrandi et gerendi ea, quæ peculiariter ad cultum divinum, Sacramentorum administrationem, et publicum Reipublicæ Christianæ regimen spectant: sed illa auctoritas per peccatum ita amittitur ut quidquid a Ministris nefariis gestum est, tamquam irritum, et nullum ab Ecclesia reprobetur: igitur, etc. *Probatur minor* ex plurimis actis, et exemplis; maxime vero Photii Constantinopolitanæ Sedis Episcopi, Maximi Cynici ejusdem urbis Antistitis, Proculi Massiliensis Præsulis, et Ebbonis Archiepiscopi Rhemensis, quorum ordinationes et ecclesiastica munia prorsus irrita ac nulla declarata sunt. — *Primo* quidem irritam et nullam esse pravi Ecclesiæ Ministri auctoritatem constat exemplo Photii, cujus ordinationes et ecclesiastica munia repro-

bantur et irritantur. Is enim cum Bardæ Eunuchi artibus, a Gregorio Syracusano Episcopo jam excommunicato Constantinopolitanus Patriarcha esset consecratus, detruso primum in carcerem, et postmodum in exilium ejecto legitimo Episcopo Ignatio, Synodus Romana coacta est a Nicolao I Summo Pontifice, in qua contra Photium hæc sententia lata fuit: *Sit omni Sacerdotii honore et nomine alienus, et omni Clericatus officio exutus.* Et idem Pontifex hæc quoque sententiam adversus eum emisit: *Eos vero, quos Photius Neophytus, et Constantinopolitanæ Sedis invasor in quolibet Ecclesiastico Ordine procecit, omni Clericali officio privamus.* Alia his similia habes ejusdem Sum. Pontif., Ep. 7. et Epist. 9. qua est ad Michaëlem Imperatorem, ubi scribit, quod *nihil Photius a Gregorio accepit, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit: nihil dedit.* Idem etiam decrevit Adrianus II. summus Pontifex, ut legimus Act. 3. Synodi 8. (Ecumenicæ, in qua de ordinatis a Photio sic habet: *Quos quidem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab Episcoporum numero et dignitate, quam usurpare et fecte dedit, merito sequestramus.* Cujus rei triplicem rationem subjungit: *primo*, quod Photius sit similis Maximo Cynico, qui, ut mox dicemus, nullam Episcopalem auctoritatem habuit: *secundo*, quod ita decretum est a Nicolao suo Prædecessore: *tertio*, quod ordinatus est ab excommunicato, *qui nihil habuit, nihil dedit, nisi forte damnationem, quam sequentibus propinavit.* — Unde in Concilio IV. Constant., Can. 1. hæc habentur: « Amorem principatus, « utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, « radicitus excidentes, eum, qui temere et prævaricatorie ac irregu- « lariter veluti quidam gravis lusus, in Christi ovile insiliit, Photium « scilicet, qui mille tumultibus et turbationibus orbem terræ replevit « justo decreto damnamus, promulgantes numquam fuisse prius, aut « nunc esse Episcopum; nec eos, qui in aliquo Sacerdotali gradu ab « eo consecrati vel promoti sunt, manere in eo, ad quod proveci « sunt. Insuper et eos, qui ab illo consuetas orationes ad præposituræ « promotionem susceperunt, ab ejusmodi patrocinio coercemus; sed et « Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii, qui ab ipso con- « secrati sunt, dedicaverunt, vel si commotas mensas stabiliant, rursus « dedicari, et inthronizari, atque stabiliri decernimus; omnibus ma- « xime, quæ in ipso, et ab ipso ad Sacerdotalis gradus acceptionem, « vel damnationem acta sunt, in irritum ductis ». *Hæc Concilium.* Sed si Photius non censeatur Episcopus, quia a Gregorio excommunicato fuit ordinatus, et si omnia, quæ gessit ipse Photius, irrita sint, quia intrusus fuerat in Sedem Constantinopolitanam, et postmodum excommunicatus, consequens est, quod character et auctoritas Episcopalis in homine nefario et excommunicato desinat: igitur, etc. — Idem constat exemplo Maximi Cynici, qui cum a nonnullis Egypti Episcopis pecunia corruptis furtiva electione Episcopus Constantinopolitanus constitutus esset, ita de illo et ejus ordinationibus pronuntiavit Concilium primum Constantinopolitanum Can. 6. his verbis: *De maximo Cynico Philosopho, propter indisciplinationis ejus doctrinam, quæ Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse, aut etiam esse putetur Episcopus, neque hi, qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum Clericatus obtineant, omnibus scilicet, quæ circa*

*eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis. — Tertio eadem veritas apparet ex Proculo Masiliensi: cum enim in Concilio Taurinensi, seu Taurinatensi celebrato an 397. declaratum esset canone primo, quod Proculus Massiliensis Episcopus Civitatis gereret se tamquam Metropolitanum Ecclesiis, quæ in secunda Provincia Narbonensi positæ videbantur. Zosimus Sum. Pontifex post 20. circiter annos, tale iudicium Synodale irritavit, sicut constat ex variis ejus epistolis, maxime ex 6. ad Carthaginensem Episcopum, ubi Ordinationes duorum Episcoporum, nempe Universi et Terentii a Proculo factas, irritas declarat. Et Epist. 9. ad Episcopum Arelatensem damnat Proculum, quod talia esset aggressus. Cum autem necdum Proculus acquiesceret, scripsit Epistol. 10. ad Massilienses, in qua inter cætera scribit: *Cum ipse Proculus jam non sit Episcopus, quæ Episcoporum sunt facit, et humanus largitor aliis se dicit posse præstare, quod datum sibi aliquando immerito gerere non potuit, etc.* Sed si Episcopus damnatus desinit esse Episcopus, et Sacerdotes ab eo ordinati careant sacerdotio, consequens est, quod illius character et auctoritas desinat, ac subinde non est indelebilis. — *Constat quarto, exemplo Ebbonis quondam Rhemensis Archiepiscopi, cum an. 835. tempore Gregorii Papæ quarti, in conventu Episcoporum in Theodoni villa habito, Episcopatu se abdicasset propter nonnulla crimina, de quibus accusabatur, maxime vero, quod fuisset promotor depositionis Ludovici Pii Imperatoris: nihilominus autem post suam depositionem, regnante Lothario Ludovici filio, in suam sedem restitutus esset per Synodum Episcoporum Provincialium, et plures in ea Ecclesia Clericos ordinasset; ab ea demum Caroli Regis auxilio, a Galliarum Episcopis amotus, et depositus est, eique adhuc viventi Hinemarus fuit substitutus: cum autem Hinemarus post-obitum Ebbonis, quos ipse ordinaverat Sacerdotes et Clericos, nollet admittere, Galliarum Episcopi celebrarunt Concil. Suessionense, an. 853. tempore Leonis Papæ, in quo damnarunt omnes ordinationes ab ipso Ebbone post depositionem factas et eas irritas ac nullas declararunt, ut refert Flodoardus, lib. 3. *Hist. Rhem.* c. 11. ubi fusius acta hujus Concilii enarrat. Igitur his omnibus constat quod Episcopalis character et auctoritas non sit indelebilis et inamissibilis: quippe cum per crimina, aut depositionem Episcopi desinat. — **Nego consequentiam, et ad primum exemplum dico,** revera ordinationes a Photio factas fuisse validas, non tamen licitas, propterea quod contra Ecclesiæ Canones Photius fuisset ordinatus; nam, ut ait Nicetas apud Baronium ad an. 838. « Photius « homo gloriæ appetentissimus, sex diebus ex laico transformatus est « in Patriarcham, nimirum prima die ex laico factus est Monachus, « secundo efficitur Anagonostes, tertio Subdiacónus, quarto Diaconus, « quinto Presbyter, sexto denique Patriarcha, sedem conscendens, pa- « cem populo annuntiavit nihil pace dignum cogitans. Consecratus « est autem per Gregorium Syracusanum Episcopum Ignatii perduel- « lem, excommunicatum, et e trono ejectum; usus est autem commi- « nistris Petro Sardorum Episcopo, qui cognominabatur miser, et Eu- « lapio Apameæ Episcopo. At ista denotant quidem illicitam fuisse « consecrationem Episcopalem Photii, non vero invalidam ». Unde licet ab eo ordinati numquam potuerint licite exercere munia suscepti**

ordinis, a cujus executione suspensi erant, quod ordinem suscepissent ab eo, qui in aliena Diocesi, et non sua sine Episcopi illius loci assensu, manus impositionem dederat; tamen valide fuerunt ordinati, et ordinis characterem susceperunt. Quod autem Photii ordinatio fuerit valida, constat ex Epistola Joannis VIII summi Pontificis ad Basilium et Alexandrum Imperatores, in qua approbat restitutionem ipsius Photii in Sedem Constantinopolitanam, mortuo Ignatio: *Nos, inquit, statutis Apostolicis non præjudicantes, nec Beatorum Patrum regulas resolventes, eundem Photium satisfaciendo misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem in vera dilectione Fratrem, in Pontificali officio Comministrum, in Pastoralis magisterio Consacerdolem, pro Ecclesiæ Dei pace, atque utilitate, amodo Christo farente recipimus, atque habemus.* Id autem fieri posse probat exemplis, tum Donatistarum, tum Bonosianorum, quos constat absque ulla reordinatione receptos fuisse in honoribus et muniis. — *Nec obstat* quod a plurimis redarguatur Joannes, quod ita facilem se præbuerit erga restitutionem Photii, qui postmodum Ecclesiæ Romanæ hostis intensissimus fuit, et auctor schismatis ac defectionis Græcorum a Latinis; nemo enim hactenus eum culpandum censuit, quod eum judicaverit recipiendum absque reordinatione. — Idem dicendum de ordinationibus ab ipso factis; nam Formosus Papa scribens ad Stylianum Neocæsariæ Euphratesiæ Provinciæ Episcopum, qui supplicem se gerebat pro Photio, inter cætera scribit: *Cum his, qui a Photio fuerant ordinati, misericorditer nos gerentes, decernimus, ut oblati libellis se deliquisse fateantur, et penitentia veniam deprecantur, pollicentes se numquam tale quid commissuros.* Quibus approbat eorum receptionem, cum penitentia quidem, sed absque nova ordinatione. — Idem dicendum ad exemplum de Maximo Cynico: quippe cum Adrianus secundus epistolam ad Ignatium scribat, Photii ordinationem in omnibus esse simillimam ordinationi Maximi; utpote cum utraque fuerit illicita facta, licet valide. — *Nec obstat*, quod uterque dicatur non Episcopus: hæc enim dicta sunt ad communem vulgi intelligentiam, non ad doctrinæ rigorem; simili pene ratione, qua veri Sacerdotes non dicuntur impii, et Sacerdotii suis actionibus violatores, non quod Sacerdotii dignitatem, gravitatem, auctoritatem, statum, perfectionemque non assequantur, qui turpibus facinoribus conscientiam suam maculant; sed quod Sacerdotii leges non servant: quomodo vulgo negantur esse consules, qui Reipublicæ non consulunt, medici qui aliis non medentur, Doctores qui docendis aliis nullam operam insumunt, Reges qui Regis inunia aspernantur. Quas et similes phrasas, imo et duriores ad vitiorum insectationem dici posse, nemo inticiabit. — Ad exemplum Proculi Massiliensis dico, eum idcirco a Zosimo dici non Episcopum, non quod revera non habuerit characterem et auctoritatem Episcopalem, sed quod illicite et contra Canones illam prefecturam Metropolitani ambiret; quod enim revera hic semper verus fuerit Episcopus, aperte constat ex S. Hieronymo, Ep. 4. ad Rusticum, ubi scribit: *Habes istic sanctum et doctissimum Pontificem Proculum, qui viva et præsentis voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat, etc.* Insuper reperitur cum S. Ambrosio subscripsisse in Concilio Aquileiensi an. 381. Quando itaque Proculus

dicatur *non esse Episcopus*, vel ordinati ab eo removentur a quocumque gradu Ecclesiastico, vel dicuntur carere Sacerdotio, hæc omnia intelligenda sunt. non de privatione characteris in conferente Ordines. aut suscipientibus: sed de privatione honorum, graduum, et officiorum. — *Ad quartum dico*, quidquid a Synodo Suessionensi instigante Hinemaro determinatum fuerat contra Clericos ab Ebbone ordinatos, id omne ab Apostolica Sede fuisse damnatum et reprobatum, sicut apparet ex Epist. 46. et 47. Nicolai Sum. Pontificis. Ex quibus constat, quod cum Hinemarus pro confirmatione hujus Concilii iterata legatione egisset apud Leonem IV. nihilque ab eo impetrasset, Benedictum Leonis successorem falsis narrationibus induxerit, Synodique confirmationem subreptitie obtinuerit, sed sub hac forma tantum conditionata: *si ita est*. etc. — Retert ibidem Nicolaus Pontifex, quod cum Benedictus Papa per epistolam suam voluntati Hinemari non plane satisfecisset, ille quædam eidem epistolæ addiderit; quædam vero pro suo arbitratu ab ea sustulerit. — *Adde*, quod idem Nicolaus ad calcem Epist. 46. declarat quod licet omnia, quæ adversus Ebbonem proponebantur, essent vera; nihilominus Clerici ab eo ordinati, cum humilitatem et obedientiam exhiberent, cum suis honoribus essent recipiendi. Quia Ebbo, qualiscumque fuerit, nullum prorsus ipsis offendiculum intulit. Quod utique confirmat exemplo Maximi, qui licet Neophytus, et reprehensibiliter fuisset ordinatus, tamen S. Leo noluit eum ab Episcopali dignitate repelli. Et ex Epist. Anastasii II qui rescribens ad Anastasium Imperatorem, ait, quod mali bona ministrando, sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiæ Sacramenta commaculent. Tandem ex ipsius Concilii Suessionensis Actis, necnon et ex iis, quæ postmodum pro eorundem Clericorum ab Ebbone ordinatorum gesta sunt, evidenter constat, ejusmodi Clericos suis tantum gradibus pulsos, et a suorum Ordinum ministratione suspensos. Constat, inquam, ex Concilio Suessionensi, confirmat enim, quod ante ab Hinemaro factum fuerat; quid autem illud sit, apparet ex petitione ejusmodi Clericorum, qui ex libello supplicii oblato ejusmodi Concilio, inquirunt: « Mi-
« sericordiam petimus nobis a vestra paternitate impendi de admini-
« stratione ordinum Ecclesiasticorum, ad quos a Domino Ebbone
« quondam proveci, a vestra autem auctoritate suspensi sumus ». — Constat pariter ex gestis pro eorum restitutione; Nicolaus enim Sum. Pontifex, nihil aliud Hinemaro, et aliis Galliæ Episcopis præcipit, nisi ut tales Clerici in suis gradibus restituantur: unde quando in eodem Concilio dicitur, *Actione quinta: decretum est, ut quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebbo post suam damnationem egerat præter Sacrum Baptisma, habeatur vacuum, et irritum*: hoc intelligendum est, quantum ad honorem et gradum, a quo suspensi censebantur illi Clerici ab Ebbone ordinati. Eadem ratione accipiendum est id, quod subjicitur post actionem sextam, de Alduino, qui dicitur Presbyteratum accepisse per saltum a Lupo Catalaunensi Episcopo, quia antea Diaconatum ab Ebbone acceperat: mens enim Concilii non est quod Alduinus ille non fuerit revera Diaconus, sed quod recipiendo characterem Diaconatus, non potuit accipere gradum et honorem illius ordinis; unde cum illo agitur eodem modo quantum ad executionem ministerii, ac si revera per saltum fuisset promotus.

URGEBIS: Ipsimet summi Pontifices aliquando improbarunt ordinationes a suis prædecessoribus factas, et ab eis ordinatos iterum ordinandos esse censuerunt: igitur non existimabant Sacramentum Ordinis imprimere characterem indelebilem. *Probatur antecedens: Primo* quidem exemplo Stephani IV summi Pontificis, qui an. 769. convocato Romæ Concilio ex selectissimis Galliæ, Germaniæ, et Italiæ Episcopis, irritas declaravit omnes ordinationes factas a suo prædecessore Constantino. Quam utique irritationem ratam habuit Concilium, ut legitur in ejus Actis, quod etiam refert Anastasius Bibliothecarius, qui loquens de isto Concilio Romano, *In eodem*, inquit, *Concilio promulgatum est, ut qui Episcopi ex Presbyteris, sive Diaconis ab eo ordinati fuerant, in primum honoris sui gradum reverterentur, etsi placabile fuisset omni populo civitatis suæ. denuo decreto facto electionis, more solito cum Clero, et plebe ad Apostolicam venissent Sedem, ut ab eodem S. Stephano Papa benedictionis susciperent consecrationem.* Addit, idem statutum fuisse de Presbyteris, et Diaconis, et statim subjungit: *Illico Episcopi illi revertentes in primo honoris gradu, electi denuo a Clero, et plebe, cum solito decreto ad Sedem Apostolicam properantes, ab eodem sanctissimo Papa consecrati sunt.* Et tandem concludit: *Ita enim in eodem Concilio statutum est, ut omnia quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuissent præter S. Baptisma, ac S. Chrisma.* — Constat secundo exemplo Stephani VI; cum enim Formosus ejus Prædecessor plures ordinasset sive Episcopos, sive Presbyteros, Stephanus, congregato Romæ Concilio, non modo eos omnes deposuit, sed etiam iterum ordinavit, ut refert Luithprandus, lib. 1. cap. 8. ubi scribit, *Cunctos*, inquit, *quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* Tum, quod Formosus antea fuerat excommunicatus a Joanne VIII. Tum, quod contra Canones relicta propria uxore, idest, Episcopatu, ex Portuensi Episcopo Romanus Pontifex creatus esset, quod utique decretum non solum Concilium istud approbavit, sed etiam Serg. III: de eo namque idem Luithprandus scribit: *Sergius latenter Romam ingressus Papatum invasit, et Romanos minis, terroribus depulit, ut omnes ordinationes Formosi irritas haberent.* — Tertio tandem, idipsum constat exemplo Joannis duodecimi, qui congregato pariter Romæ Concilio anno 904. Leonis vulgo dieti octavi summi Pontificis electionem anathematizavit, de ordinatis autem ab eo ita decretum est Act. 3. ejus Concilii: « Eos vero, quos ipse Leo Neophytus, et invasor S. Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ, in quolibet Ecclesiastico Ordine pro-
« vexit, Apostolica, atque Canonica auctoritate, et Synodali decreto
« in primum revocamus gradum, quia qui ordinator eorum nihil sibi
« habuit, nihil illis dedit: sicuti olim noster prædecessor piæ memoriæ
« Papa Stephanus sententiam tulit de iis, qui ordinati fuerant a Con-
« stantino quodam Neophyto, et invasore Sedis Apostolicæ. et post-
« modum quosdam eorum sibi placabiles Presbyteros, aut Diaconos
« consecravit ». Igitur ex iis omnibus constat summos Pontifices existimasse Pontificiam et Episcopalem auctoritatem posse deperdi, et consequenter characterem illius non esse indelebilem. — **Nego antecedens**, et ad primam illius probationem respondeo cum Baronio ad an. 769. num. 6. quod Episcopi, qui dicuntur a Steph. IV consecrati,

non debeant censeri denuo Ordines suscepisse; sed dicuntur consecrati. quia acceperunt more majorum benedictionem pontificiam, et ritus omnes servari solitos in reconciliandis schismaticis vel hæreticis; quæ utique reconciliatio necessaria fuit eis, qui ab ipso Constantino fuerant ordinati: quoniam ille erat Pseudo-Pontifex, qui Turtoniæ Ducis Netinæ civitatis frater, et illius fratris potentia fretus, sedem Apostolicam invadens, uno fere momento, et nullis servatis interstitiis, tamquam ex scena prodiit Romanus Pontifex; ac per annum sedens, plures ordinavit Diaconos, Presbyteros, et Episcopos; qui cum illius partes tuerentur, a Concilio et Stephano legitimo summo Pontifice merito a suis officiis et ministeriis suspensi sunt, donec nova populi et Cleri eorum electione, seu potius approbatione interveniente, benedictionem Apostolicam acciperent, et suis gradibus, honoribus, ac ministeriis redderentur. *Næ obstat.* quod Auxilius, lib. 2. cap. 4. affirmans Stephanum IV iterum ordinasse ordinatos a Constantino, factum illud non aliter excusat, nisi quod exemplum non sit sumendum a malis, uterque autem Sum. Pontifex, tum Constantinus, tum Stephanus quintus essent homines pravi: Constantinus quidem, utpote cum Romanæ S. esset invasor; Stephanus vero, quia ejus jussu et approbatione illius sequaces deprehensum fugientem Constantinum multis affectum plagis, ac semivivum relictum oculis privaverunt; quod utique factum, inquit Auxilius, non Apostolicum, sed Apostaticum est. Hoc, inquam, non obstat; quia falsum est, quod illa cruenta in Constantinum sævities, imperante Stephano facta sit; nam Anastasius Bibliothecarius, qui eodem sæculo floruit, quo Auxilius, adscribit illam oculorum suffossionem Constantini, non ipsi Stephano, sed cuidam nomine Gratioso, qui inscio Stephano militum caterva stipatus, hanc sævitiem in Constantinum exercuit: unde idem Anastasius Stephanum nullius criminis accusat, imo pluribus laudibus eum celebrat, necnon et Episcopos qui cum ipso in Concilio Romano convenerant. Si tamen malis stare sententiæ Auxilii, et existimare cum eo consecrationem à Stephano factam, veram fuisse reordinationem; respondebo exinde non sequi, quod Stephanus censuerit, vel per Sacramentum Ordinis characterem non imprimi, vel illum esse amissibilem; sed tantum quod erraverit in facto, existimando nempe Constantinum non fuisse validum Episcopum, sicut illegitimus erat Pontifex: et sic existimare potuit omnia ipsius Pontificia munia prorsus irrita fuisse. Imo nequidem omnia irrita censuit; nam, ut refert idem Anastasius, non solum approbavit Baptismum a Constantino collatum, sed etiam chrismationem, nempe Confirmationem, quæ non nisi per verum Episcopum conferri solet. *Ad secundum* respondeo item cum Baronio ad an. 817. primo Stephanum illum posse merito reprobari e numero Pontificum Romanorum, sicut et Sergium: quippe cum in periculosissimis illis Ecclesiæ temporibus factione Marchionum Tusculanorum in Romanam sedem intrusi pellebantur ab intrusis. Non audeam, inquit Baronius num. 6. Stephanum inter Romanos Pontifices annumerare, nisi id a Majoribus factum accepissem. Et merito quidem: ille enim Stephanus tot ac tantis criminibus infamis fuit, ut Romani Pontificis nomine et appellatione omnino indignus sit: nam inter varia ipsius horrenda facinora, Formosum prædecessorem præcepit e sepulchro extrahi, atque in Sedem

Romani Pontificatus Sacerdotalibus vestimentis indutum collocari: demum, et hislem exutus, digitisque tribus abscissis, quibus populo benedicere solebat, in Tyberim ejus sic mutilatum corpus projici, ut narrat Luithprandus, lib. 1. cap. 8. his verbis: « Formoso defuncto, « atque Arnulpho in propria reverso, is, qui post mortem Formosi « constitutus est (Bonifacius nimirum) expellitur, Sergiusque Papa « (scribere debuit, Stephanus) per Adalbertum constituitur, quo con- « stituto, ut impius, doctrinarumque sanctarum insecius, Formosum e « sepulchro extrahi, atque in Sede Pontificatus Sacerdotalibus vesti- « mentis indutum collocari præcepit, cui, et ait: cum Portuensis esses « Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usur- « pasti? His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus « abscissis in Tyberim jactari præcepit, cunctosque quos ipse ordina- « verat, gradu proprio depositos, iterum ordinavit. Quod quam male « egeris, Pater sanctissime, animadvertere poteris; quoniam et hi, « qui a Juda Domini Nostri Jesu Christi proditore, ante probationem « salutem, seu benedictionem Apostolicam perceperunt, ea post pro- « ditionem, proprii corporis suspensionem non sunt privati; nisi quos « improba forte detædarant flagitia. Benedictio siquidem, quæ Mini- « stris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, Sacerdotem in- « funditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed « qui incrementum dat Deus. Quantæ autem auctoritatis, quantæque « religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam « dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Petri « Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam « imagines hunc in loculo, positum venerabiliter salutarunt. Hoc « namque a religiosissimis Romanæ urbis viris porsæpe audivi ». Addo tamen, quod factum illud Stephani reordinantis a Formoso jam ordinatos, tyrannicum fuerit in facto, non vero error in fide: quid- quid enim a Stephano septimo, et Sergio tertio gestum, nonnisi minis et terroribus fuit peractum, bonis reclamantibus, malis autem suo facto perterritis. Unde etiam postquam infelici exitu ex hac vita sub- blatus est Stephanus; nam anno 900. detrusus fuit in carcerem, ibi- demque laqueo suffocatus, tres succedentes summi Pontifices nempe Romanus, Theodorus, et Joannes nonus, Acta ejus omnino rescide- runt, ut narrant Luithprandus de Romano, et Auxilius de Theodoro: Joannes autem nonus duobus celebratis Conciliis, primo quidem anno 904. Pseudo-Synodum a Stephano congregatam damnavit, his verbis: *Episcopi, seu Presbyteri atque Diaconi, necnon et Subdiaconi, cæterique alterius ordinis sanctæ Sedis Apostolicæ, qui ab eodem vene- rando Papa Formoso canonice consecrati, et pro quorumdam libitu temere dejecti sunt in proprios ordines et gradus, communi S. Synodi consultu reducimus, perpetuoque robore, ac canonica censura stabilitos. Deo auctore decernimus:* etc. Eodem similiter anno ab eodem Joanne celebrata est alia Synodus Ravennæ, cujus meminit Sigebertus his verbis: *Hic etiam ad confirmandum Formosi Ordinem, quem Stephanus Papa deposuerat, Synodum 74. Episcoporum præsentibus Francorum Archiepiscopis, et Rege, apud Ravennam statuit, et coram eis combusta est Synodus, quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat.* Con- cludendum est ergo cum Bellarm., lib. 4. *De Sum. Pontifice*, cap. 12.

Stephanum et Sergium non edidisse aliquod decretum, quo decernerent ordinatos ab Episcopo degradato, vel nominatim, a Formoso tamquam degradato, esse iterum ordinandos, sed solum de facto jussisse iterum eos ordinari; quæ jussio non ex ignorantia, aut hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat, et nonnisi per vim et tyrannidem executioni demandaretur. *Nec obstat*, quod decretum Stephani probatum fuerit a Romano Concilio ab eo celebrato anno Dom. 897. nam id totum per tyrannidem et metu incusso a probis qui aderant Episcopis factum est. Unde quotquot illi Pseudo-Synodo interfuerunt, veniam admissi reatus exorarunt in Concilio Romano, sub Joanne IX: sic enim in eo legimus: *Episcopi et Presbyteri, et reliquus Clerus, qui eidem Synodo interfuerunt, quia ipsi veniam petentes coactos se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt, prece sanctæ Synodi eis indulgimus.* — Ad tertium denique respondeo, nihil aliud in illo Concilio Romano gestum fuisse aduersus ordinatos a Leone, nisi quod fuerint gradu illo pulsati, ad quem erecti fuerant a Leone, et ad pristinum gradum revocati; nam Sigebertus, qui acta Synodalia hujus Concilii legisse visus est, sic ea summatim refert in Chronico: *Joannes Synodo collecta Leonem deposuit, et ejus gesta cassavit: Statutum quoque est publico omnium judicio Synodum a Leone habitam, nec nominandam Synodum, sed Postribulum favens adulteris* (ita Leonem nominabat, quod is Romanam Ecclesiam alteri desponsatam invasisset) *quicumque eo ordinante erant damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in charta, hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit: et sic depositi remanserunt in illis gradibus, quos habuerant, non a Leone ordinati. Si qui autem digni judicantur, ut non accepta prius consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto, quod et damnato a Constantino Neophyto.* Hæc Sigebertus. Nec movere debent illa verba: *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit, etc.* Intelligenda sunt enim, quantum ad honorem, gradum, et ministerium; quemadmodum dictum est de ordinatis a Constantino Neophyto; quandoquidem Sigebertus asserit decretum illius Constantini illis fuisse intimatum.

OBJICIES 3. Varios Canones Conciliorum, quibus irritæ declarantur ordinationes factæ vel ab iis qui non ordinant subditos, vel ab iis qui sunt excommunicati, aut suspensi, aut degradati. *Primo quidem, Can. 16. Concilii Nicæni: Si quis ad alium pertinentem audacter invadere, et in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente Episcopo, a quo discessit is, qui regulæ mancipatur, ordinatio hujusmodi irrita comprobetur.* De Ordinationibus autem excommunicatorum sic habet Concilium Quintilineburgense, celebratum anno 1085. tempore Gregorii Papæ septimi, ubi legimus: *In eadem Synodo ordinatio Wemilionis Maguntii invasoris, et Sigefridi Augustensis, et Norberti Curiensis; imo omnes Ordinationes et Consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt, juxta Decreta SS. Patrum Innocentii, Leonis primi, Pelagii, atque ejus successoris Gregorii primi.* Idem discernitur de Ordinationibus Simoniacorum in Concilio Placentino sub Urbano II ubi statuitur: *Ut si quid in sacris Ordinibus et Ecclesiasticis rebus, data et promissa pecunia acquisitum simoniace videtur, pro irritato haberetur: ergo semel acquisita auctoritas conferendi sacros*

Ordines deperdi potest; ac proinde character non est inamissibilis. — **Nego consequentiam**, et ad præfatos Canones respondeo ejusmodi Ordinationes dici irritas, non quantum ad characteris impressionem, sed quantum ad ministerii et suscepti Ordinis suspensionem; quemadmodum definitur in Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 5. *De Reformatione*, ubi statuitur: *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit. Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Quod autem nihil aliud prætendatur in præfatis Canonibus, maxime Quintilineburgensi, evidens est, quippe cum proferat auctoritatem Innocentii, Leonis primi, Pelagii, et Gregorii Magni, quos certum est approbasse Ordinationes factas a Neophytis, hæreticis, et excommunicatis, ut videbimus agendo de Ministro Sacramentorum.

QUÆRES: *Utrum character ille etiam post mortem subsistat, tam in Beatis, quam in damnatis?*

RESPONDEO, id videri certum; quippe cum Concilia et SS. Patres absolute pronuntient hunc characterem esse indelebilem; quamquam enim non fuerit eorum mens determinare utrum subsisteret etiam post mortem, quia de hoc dubio non movebatur controversia cum hæreticis: attamen istud constans apparet ex praxi Ecclesiæ, quæ resuscitatum a mortuis non solet denuo baptizare, confirmare, et ordinare; tamen permittit eum Sacramenta suscipere, ac ministrare, ut faciebat dum erat in vivis, et ante mortem: asserere autem, quod Deus de novo reproducat in eo characterem, quemadmodum reproducit vitam, est admittere miraculum sine ulla necessitate et ratione sufficienti: inferendum est ergo mentem Ecclesiæ esse, quod character in eo subsistat.

Suadetur insuper hac ratione communi: Si character periret cum vita, maxime vel propter corruptionem subjecti, vel propter oppositionem contrarii, vel propter defectum conservationis: at nullo ex his tribus modis deleri potest. Non ex corruptione subjecti; nam anima, quæ est subjectum ejus, corrumpi non potest: non ex oppositione contrarii, quia nihil ei contrarium est: nec ex defectu conservationis, quia Deus eum conservat in Beatis ad ornatum, in damnatis ad supplicium et ignominiam. Cum enim aliquid a Deo conservatur, Deus non intercipit influxum conservativum, nisi ratio quædam urgens et efficax id suadeat: sed character perseverat usque ad mortem, nec apparet ulla ratio, cur in morte pereat, aut cur Deus ipsi concursum conservativum deneget, quippe cum spiritualis sit et a corpore independens.

DICES: Cessante fine, cessant ea quæ ordinantur ad finem, alias enim frustra maneret; unde post generationem non subsistet Matrimonium, quia cessabit generatio, ad quam illud ordinatur; sed cessabit etiam in morte finis characteris, nempe Dei cultus exterior; quippe nullus erit in inferno, nec etiam aliquis erit in patria; in ea siquidem nihil fiet in figura, nec in operta, sed in aperta ac nuda veritate. — **Respondeo distinguendo majorem:** si finis omnino cesset,

concedo: si cesset tantum quoad aliquid, *nego*. *Minorem* similiter distinguo: cessabit cultus exterior in patria, quantum ad materiam exteriorem, *concedo*: quantum ad finem, *nego*. Et similiter, *nego consequentiam*: nam in cultu divino duo possunt considerari, nempe materia cultus, scilicet opera quædam externâ; et finis cultus, videlicet honor et gloria Dei, quæ per hæc opera externa ipsi exhibentur. Cessabunt quidem in patria externa illa opera; sed remanebit finis, nempe honor et gloria Dei; ac consequenter ipse etiam character perseverabit, in bonis quidem ad gloriam, in malis autem ad ignominiam: quemadmodum militaris character perseverat in militibus post adeptam victoriam, in his quidem qui vicerunt ad gloriam, in his autem qui victi sunt, ad pœnam.

INSTABIS: Damnati indigni sunt omni dono supernaturali, ut testatur S. Dionysius, lib. *De Divinis Nominibus*, cap. 4. ubi dicit demones carere omnibus divinis donis, tam secundum habitum, quam secundum operationem: sed character est aliquod donum supernaturale: igitur non remanet in damnatis. — **Respondeo**, quod etsi damnati indigni sint omni dono supernaturali, quod conducere posset ad eorum solatium; tamen non sunt indigni, imo summe digni eo omni, quod conferre potest ad illorum pœnam et supplicium, qualiter haud dubie conferent illi characteres, quibus divinitus sunt insigniti. Sicut enim summum dedecus ac opprobrium est in Repub. civili militem fieri proditorem, aut desertorem, œconomum commissi sibi boni fieri dissipatorem ac fraudatorem, et filium aut servum fieri degenerem, et in patrem aut dominum perduellem, ita in Repub. Ecclesiastica summe dedecorum est Christi fidelem, militem, ac dispensatorem, tamquam perduellem, proditorem, ac dissipatorem damnari. Quocirca tres illi characteres filiationis adeptæ per Baptismum, militiae comparatæ per Confirmationem, et dispensationis bonorum Christi commissæ per Ordines, remanebunt in damnatis, in pœnam suæ perduellionis et defectionis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LEGITIMO SACRAMENTORUM MINISTRO.

CERTUM est Sacramenta novæ Legis tribus perfici, nempe rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentorum, uti jam pluries dictum est. Nec abs re quidem; cum enim Sacramenta conficiantur ex rebus sensibilibus inanimatis, quæ non possunt per seipsas invicem conjungi, necessum est, quod ad earum unionem et applicationem interveniat alicuius ministerium; qui utrumque præstet. Verum discèptatur, quis sit ille Sacramentorum idoneus Minister, an soli fideles et justî; an vero etiam ad id conferre possint quicumque infideles et peccatores. Circa quam controversiam, varie erratum est, non solum ab hæreticis, sed etiam a viris aliunde Catholicis, ant quam quid ex fide sentiendum esset, Ecclesia statuisset.

Primo namque Tertullianus, nondum hæreticus, circa finem secundi sæculi censuit nullum esse Baptismum ab hæreticis collatum; nam lib. *De Baptismo*, cap. 17. ait: *Hæretici nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio com-*

municationis: non debeo in illis agnoscere quod mihi est præceptum; quia non idem Deus et nobis et illis, nec unus Christus, ideoque nec Baptismus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, sine dubio non habent, etc.

Hunc autem forte a Tertulliano Gentili suo errorem accepit Agrippinus Carthaginensis Episcopus, qui prætextu pietatis statuit, hæreticorum Baptisma irritum esse, quasi quæcumque eorum essent Ecclesia respuere deberet et abominari. Unde circa ann. 517. coacto in Africa Concilio ex omnibus Numidiæ atque Africae Episcopis, illud idem confirmavit, ut testatur S. Cyprianus, Epist. ad Jubajanum, ubi ait: *Non nova apud nos, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt; atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in Provinciis nostris ad Ecclesiam conversi, non aspernati sunt, neque cunctati; imo et rationabiliter et libenter amplexi sunt, ut lavacri vitalis et salutaris Baptismi gratiam consequerentur.* Idipsum testatur Vincentius Lirinensis in Commonitorio, num. 46. ubi scribit: *Agrippinus Carthaginensis Episcopus, contra divinum Canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem atque institutionem Majorum rebaptizandum esse censuit.* Attamen non in omnibus provinciis Africae hæc consuetudo inoleverat ab Agrippino ad S. Cypriani tempora, ut præclare demonstrat sanctus Augustinus, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 12. *Cæterum, inquit, si permânebat ab Agrippino ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re concilia? ut quid Jubajano dicit non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agrippino institutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus collegæ in Concilio dixerunt rationem et veritatem consuetudini esse præponendam; ac non potius dixerunt eos, quod aliud facere velent, et contra veritatem, et contra consuetudinem facere?*

Idem postmodum dogma circa annum 254. instauravit Novatus Episcopus, qui ex Africa Romam veniens, adversus Cornelium summum Pontificem insurgens, suis fraudibus egit, ut Novatianus ex Presbytero crearetur Romanus Pseudo-Pontifex, a quo originem et appellationem duxerunt.

Novatiani, seu Novatianenses, quorum inter varios errores hic unus erat, quod accedentes ad se Catholicos rebaptizarent, ut constat ex Epistola S. Cypriani ad Jubajanum: *Nec nos, inquit, movet, frater charissime, quod in litteris tuis complexus es, Novatianenses rebaptizare eos, quos a nobis sollicitant.* Unde Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, lib. 11. *Hist.*, cap. 11. dicit, quod Novatus, seu Novatianus sanctum *Baptismatis lavacrum abrogaverit*, improbato scilicet Baptismo Ecclesiæ Catholicæ, volebat denuo eos baptizari, qui ex Catholicis ad suam sectam deficiebant.

Ariani quidam eundem errorem sectati sunt, ut constat ex S. Ambrosio, Serm. *De Basilicis non tradendis hæreticis*, ubi ait: *Baptismum Joannis non solverunt Judæi; Auxentius solvit Baptismum Christi. Cur*

igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat baptizator in nomine Trinitatis. cum Apostolus dicat: una fides, unum Baptisma? Idem docet S. Augustinus, lib. *De Hæresibus*. Hæresi 49. ubi de Arianis ait: *Rebaptizari quoque ab his Catholicos novimus, utrum et non Catholicos non novimus.*

Ætiani ab *Ætio* Diacono, postmodum Episcopo, qui etiam dicti sunt *Anomæi*, quia Filium Dei non solum Patri consubstantialem, sed etiam similem negabant: rebaptizare etiam ausi sunt, ut refert S. Epiphanius. Hæresi 76. *Ætii*, inquit, *discipuli cum horum successore, qui Eunomius falso nominatur, ad hæc tempora supersunt, aliud quiddam scelèratum, ac nefarium committunt; si quidem eos, qui baptizati jam fuerunt, iterum baptizat Eunomius: non modo, qui a Catholicis aut aliis sectis, sed etiam qui ab ipsis Arianis deficiunt.*

Eos secutus est Hilarius quidam Diaconus, secta Luciferianus, qui editis libellis propugnabat rebaptizandos esse, qui ab hæreticis Baptisma susceperant: ei tamen cæteri Luciferiani non adhæserunt; quippe cum S. Augustinus, lib. *De Agone Christiano*, c. 20. asseret Luciferianos potius schisma, quam hæresim tecisse.

Idem pestilens dogma inter alios errores instauravit Basilius quidam professione Medicus, qui Bogomilus appellari voluit, a voce Bog, quæ Bulgarorum lingua Deum significat, et *milus*, quæ significat *misereri*. ita ut Bogomilus idem sit apud eos, quod qui misericordiam Dei implorat. Hic autem, ut refert Euthymius in *Panopl.* p. 2. accedentes ad se rebaptizabat, quod nullum eorum Baptisma existimaret.

Idem docuit Petrus de Bruis, cujus varios errores refert et impugnat Petrus Cluniacensis in duabus epistolis contra Petro-Brusianos editis, in quarum pleniori non longe ab initio scribit: novo, et apud Christicolæ inaudito scelere, in partibus nostris populi rebaptiza, Ecclesiæ profanata, etc.

Tempore S. Bernardi, hæretici quidam, *Henriciani*, qui se Apostolicos appellari volebant, quasi essent successores et imitatores Apostolorum, etsi nullum Apostolatus sui signum ostenderent, aiebant peccatores idoneos non esse Sacramentis dandis et suscipiendis, ut refert S. Bernardus, Serm. 66. in *Cantica*, cap. 11. *Jam vero, inquit, qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquit, sunt Apostoli, Archiepiscopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. Quem utique errorem sic S. Bernardus perstringit: Episcopus erat Caiphas, et tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas Episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui Pontificatus etiam prophetasse refert. Apostolus erat Judas, et licet avarus et sceleratus, electus a Domino. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? Audis eundem electum Apostolum, et extitisse diabolum; et negas posse esse Episcopum, qui peccator est? Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisei, et qui non obediunt eis tamquam Episcopis, inobedienciæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem, et dicentem: quæ dicunt facite, etc.*

Plures sunt alii recentiores heretici, qui circa idoneum Sacramenti ministrum erraverunt; ut referemus seq. q. 2. pag. 160. cum autem præ cæteris exorbitaverint Donatistæ, ideo placet hic sub distinctis titulis paucis expendere ac referre, quis fuerit eorum hæresis, ac schismatis ortus, et progressus?

QUE FUERIT ORIGO DONATISTARUM? — Cum Mensurius Episcopus Carthaginensis, saviente in Christianos persecutione, a tyranno Maxentio Romam evocatus, sibi concreditis Ecclesiæ bonis consulere voluisset, cuncta vasa aurea et argentea senioribus Sacerdotibus consignavit, dato illorum indicè seniori cuidam fidei amiculæ, quem subinde post illius obitum in manus sui successoris traderet. Mortuo igitur in itinere Mensurio, et concessa Ecclesiis ubique pace, convenerunt Episcopi Carthagini, ut in ejus locum aliquem eligerent ac sufficerent. Electus est autem Cæcilianus totius populi votis. At electionem ægre tulit Lucilla fœmina Hispana præpotens et ambitiosa, quæ Carthagine versans reprehensa fuerat a Cæciliano tunc Ecclesiæ Carthaginensis diacono, quod ante Eucharistiæ sumptionem solita esset exosculari reliquias cujusdam, quem Ecclesia nondum in seriem Sanctorum retulerat. Illa autem correctionis impatiens captabat occasionem ulciscendi se de Cæciliano, sicut et Botrus et Cœlestius, qui Carthaginensem sedem ambiebant.

Creato igitur Cæciliano Episcopo, scriptum illud, quod *Commemoratorium* vocat Optatus, ut Mensurius jusserat, ei datur. Quo accepto Cæcilianus ex officio reperit a senioribus vasa aurea et argentea, quæ a Mensurio acceperant; hi autem ne ipsa restituere cogentur, instigante Lucilla, et conspirantibus Botro, ac Cœlestio, non solum sese, sed etiam sibi commissam plebem a Cæciliani communione subdixerunt: *Sic tribus convenientibus causis, et personis, inquit Optatus, factum est, ut malignitas haberet effectum: schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrit, avaritia roboravit.*

Insuper ab his tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, ut vitiosa ejus ordinatio diceretur. Mittunt itaque ad Secundum Tigesitanum Numidiæ Primatem, qui una cum plurimis Episcopis traditoribus convenientes, qui paulo ante in Concilio Numidiæ confessi fuerant suum crimen, nempe quod tradidissent sacros libros infidelibus, ut mortem effugerent, et indulgentiam et absolutionem sibi invicem tribuerant. Hi in Urbem Carthaginem allecti se a Cæciliani communione separantes creaverunt Pseudo-Episcopum Carthaginensem Majorinum Lectorem Lucillæ domesticum, ipsa suffragante, et ad id summam pecuniam largiente. Quæ omnia narrat S. Augustinus lib. 1. *Contra Parmenianum*, cap. 3. « Legant qui volunt, inquit, quæ narret, « et quibus documentis quam multa persuadeat venerabilis memoria « Milevitanus Episcopus Catholicæ communionis Optatus, sive de Lu- « cilla pecuniosissima tunc et factiosissima fœmina, quam pro Ec- « clesiæ disciplina S. Cæcilianus adhuc Diaconus læserat: vel de « cæteris factiosis ejus consortibus, sive furibus Ecclesiastici argenti, « sive ad Episcopatum se non pervenisse dolentibus, et sibi prælatum « Cæcilianum, insidiis, quibus poterant, insectantibus: sive de Nu- « midis Episcopis, quos ista factio consecraverat ad perniciem Cæci-

« liani. » ut illo deposito, alter ex eis ordinaretur: qui venientes cum
 « Primate suo tunc Secundo Tiginiano, et aliis quibus traditionis con-
 « fessa crimina Secundus ipse donaverat, veluti pacem consulens (sicut
 « Ecclesiastica gesta testantur absentem Cœcilianum sine ulla dila-
 « tione diligentioris inquisitionis, nullo responsionis loco servato,
 « traditorem esse censuerunt, ut ei videlicet obessent absentem tradi-
 « tionis crimina tantummodo objecta, cum sibimetipsis præsentibus con-
 « fessa donaverint ».

Hoc igitur fuit Donatistarum schismatis enorme principium: *Non enim*, inquit Optatus Parmenianum alloquens lib. 1. *Cœcilianus exiit a Majorino avo tuo, sed Majorinus a Cœciliano: nec Cœcilianus recessit a cathedra Petri, vel Cypriani, sed Majorinus, cujus tu in cathedra sedes, que ante ipsum Majorinum originem non habebat.* Cæterum non fuit satis schismaticis Episcopis hæc contra Cœcilianum egisse; sed coacto ferme 70. Episcoporum Carthagine Concilio, Cœcilianum absentem vocatum et non parentem damnarunt, quod (inquit, S. Augustinus in breviculo collationis diei tertiæ, cap. 4. *ad eos venire noluerit, tamquam a traditoribus ordinatus, et quia cum esset Diaconus, rictum affèri Martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur.* At quam supposititia fuerit et falsa hæc criminatio in Cœcilianum, aperte demonstrarunt Catholici, ut ibidem refert S. Augustinus, c. 16. idque suo silentio testati sunt Donatistæ, quos cum interpellasset Cœcilianus, si esset, quod in eum probaretur, exiret accusator, et probaret: illo tempore, inquit Optatus, a tot inimicis nihil in illum potuit confingi: sed de ordinatore suo, nempe Felice Aptungitano Episcopo, quod ab eis falso traditor diceretur, meruit infamari.

Licet autem schisma illud conflatum præcipue fuerit a Botro et Cœlestio, qui Carthaginensem sedem ambiebant, et a senioribus deposita Ecclesiæ ornamenta negantibus: auctumque fuerit a Secundo Episcopo Tiginiano Primate Numidiæ, et in creatione Majorini demonstratum ac firmiter stabilitum: ab eis tamen suum nomen non sunt mutuati; sed a Donato, non quidem Masculitano aut Calamensi, qui cum aliis traditoribus adversus Cœcilianum convenerant, sed maluerunt sic appellari ab alio Donato, qui post schismatis originem Majorino successerat in Pseudo-Episcopatu Carthaginensi, eo quod ab omni labe purissimus ab eis habebatur: et insuper eloquentia, qua pollebat, hoc schisma una cum hæresi confirmaverat. Unde S. Augustinus, lib. *De Hæresibus*, c. 69. sic scribit de Donatistis: *Hujus hæresis principem accepimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, et contra Cœcilianum christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordinavit Episcopum; cui Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit: qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæresim, ut multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Retugiebant insuper sic denominari a priori Donato, quod constaret eum a Melchiade Papa fuisse damnatum.

QUIS FUERIT SCHISMATIS ET HÆRESIS DONATISTARUM PROGRESSUS. — Circa annum Christi 308. tempore Constantini Imperatoris, Donatistæ adversus Cœcilianum Episcopum collegerunt Concilium Carthagini 270. Episcoporum, adjunctis ad eam factionem Numidis Episcopis,

sollicitatisque Mauritanis, datis ubique litteris calumniis in Cœcilianum refertis, allectisque ad suam ipsorum communicationem etiam iis qui in persecutione lapsi essent impiis traditoribus. In quo quidem Concilio, ut refert S. Aug., Ep. 48. per 75. dies, postpositis omnibus præteritis, limata sententia atque decreta, *ut traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur.*

Sed maximo studio ejusmodi Synodi licet numerosissimæ memoriam supresserunt Donatistæ: quod, inquit, S. Aug. eam Synodum ex traditorum gregibus collectam esse novissent; sicque pateret eos, et traditionis labe, et traditorum communione esse tædatos, cum nihilominus se ab illa macula immunes jaectarent; atque in Cœcilianum, tamquam a traditore ordinatum, ex justitiæ amore insurgerent.

Interea Cœcilianus tot hostium numero circumseptus fidenter agebat, quod sibi patrocinantem Romanam Sedem haberet; quod utique sic declarat S. Aug., Ep. 162. *Posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus, et cunctis terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum,* etc. Ipsi pariter patrocinebatur Constantinus Imperator; nam datis ad Anulinum Proconsulem litteris, declarat Clericos Ecclesiæ Catholicæ, cui Cœcilianus præerat, immunes ab omnibus functionibus publicis conservari: quam utique Epistolam refert Eusebius, lib. 10. c. 7.

Hæc cum accepissent Donatistæ, animadvertentes Constantinum propensorem esse erga Cœcilianum, nec sibi sperandum Imperatore ei propitio de sede Carthaginensi, quod alias sæpe, sed frustra tentassent, exturbare posse; interpellant eundem Anulinum, ut suos ea de re libellos duos mittat ad Imperatorem tunc in Galliis agentem, ut habetur in Epistola Hipponensium ad Januarium primæ Sedis Numidiæ Episcopum Donatistam, quæ est inter Augustini Ep. n. 68 quorum libellorum titulus hic unus erat: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cœciliani traditus a parte Majorini.*

Delegant pariter aliquos Episcopos, una cum delatore litterarum, qui petierunt ab Imperatore, ut sibi daret Judices, non quidem ex Africa, quia, inquiebant, inter nos et alios Episcopos contentiones sunt, sed ex Gallia. Constantinus autem lectis epistolis et auditis Episcopis, sapienter respondit (inquit Optatus, lib. 1. *Contra Parmenianum*): *Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem?*

Nihilominus eis Judices tres assignavit, Maternum ex Agrippina civitate, Rheticium ab Augustoduno, et Majunum Arelatensem. Sentiens vero postea Imperator judicia Episcoporum absque primaria Sedis Antistite nefas esse cognosci, causam illam detulit ad Melchiodem Rom. Pontificem, qui præsentibus tribus illis, quos elegerat, aliisque Comprovincialibus in Italia Episcopis, illam controversiam dirimeret. Quod ut libratis omnibus fieret, et legitima judicii forma servaretur, nempe ut præsens adsit reus, qui suam causam dicat, præsentibus accusatoribus, Imperator scripsit ad Anulinum, mandans, ut Cœcilianum cum decem e suis, et ejus adversarios cum totidem Episcopis, Romam venire præcipiat intra diem sextam Nonas Octobris.

Paret utraque pars Imperatoris mandato, Romamque adveniunt

omnes signato die, conveniunt cum tribus Episcopis Gallis, et Melchiade quindecim alii Episcopi Judices: testes inducti a Donato, fatentur se non habere, quod in Cœcilianum dicerent. Unde omnium suffragiis Cœcilianus innocens est pronuntiatus, ita sententiam suam terente Melchiade summo Pontifice: *Cum constiterit Cœcilianum ab iis qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit: suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo.*

Cum autem Cœcilianus a Donatistis accusatus esset, etiam Donatus, a *casis nigris* dictus, accusatus est a Catholicis, qui stabant a parte Cœciliani, quod rebaptizasset, et Episcopis lapsis manum imposuisset; unde in ipsum hæc sententia lata est: *Quod confessus se rebaptizasse, et Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Nec durius in eum, quamvis totius mali principem, agere voluit summus Pontifex, spe sanitatis recuperandæ; imo paratus erat communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatorum esse constaret; ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs altera regenda provideretur, ut refert S. Augustinus Epist., 162. unde ibidem exclamat: *O virum optimum! o Filium Christianæ pacis, et Patrem Christianæ plebis!*

Verum non idem fuit Donatistis pacificus animus; vix enim in patriam reversi, de Romani Concilii sententia ad Constantinum Imperatorem appellant: quod audiens Imperator sic exclamavit, ut refert Optatus: *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Quam etiam exclamationem repetiit in Epistola ad Episcopos, quæ extat in Appendice ad Optatum editionis Parisiensis.

Constantinus autem nimia ductus erga procacissimos et sceleratos facilitate, futurumque sperans, ut sic ad quietem demum se componerent, procurat novam et confluentium Episcoporum numero amplio-rem Synodum *Arelatis* congregari. Sed quia in ipsa causa jam dudum duæ videbantur laborare personæ: nempe ordinati, et ordinatoris, hoc est Cœciliani, et Felicis Aptungitani, quem fuisse sacrorum librorum traditorem Donatistæ calumniabantur; ut rebus utrinque libratis æquior sententia in Arelatensi Synodo emergeret, Constantinus ad Ælium Proconsulem scripsit, ut de vita Felicis Aptungitani inquireret, utrum tempore persecutionis, ut mortem effugeret, sacros libros igne cremandos infidelibus tradidisset. Re itaque disquisita, et advocatis testibus, qui cum Felice sub persecutione vixerant, responsis omnium nihil tale inventum est, quod vitam Felicis Episcopi sordidare potuisset. Unum fuit, quod objicerent Donatistæ, nempe Epistolam Cœciliani ad Felicem, qua mandare videbatur Cœcilianus, ut Felix assumpta clavi, quos invenisset in cathedra libros, et sacros codices, eos tolleret, et infidelibus traderet. Verum cum Cœcilianus contestaretur interpolatam fuisse suam epistolam, advocatus est Ingentius Officialis, et Scriba publicus, qui a Donatistis subornatus hanc Epistolam protulerat, qui cum pependisset sub metu imminentium tormentorum, ut veritatem fateretur, confessus est, se revera hæc addidisse epistolæ Cœciliani.

Quapropter, excepta Judicium sententia, Proconsul pronuntiavit Fe-

licem Episcopum religiosum esse, et liberum ab exustione instrumentorum Deificorum. Quam sententiam misit ad Imperatorem, reservato in carcere Ingentio, quem Imperator mandavit ad se mitti, quo adversarii Cœciliani, qui a lata Proconsulis sententia pro Felice ad Imperatorem appellaverant, confutari possent ipsius Ingentii confessione, qui fraudem Donatistarum, et quam eis sollicitantibus interpolationem fecerat, eis publice objiceret.

Interea cogitur Concilium Arelatense, mandante Constantino, et approbante Sylvestro summo Pontifice, qui in demortui Melchiadis locum successerat anno 311. Conveniunt plurimi Episcopi ex Gallia, Hispania, Britannia, Italia, Africa; intertuere quoque summi Pontificis Legati, Claudianus et Avitus Presbyteri, Eugenius et Quiriacus Diaconi. Adest etiam Constantinus Imperator. Adsunt pariter tres illi Gallicani Episcopi, quos Imperator delegaverat Judices, ut cum Melchiade Pontifice Romano Cœciliani causam agerent. Denuo exactissime Cœciliani et Felicis causa discutitur, et uterque innocens declaratur, ac Donatistæ condemnantur; quo fit ut plurimi ex Donatistis in concordiam cum Cœciliano redierint; at eorum plurimi pertinaciores facti a Concilii sententia rursus appellant ad Imperatorem, qui jubet eos servari in custodia, et Mediolanum duci ubi advocatus Cœcilianus, remotis omnibus arbitrīs, rursus in causam inquit Imperator, et Cœcilianum innocentissimum, illos vero improbissimos judicat; quam sententiam refert S. Augustinus, lib. 2. *Contra Cresconium*, c. 7.

His actis anno 317. Schismatici in Africam reversi novas turbas excitant, convitianturque Imperatorem gratia corruptum, ut narrat S. Augustinus, lib. 1. *Contra Epistolas Parmeniani*, cap. 6. Cujus rei causa commotus Imperator jubet eorum aliquos ad campum, hoc est ad supplicium duci, ut ibidem refert S. Doctor cap. 8: at indignationem subinde cohibens ab eorum sanguine abstinuit, illosque dumtaxat exilio multavit, a quo tandem eos revocavit anno 321. illorum furorem Deo vindicæ dimittendo, inquit S. Augustinus, lib. *Ad Collatorem*, cap. 13.

Verum cum tandem aliquando quiescere deberent Donatistæ tot sententiis fracti, totque Imperatoris gratiis illecti, nihilominus nova in Catholicos odia exercent; tunc enim Donato Carthaginensi Episcopo hortante, prodierunt quidam sectæ defensores, qui Circumcelliones dicti sunt, quod circum cellas vagarentur, ut observat sanctus Augustinus in Psal. 139. et apud Donatistas *duces Sanctorum*, et publicæ justitiæ vindicæ dicebantur.

Ut autem huic sectæ Catholicum nomē non deesset, mittunt unum Episcopum e suis Roman, qui suis sectatoribus præesset, et Romanæ Ecclesiæ communionem ipsis vindicaret, ab eisque Romanus Pontifex appellabatur. Huic successive quinque suffecti sunt Episcopi, qui vel ex Africa mittebantur ordinati; vel, ut scribit S. Augustinus lib. *De hæresibus*, cap. 69. alii Episcopi Donatistæ ex Africa pergebant Roman, ad eos ordinandos. Quidquid sit, certum est eos omnes Episcopos Donatistas Afros fuisse, nullum autem Romanum, ut ipsis exprobrat Optatus lib. 2. Qui autem Romæ agebant, ab ipsa civitate exclusi in vicinorum montium speluncis sua conventicula celebrabant. Unde Montenses appellati sunt, ut notat Optatus ibidem 3. et Rupitæ, atque Rupitani, ut observat sanctus Augustinus, lib. *De Unitate Ecclesiæ*, cap. 3.

QUIS FUERIT DONATISTARUM SUCCESSUS POST MORTEM CONSTANTINI. — Moritur Constantinus anno 337. et orbis imperium inter se partiuntur tres ejus filii, Constantinus, Constantius, et Constans; cum autem Constanti obvenisset Africa, et comperisset miserrimum illius Ecclesiæ statum, misit in Africam duos spectatissimos viros, Paulum et Macharium, ut Africanam Ecclesiam eleemosynis sublevarent, sed eo præsertim consilio, ut suppresso schismate, omnes ad unitatem revocarent, unde *Operarii unitatis*, appellabantur, inquit Optatus lib. 3.

At Donatus Carthaginensis Pseudo-Episcopus illis resistit, nec solum oblatam ab illis pecuniam, et-Ecclesiasticam suppellectilem repudiat, sed litteras dirigit in Provincias singulas, ne suæ sectæ pauperes ab illis quidquam accipiant, utpote a sua communione alienis et peccatoribus: quinimo in eos commovet Circumcellionum turbas, quapropter cogunt advocare armatos milites, qui a Circumcellionibus male accepti, aliquos ex eis occiderunt, qui subinde pro Martyribus a Donatistis habiti sunt, ut refert Optatus, lib. 3.

Quibus compertis, Imperator Constans Donatum Carthaginensem cum præcipuis ejus sectatoribus exilio muletat, quo factum est, ut pluri-
 rimi e plebe ad Ecclesiæ unitatem redirent. Pertinaciores vero ex Donatistis circa illa tempora, quæ S. Augustinus appellat Machariana; alii vero ex Legatis falsi martyrii cupiditate illecti percussores in sui perniciem conducebant: alii vero vel in aquas, vel ex altorum montium cacuminibus sese præcipites dabant, vel laqueo se suffocabant. Unde S. Augustinus lib. 2. *Contra Litteras Petiliani*, cap. 19. sic eum interpellat: « Vellem mihi diceres, Confessores illi vestri, quando seipsos
 « præcipitant, cui dicant martyrium, utrum Christo, qui talia suggestentem diabolum repulit, an potius ipsi diabolo, qui talia Christo
 « facienda suggestit? Duæ sunt maxime viles atque usitatæ mortes
 « eorum, qui seipsos interimunt: laqueus, et præcipitium: tu certe
 « dixisti in primis partibus hujus epistolæ, *Laqueo traditor perit,*
 « *laqueum talibus dereliquit*: hoc ad nos omnino non pertinet, neque
 « enim veneramur nomine Martyrum eos, qui sibi collum ligaverunt:
 « quanto autem probabilius in vos dicimus, Magister traditoris diabolus præcipitium Christo suadere voluit, et repulsus est? Quid ergo
 « dicendi sunt, quibus hoc suavit, et auditus est? Quid enim nisi inimici Christi, amici autem diaboli? Discipuli seductoris, condiscipuli
 « traditoris, spontaneas enim mortes ab uno Magistro utrique didicerunt, illi laqueum, isti præcipitium ».

Anno 362. cum Constans occisus fuisset, et jam imperii habenas regeret Julianus, Donatistarum principes in exilium acti, Legationem ad eum mittunt, qua petunt ab exilio liberari, et Basilicas sibi ademptas restitui. Annuit Imperator, et ab exilio reducti sæviunt in Catholicos, et in sacra omnia, ita ut etiam aliqui ex eorum Episcopis quod horrendum dictu Sac. Eucharistiam canibus objecerint, ut narrat Optatus lib. 2. An. aut. in 368. mortuo Donato Carthaginensi Pseudo-Episcopo, suffectus est Parmenianus, qui in defensionem suæ sectæ scripsit amplissimam epistolam, quam Optatus Milevit. in Numidia Episcopus, et S. Augustinus, imo et Tyconius quidam Afer doctissimus refutarunt.

Vita functo Parmeniano circa an. 383. subrogatus Priminianus mul-

tis criminibus reus, qui ideo per Conc. Donatistarum coactum apud Cavernas Susis prope Carthaginem damnatus ac depositus est, ejusque damnatio et depositio approbata fuit in pleniori Donatistarum Concilio centum, vel amplius Episcoporum, qui Cebarsossi convenerant, ut refert S. Aug., lib. 1. *Contra Cresconium*, cap. 6. In illius autem Priminiani locum electus est Maximianus Diaconus Carthaginensis, quem ipse Priminianus ante damnaverat: at Priminianus resumptis viribus Episcopos Numidia ad sui defensionem provocat, qui n. 310. convenientes celebrant Bagajense Concilium, restituuntque et absolvunt Priminianum, Maximianum vero absentem et inauditum damnant et destituunt. Hinc grande oritur schisma inter Donatistas, quamplurimi enim Priminiano adheserunt, alii autem Maximiano, ut ibid. narrat S. Aug. In hoc tamen, quod hæreticis omnibus familiare est consentiebant Donatistæ, ut in Catholicos, qua possent arte et sævitia grassarentur, ut eis exprobrat Optatus libro secundo, ubi ut eruentis morsibus pastos, et Christianorum sanguine opimatos fuisse ostendat, commemorat ipsorum furorem et impietatem. « Cum pax alta, *inquit*, « Ecclesiæ esset, imperante Constantino, et duces Donatistarum me- « rita relegassent sua, Julianus Apostata precibus Donatistarum ro- « gatus, relegatos ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad di- « sturbandam pacem cum furore esse venturos. Venerunt irati, membra « laniantes Ecclesiæ, subtiles in seductionibus, in cordibus immanes. « Felix Diabensis, et Januarius castellum Lemanense invaserunt, di- « ripuerunt, et Diaconos Catholicos altare defendentes, plurimos tegulis « eruentarunt, duos occiderunt. In Mauritanie civitatibus, Donatistis « intrantibus, quassatio populi facta est. Mortui sunt in utero matrum, « qui fuerant nascituri. In Thipasa Cæsariensis Mauritanie civitate « Catholica frequentia exturbata, et eruentata de sedibus suis expulsa « est. Lacerati sunt viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati sunt, « abacti sunt partus. Jusserunt Eucharistiam, canibus infundi, non « sine signo judicii divini. Nam iidem canes rabie accensi, et ipsos « dominos suos, quasi latrones, sancti Corporis reos, dente vindice, « tanquam ignotos et inimicos laniaverunt. Ampullam chrismatis per « fenestram, ut frangerent, jactaverunt, et cum casum juvaret abje- « ctio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subve- « ctione deduceret, projecta casum sentire non potuit, illæsa inter « saxa cõsedit. Urbanus Formensis, et Felix Idicrensis inde rever- « tentes invenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres. « Idem Felix vitia vitæ puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua « paulo ante Pater vocabatur. Idem Donatus annorum septuaginta « Episcopum spoliare ausus est nomine, officio, honore Episcopali, « innocentem reus, Dei Sacerdotem sacrilegus, incestus castum, etc. ».

Nec potuit eorum pervicacia frangi; licet variis, sed irritis conatibus fuerint sollicitati, ut ad Ecclesiæ gremium sese reciperent, donec summis S. Aug. laboribus, et assiduis scriptis ac disputationibus debilitati, tandem Honorii Imperatoris pœnalibus edictis domita est eorum sceleratorum protervia, ad id præcipue agente Marcellino Tribuno, quem ad compescendam Donatistarum vesaniam Honorius cum amplissima potestate, et copiis militaribus in Africam delegaverat.

Omissa igitur ampliori relatione ac discussione schismatis Dona-

tistarum, jam determinandum est, quis sit idoneus Sacramentorum Minister, et utrum in ipso desideretur primo status hominis viatoris: secundo vitæ probitas: tertio fides: quarto intentio: quod utique resolvetur in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

QUIS DEBEAT ESSE SACRAMENTORUM MINISTER.

NOTANDUM 1. Duplicem distingui posse Sacramentorum Ministrum: unum quidem *ordinarium*, alterum vero *extraordinarium*. Ordinarius ille dicitur, qui ex concessa sibi facultate potest qualibet data occasione et opportunitate ministrare Sacramentum: extraordinarius autem, qui non nisi ex delegata auctoritate et commissione Sacramenta ministrat, urgente necessitate, propter absentiam, et defectum ordinarii Ministri. Certum est autem homines ministros esse Sacramentorum, dum a Christo Domino delegatam potestatem obtinent. Unde Apostolus 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Dixi, dum habent a Christo delegatam potestatem: ille enim omnis et solus est Minister Sacramentorum, quem Christus in sua institutione designavit. Quis autem sit singuli cujusque Sacramenti peculiaris Minister a Christo designatus, resolvetur agendo de Sacramentis in particulari. Hic autem dumtaxat investigamus, quisnam in communi debeat esse ordinarius Sacramentorum Minister, utrum homo, vel Angelus.

NOTANDUM 2. Lutherum eo non dicam erroris, sed etiam amentia progressum, ut in lib. *De Missa privata, et unctione Sacerdotum*, non solum omnibus hominibus, sed etiam dæmonibus attribuat potestatem ministerialem omnium Sacramentorum. *Ego, inquit, non dicam quod Papistæ dicunt, nullam Angelorum, nec Mariam quidem ipsam consecrare posse: sed e contra dico, si diabolus ipse veniret, et ego postea rescirem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ in specie hominis vocatum ad prædicandum, et publice in Ecclesia docuisse, baptizasse, celebrasse missam, et absolvisse a peccatis, et tali munere functum esse, juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri Sacramenta ideo non esse inefficacia, sed verum Baptismum, verum Erangelium, veram Absolutionem, verum Sacramentum corporis et sanguinis Christi nos accepisse.* Verum, ut hæresis in seipsam militat, ipsi Luthero extreme repugnat Calvinus, qui nequidem in necessitate concedit mulieribus facultatem baptizandi: nam in Antidoto ad Can. 10. Sess. 7. ait: *Nemo sanus Christianus omnes in verbi, Sacramentorumque administratione pares facit: non solum quia decenter et ordine geri omnia in Ecclesia debet, sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur Ministri.* Subdit autem: *Porro manus baptizandi, ubi mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illi permittunt?* At Ecclesia Catholica hoc utrumque erroris extremum declinans, tatetur solos homines viatores esse Ministros ordinarios Sacramentorum: imo etiam omnes urgente necessitate posse Baptismum ministrare: quamquam concedat Angelos, etiam per extraordinariam Dei delegationem, posse Sacramenta ministrare.

NOTANDUM 3. Ex Doctore in 4. dist. 6. q. 1. num. 2. quod ad Sa-

eramentorum administrationem tria concurrere debent ex parte Ministri: *primum* est actio exterior, quæ fit per motum localem et potentiam motivam, per quam applicatur materia: *secundum* est prolatio sensibilis formæ per verba articulata: *tertium* est intentio faciendi quod facit Ecclesia. Qui autem aliquo eorum caret, non potest Sacramentum administrare; unde excluduntur ab hac administratione qui carent manibus, loquela, et ratione. Inde concludit Doctor, nullum suppositum nature intellectualis simpliciter excludi a potestate baptizandi, nisi propter aliquem ex ejusmodi defectibus. Duo itaque hic maxime sunt statuenda: *primum*, quod soli homines viatores sunt ordinarii ministri Sacramentorum: *secundum*, quod Angeli non solum boni, sed etiam mali, possunt ad istud ministerium a Deo deputari extraordinarie.

Conclusio prima. — SOLI HOMINES VIATORES HABENT POTESTATEM ORDINARIAM MINISTRANDI SACRAMENTĀ.

Probatur prima pars: Sacramentorum administratio, sicut et efficitas, pendet ex Christi institutione et mandato, quod innotescit maxime per Scripturam sacram: sed ex ea constat facultatem ordinariam ministrandi Sacramenta non fuisse concessam Angelis, sed hominibus. *Probatur per inductionem*: siquidem de Eucharistia, Lucæ 11. v. 19. non Angelis, sed Apostolis, qui erant homines viatores, dictum est: *Hoc facite in meam cōmmemorationem*. Et de Baptismo, Matth. ultim. v. 19. *Baptizate omnes Gentes*. De Extrema-Uctione, Jacobi 5. v. 14. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum*. etc. De Pœnitentia, Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Quantum ad Sacramentum Ordinis et Confirmationis, constat tum ex Scriptura, tum ex Traditione, eorum Ministrum necessario debere esse Episcopum, et Pontificem; qui, ut legimus Hebr. 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*. Quantum vero ad Matrimonium res est evidens, non enim initur nisi inter homines contrahentes, qui videntur ministri, juxta illud Genes. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*, etc.

Hujus autem veritatis ratio est aperta; quatuor enim sunt in Sacramentis, a quibus maxime æstimari debet Minister, nempe Sacramentorum institutor, videlicet Christus Dominus, cujus ipse vices gerit, juxta illud S. Pauli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Secundum est Ecclesia in cujus gratiam Sacramenta instituta sunt, et cujus proinde ille est Minister. Tertium est suscipiens, inter quem et Christum Dominum, qui ministrat, medium locum tenet. Quartum denique est Sacramentum quod ministratur. Sed ex hoc quadruplici capite Minister ordinarius Sacramentorum necessario debet esse homo, non autem Angelus; quia Christus institutor, cui debet assimilari, est verus homo, non autem Angelus. Similiter Ecclesia est cœtus visibilis hominum, non autem Angelorum. Item qui suscipiunt Sacramenta sunt homines, non Angeli. Denique Sacramentum ipsum non est mere spirituale, quemadmodum Angeli, sed partim conficitur ex spirituali et corporeo: spirituali quidem, nempe intentione Ministri; corporeo autem, scilicet materia et forma: quod maxime convenit hominibus partim spiritua-

libus, partim corporeis. Quas utique rationes Doctor egregie expendit ibidem n. 3. *Congruum est, inquit, ab homine viatore conferri Baptismum, et non ab Angelo aliquo: tum quia Christus, qui instituit, homo fuit: tum quia in Sacramento est aliquid sensibile, et aliquid spirituale, et per consequens magis congruit Ministro utenti sensu et intellectu, quam pure intellectuali: et tertio, quia per susceptionem Baptismi describitur aliquis, ut sit membrum Ecclesie militantis: ergo congruum est hoc fieri per aliquem in illa Ecclesia.*

DICES 1: Quidquid potest Minister inferior potest superior: nam quidquid potest Diaconus, potest Sacerdos, non vicissim: sed Angeli in ordine Hierarchico superiores sunt hominibus quibusvis, ex S. Dionysio: igitur idem ministerium exercere possunt quod homines. — **Distinguo majorem:** idem potest superior diverso modo, *concedo:* eodem modo, *nego.* Quod enim homines operantur inferiori modo per sensibilia Sacramenta naturæ hominum proportionata, faciunt Angeli ut superiores ministri superiori modo invisibiliter purgando, illuminando, perficiendo, non sensibiliter humano modo per Sacramenta. Quare beati homines, qui in cælo characterem habent indelebilem, quo Sacramenta ministrare possent, similes sunt Angelis, Matth. 22. sed in participatione gloriæ, non in conditione nature, Sacramentorumque dispensatione.

DICES 2: Sacramenta possunt administrari per malos homines, qui sunt membra diaboli: multo magis per diabolum, qui est eorum caput. — **Nego consequentiam:** nam homines mali non habent potestatem ministrandi Sacramenta, eo quod per malitiam sint membra diaboli, sed eo quod sint instrumenta Christi rationabilia, quod Satanæ, seu diabolo non competit.

Probatur etiam secunda pars, nempe quod Sacramentorum ordinarius Minister debeat esse viator. *Probatur, inquam, primo ex illo ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, que sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis, qui condolere posset iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, etc.* Sed solus homo viator est ejusmodi: igitur, etc. *Deinde, ille solus est ordinarius et legitimus Sacramentorum Minister, quem Christus sua institutione designavit: sed ad id designavit dumtaxat homines viatores: etenim neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Traditione constat hominem non viatorem a Christo assumptum et institutum fuisse Ministrum Sacramentorum Ecclesie militantis: igitur, etc.* *Denique, ut ait Bellarminus, lib. 1. De Sacramentis in genere, c. 24. n. 3. Sacramenta data sunt Ecclesie, ut ministrarentur iis, qui sunt intra Ecclesiam ab ipsa Ecclesia visibili, per suos Ministros, quales non sunt ii, qui jam sunt extra mundum, et qui nullatenus subjacent directe vel indirecte ipsi Ecclesie: alioquin Episcopus damnatus cum corpore et anima, posset in odium Dei, et Christi, alterum in corpore et anima etiam damnatum in Sacerdotem ordinare, et ille ordinatus Sacerdos, si haberet presentem panem et vinum, posset Eucharistiæ sacramentum conficere: at hæc absurda sunt: igitur non est asserendum Sacramenta posse de via ordinaria ab aliis conferri, quam a viatoribus.*

DICES 1: Thomas Stapletonus in Collectaneis de S. Thoma Apo-

stolo, refert, quod an. 1120. Patriarcha quidam Indorum Joannes nomine, Romam venerit, ibique summo Pontifici Calixto II. et Cardinalibus in consistorio testatus fuerit S. Thomam Apostolum omni anno se visibilem præstare fidelibus sibi subditis, et eos, quos sacra synaxi dignos judicat, propria manu communicare: indignos vero a sacra mensa arcere, et eis Eucharistiam denegare. — **Respondet Bellarminus** ibidem, quidquid sit de veritate illius historiæ, ex illa non haberi, quod Apostolus Eucharistiam conficeret et consecraret: sed solum, quod consecratam distribuere. *Verum*, hæc responsio non videtur solvere objectionem; exinde enim saltem colligere liceret, Beatos posse dici Ministros ordinarios eorum Sacramentorum, quæ consistunt in applicatione materiæ sensibilis, et prolatione verborum formæ, qualia sunt Baptismus, Extrema-UNCTIO, Confirmatio, etc. Unde *respondeo secundo*, quod si verum sit S. Thomam hæc præstitisse, id non fecerit ex communi lege, sed ex singulari Dei concessione, maxime cum non possit constare Apostolum proprium corpus assumpsisse, totiesque repetito miraculo resurrexisset, et iterum fuisse mortuum; unde credibilius est, eum apparuisse dumtaxat, et hæc præstitisse in aereo corpore.

DICES 2: Ecclesia suis in orationibus petit a beatis Apostolis remissionem peccatorum, ut in Apostolorum hymno: *Qui cælum verbo clauditis, serasque ejus solvitis, nos a peccatis omnibus solvi jubete quæsumus*. Et in hymno S. Petri: *Peccati vincula resolve tibi potestate tradita, qua cunctis cælum verbo claudis, aperis*; igitur Apostoli beati sunt Sacramentorum Ministri. — **Distinguo antecedens:** petit remissionem, per modum impetrationis, exhibendo beatis Apostolis potestatem eis commissam, dum in Ecclesia militante versarentur, ut eos magis flectat, sicut dicimus B. Virgini in ejus hymno, *Solve vincla reis*, concedo; per modum jurisdictionis, quasi jus et ministerium absolutionis adhuc retineant, nego.

DICES 3: Si qui Sacerdotes aut Episcopi resurgerent e mortuis, adhuc possent aliqua Sacramenta conficere: non ergo necessario Sacramentorum minister est viator. — **Nego consequentiam;** id enim agerent e mortuis excitati, potestate quam accepissent viatores; unde possent ea Sacramenta valide conficere, quæ conficiebant ante mortem absque jurisdictione, ut Baptismus, et Eucharistiam: nam ea solum agent caractere, statuque debito, non jurisdictione: sed ea valide ministrare non possent, quæ jurisdictionem postulavit, ut absolutionem penitentium, quia jurisdictio cessat per mortem, at absolutio sacramentalis penitentium est actio jurisdictionis, utpote verum judicium.

Conclusio secunda. — ANGELI POSSUNT ESSE EXTRAORDINARIII SACRAMENTORUM MINISTRI. Hæc est communis apud utramque scholam, Angelicam et Subtilem: enimvero Angelicus Doctor 3. part. quæst. 64. art. 7. ait: *Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin possit sine Sacramentis effectum sacramentorum conferre; ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesie Ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis: et quia boni Angeli sunt Nuntii veritatis, si aliquid sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet constare, hoc fieri voluntate divina: sicut quæ-*

dam templa dicuntur Angelico ministerio consecrata. Similia habet Subtilis Doctor num. 2. ubi cum dixisset, omne suppositum naturæ intellectualis posse deputari in Ministrum Sacramentorum, hanc rationem profert: Quia, inquit, si bonus Angelus baptizaret in corpore assumpto, cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset verum esse ejus baptismum, quia non fieret, nisi de præcepto Dei: nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum rebaptizandus: sicut Michaël prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, asserens eam, a se dedicatam fuisse. Quibus verbis Doctor non contendit, Angelos habere potestatem ordinariam ministrandi Sacramenta, ut plurimi perperam affirmant: sed tantum, quod ad illud munus possunt extraordinarie a Deo delegari.

Probatur autem Conclusio: Si enim, ut legimus Actuum 7. ad Galatas 3. Lex antiqua ordinata fuit per Angelos in manu Moysis Mediatoris, quidni per eosdem poterunt novæ legis Sacramenta ministrari? non enim major est difficultas in apponenda materia sacramentali, et proferendis verbis formæ, quam in exaranda lege super tabulam lapideam, et illa viva voce intonanda et promulganda.

Hanc etiam veritatem luculenter docet **S. Augustinus** lib. 2. *Contra Parmenianum*, c. 15. ubi cum objiceret Parmenianus injustum non posse ministrare valide Sacramenta, ut ibidem memorat S. Augustinus, his verbis: *Ut quid ergo Parmenianus inani jactantia exultat, et dicit: Numquam divinæ legis censura patietur, ut vivificare quemquam mortuus possit, curare vulneratus, illuminare cæcus, vestire nudus et mundare pollutus, etc.* quibus asserebat injustum non posse tribuere Baptismum ad justitiam: et ad hujus confirmationem objiciebat c. 15. illud Joann. 3. *Non potest accipere homo quidquam, nisi fuerit illi datum de cælo: cujus falsam interpretationem variis rationibus redarguens S. August. ejusque pravam intelligentiam Scripturæ, tandem concludit: Nemo ergo, inquit, sine dante, sed quod pertinet ad Baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, et homo qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, sive per Angelum, sive per hominem sanctum, sive per Petrum, sive per Joannem, sive per hominem iniquum, etc.* Quibus verbis luculenter significat Baptismum ministrari posse per Angelum. *Nec refert* quod dicat Deum aliquando per se conferre gratiam Baptismalem, hoc est, non mediante aliquo Sacramento, putandum sanctificat vel puerum in utero, vel adultum per martyrium, quod nec est Sacramentum, nec subordinatur Sacramento, licet, ut diximus, Sacramenti vim habeat: hoc, inquam, non refert: quia hæc non efficiunt, quominus asserat Angelum, aut hominem justum, aut injustum conferre gratiam mediante Sacramento.

Probatur insuper ex Nicephoro lib. 11. *Historiæ*, c. 20. ubi refert, quomodo ad Amphiloichium in locis desertis philosophantem, ob excellentem ejus vitam et doctrinam Deus misit Angelos, qui mystica ordinatione et arcana benedictione Episcopali eum dignitate intellectuali modo consecrarunt, et Hierarcham Ieonii renuntiaverunt, ad quem cum paulo post ordinandi Episcopi illius Provinciæ convenissent, ubi noverunt ex eo ipsum ab Angelis Dei consecrationem suscepisse, data Deo gloria de tam sacra, divinaque gratia, illum ut Pontificem Dei, Præconem Evangelii, defensorem fidei, cum timore reverenter admi-

serunt; et solita salutatione, ac osculo ei imposito, functiones Episcopales, ac omnia Pontificalia munera, absque alia nova inauguratione palam exequi permiserunt.

Probatur etiam ratione: Primo, quia ut mox dictum est, sicut Deus non alligavit virtutem suam Sacramentis, sed potest pro libito, independenter a Sacramentorum collatione, gratiam sanctificantem alicui infundere, ita nec Sacramentorum administrationem sic hominibus delegavit, quin possit pro voluntate et nutu illud ministerium Angelis committere; maxime cum omnes illi sint administratorii Spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. *Deinde*, Sacramentorum administratio non est difficiliore executionis, quam consecratio templorum; quippe cum utrumque istud munus hominibus fuerit delegatum: sed consecratio templorum fieri potest per Angelos, et aliquando revera ab illis peracta est, ut constat de consecratione templi montis Gargani, quæ facta fuit per S. Michaëlem Archangelum. *Denique*, tria, sicut notavimus cum Doctore, dumtaxat requiruntur ad administrationem Sacramenti: *primo* quidem vis motiva, qua baptizandum v. g. minister abluat aqua: *secundo*, vox, qua verba formæ proferat: *tertio* rationis usus, qua Christi Dom. et Ecclesiæ intentionem habeat: sed Angelus extraordinaria Dei commissione in assumpto corpore, vel extra corpus omne, potest habere ea tria: nam potest aquam movere, et applicare baptizando: non est enim opus, ut Angelus baptizans applicet aquam per instrumentum conjunctum, ut sacerdos per manum: sufficit enim instrumentum separatum, aut nullum: potest etiam excitare verba, non vitaliter ut homo, sed distincte significantia idem, ac vitalia verba: cum etiam intellectiva facultate sit præditus, haud dubie potest habere intentionem debitam. Itaque fatendum est, quod si constaret Sacramentum aliquod ab Angelis fuisse ministratum, deberet haberi ut ratum ac validum.

DICES 1: Ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex debet assumi ex hominibus, ut offerat dona, et sacrificia*: ac subinde hoc ministerium implere non possunt Angeli: igitur multo minus poterunt Sacramenta ministrare: quippe cum per Sacramenta conferatur gratia, non autem ordinarie per sacrificia ex opere operato. — *Distinguo* antecedens: ita fit de lege ordinaria, *concedo*: ita fit necessario, ut aliter fieri non posset, si ita Deus ordinaret, *nego*: nam consecratio Ecclesiæ etiam est ministerium Ecclesiæ; quod Angelis commissum fuisse ex certa historia constat: ministrare Eucharistiam est Ministerium Ecclesiæ per Presbyteros, et Diaconos, sed et hoc aliquando etiam Angeli præstiterunt ex speciali commissione, ut ex vitis Sanctorum probatis sæpius constat. Promulgatio Legis divinæ est ministerium hominis, sed in monte Sinai id præstiterunt Angeli, ut Dei legati, Act. 7. Quidni ergo et Baptismum possint etiam ex speciali Dei commissione dare in corpore assumpto, servata substantia Sacramenti?

DICES 2: Administratio Sacramenti est actus vitalis: sed Angeli non possunt exercere actus vitales in corpore assumpto: igitur nec ministrare Sacramenta. — *Distinguo* majorem: administratio, quæ fit per Ministrum ordinarium, est actus vitalis, *concedo*: quæ fieret per Ministrum extraordinarium, necessario deberet esse actus vitalis, *nego*: nam absolute loquendo, ad validitatem Sacramenti sufficit, quod debita ma-

teria applicetur. et forma proferatur sensibiliter et articulate per corpus humanum, sive verum sive apparens, non enim aliud requiritur simpliciter ex parte formæ, qua sacramentalis est, quam ut sit signum practicum effectus, tam in baptizato, quam etiam respectu Ecclesiæ, cui debet constare de forma applicata: neque enim Ecclesia attendit modum formandi verba, sed significationem, quam habent ex institutione divina, et communi hominum usu; quemadmodum revelatio facta viris sanctis per Angelos sensibiliter loquentes, non aliter attenditur, et accipitur ab eis, quam si revera vitalis esset: quia consideratur non modus loquendi, sed locutionis sensus.

PETES: an etiam dæmones possent valide Sacramenta conferre? —

Affirmat Doctor, ibidem, dicens: *Si etiam malus Angelus in corpore assumpto baptizet, et constet, quod esset de præcepto Dei, talis habendus esset pro baptizato, quia oportet malum Angelum etiam invitum obedire Deo. Sed non esset sine certa revelatione super hoc habita credendum, quod malus Angelus vere baptizaret; tum quia Deus non ministrat Sacramenta per exclusos finaliter a salute: tum quia si non esset certus de præcepto divino ad oppositum, supponendum est semper ipsum fraudulentè agere, nec complete facere ea, quæ essent necessaria ad salutem baptizati propter inimicitiam, quam habet ex invidia procedentem.* Quibus verbis Doctor non asserit diabolum valide ministrare Sacramenta, quasi hoc ei competeret de lege ordinaria, quemadmodum nonnulli falso existimant, asserentes eandem ipsius, quæ postmodum Lutheri, esse sententiam: contrarium enim aperte patet ex verbis mox expressis.

DICES: Si dæmon ministraret Sacramenta ex ordinatione Dei, cum sit in statu peccati mortalis, committeret sacrilegium, cujus Deus esset auctor, quippe cum dæmonem ad istud ministerium cogeret: sed Deus non potest esse auctor alicujus peccati: igitur nec potest ordinare dæmoni, ut ministret aliquod Sacramentum. — **Distinguo minorem**: Deus non potest esse auctor actus peccaminosi, quando malitia est conjuncta actu malitioso ab intrinseco, *concedo*: quando dumtaxat conjuncta est ab extrinseco, et ex malitia operantis, *nego*. Sic autem contingit in proposito; quia ministerium Sacramenti absolute bonum est; voluntas autem dæmonis cum sit perversa, invite dumtaxat a Deo cogitur, quoties ad aliquid bonum præstandum divino urgente mandato impellitur. Nihilominus Deus hac dæmonis perversa voluntate uti potest in ostensionem suæ bonitatis et potentiæ, per quam extorquet etiam obedientiam a diabolo, quantumvis reluctante, in commodum et utilitatem alterius. Hinc præclare S. Augustinus, lib. *De corrept. et gratia*, c. 10. *Saluberrime, inquit, confitemur, quod rectissime credimus Deum, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis erortura esse præscivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere, etc.* Unde præclare monet Doctor, quod si diabolus Sacramenta ministraret in assumpto corpore, necessum esset, ut per revelationem divinam constaret, ad id a Deo fuisse motum et impulsum, ut nempe certum esset Sacramentum illud fuisse valide ministratum.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM MINISTRI PROBITAS ET VITÆ SANCTITAS NECES-
SARIA SIT AD VALIDE, ET LICITE CONFICIENDUM, ET
CONFERENDUM SACRAMENTUM?

NOTANDUM 1. Tria hic, in questionem venire: *primum*, utrum peccatores valide conficere ac ministrare possint Sacramenta: *secundum*, utrum licite, et citra novum peccatum: *tertium*, an ab eis Sacramenta petere et accipere liceat. Quantum autem ad primum, sciendum est. duplicem distingui posse Sacramentorum administrationem: unam quidem *validam* et *illicitam*, alteram autem *validam*, et *licitam*. Prima est, qua Sacramentum rite confectum, hoc est, adhibita materia, forma, et prærequisita intentione, confert quidem gratiam suscipienti; sed illius confectio et administratio novum infert peccatum conferenti, propter indignam et illegitimam rei sacræ tractationem et ministrationem; secunda vero non solum gratiam confert suscipienti, sed etiam conferenti, propter debitam utriusque dispositionem. Quæritur autem utrum Minister in peccato mortali existens valide quidem, non autem, licite conficere possit ac conferre Sacramenta. Quod utique intelligi potest, tam de Ministro consecrato, cui videlicet ex officio incumbit Sacramentum ministrare, quam de non consecrato, qui videlicet dumtaxat in casu necessitatis Sacramentum ministrare potest.

NOTANDUM 2. Ex Doctore Subtili, dist. 5. quæst. 2. n. 2. Ministrum peccatorem et improbum censi talem, vel occulte, vel manifeste, ita quod pravus appareat quidem coram Deo, talis autem non habeatur apud homines, maxime apud eos, quibus ministrare debet Sacramentum. *Insuper*. Minister occulte malus dici potest duobus modis; vel quia peccatum ejus est occultum et ignotum suscipienti Sacramentum; vel quia, licet ipsi sit notum, non est tamen aliis notorium et manifestum. Similiter notorie malus Minister, vel est toleratus in Ecclesia, et scientibus Prælatiis, nullo reclamante, Sacramenta publice ministrat; vel non est toleratus, sed ab omni Ecclesiastico munere per excommunicationem, degradationem, aut suspensionem, manifeste sepositus; ut declaravit Martinus V in Concilio Constantiensi, qui cum animadverteret gravissima oriri scandala, et plurimos fideles revocari a frequentatione Sacramentorum, quod nescirent an quidam Ministri peccatores, vel aliqua sententia ecclesiastica innodati, possent valide, aut licite conferre Sacramentum Pœnitentiæ, anno 1428. constitutionem edidit, his verbis: *Ad evitanda scandala, et multa pericula, ad subveniendum conscientiiis timoratis, constituimus, ut nemo deinceps teneatur abstinere, et separare se, neque vitare communicationem alicujus, in ministrando, vel recipiendo Sacramento, aut in aliis divinis officiis, aut extra illa, ratione alicujus sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine aut jure generaliter promulgatæ: neque servari interdictum ecclesiasticum, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum, a Judice publicata, vel denunciata specialiter, aut expresse, aut si sit notorius Clerici percussor, etc.* Quæ utique Constitutio innovata fuit in Concilio

Basileensi, Sess. 20. et in Lateranensi, sub Leone X Sess. 11. anno 1516.

NOTANDUM 3. Præter memoratos veteres hæreticos initio præsentis Articuli, qui asserebant, peccatores non posse valide Sacramenta conficere, aliquos Recentiores eundem errorem instaurasse, maxime vero *Waldenses*, ita dictos a quodam homine Lugdunensi nomine *Waldo* circa annum 1106. qui cum divitiis plurimis abundaret, paupertatem evangelicam palam profiteri cepit; unde illius sectatores dicti sunt *Pauperes de Lugduno*, sicut colligitur ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi. Nuncupati sunt etiam *Albigenses*, et *Tholozates*; quia eorum pestilens doctrina in illis maxime provinciis grassata est, ac disseminata. Inter varia autem eorum capita, quæ promulgabant, accusabantur, quod assererent non modo per Sacerdotes, sed etiam Laicos Corpus Christi confici posse, dummodo justis ac probis censerentur; quia per malos etiam Sacerdotes, confici posse negabant, ut refert Rogerius in Annalibus Angliæ. Verum, nullus hunc errorem apertius et audacius professus est, quam *Wiclef*; nam inter varios illius articulos in Conc. Constantiensi, Sess. 8. damnatos, hic quartus erat: *Si Episcopus, vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*. Nonnulli eundem errorem tribuerunt Joanni Hus, cujus errores pariter damnati sunt in eodem Concilio Constantiensi, Sess. 15. Nec immerito quidem, non solum quia pestilentia Wiclefi dogmata propalabat, ac tuebatur in Bohemia; unde hic vigesimus articulus ejus erat, quod condemnatio 45. articulorum Joannis Wiclefi facta per Doctores, est irrationalis et iniqua et malefacta; sed insuper in 22. articulo agebat, *quod Papa, vel Prælatius, et præscitus est tantum æquivoce Pastor, et vere fur, et latro*; ac subinde censebat peccatorem non esse verum Pastorem, proindeque non posse conferre Sacramenta, quæ per veros tantum Pastores ac Ecclesiæ Ministros conferri possunt.

Statuendum est igitur in præsentis Quæstione, *primo*, quod Ministri, quantumvis peccatores et pravi, possint valide conficere Sacramenta: *secundo*, quod illicite Sacramenta conferant: *tertio*, quandonam ad eis liceat Sacramenta petere, et recipere.

Conclusio prima. — SACRAMENTA VERE ET VALIDE CONFICI, AC CONFERRI POSSUNT PER MINISTROS PRAVOS ET PECCATORES. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, tum universalibus, tum particularibus; maxime vero in tribus Conciliis Romanis sub Leone IX annis 1049, 1050, et 1051, in quibus determinatum est, ut quicumque a Simoniacis consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore, non ignorans Simoniacum, cui se obtulerat promovendum, 40. numero dierum penitentiam ageret, et sic in accepti ordinis officio ministraret. Supponunt ergo hæc Concilia valide collatum esse Ordinem per Simoniacum Episcopum. *Idem* definitum est in Concilio Gallicano celebrato anno 1106, cujus acta describuntur a Rogerio in Annalibus Angliæ, ubi contra Tholozates et Albigenses definitum est, quod sicut solis radius per cloacas maculam non contrahit vel fetorem, vel sicut aqua pura et nitida transit ad areolas per canales luteos, aut sordidos, vel limosos, sic verba Dominica non sordidantur, nec melius, nec nitidius

per bonum, quam per malum proferuntur. — Idem definitum est in Concilio Constantiensi, Sess. 8. in quo damnati sunt articuli Wielefi, et Salisburgensi an. 1420. Rubrica *De Summa Trinitate*, ubi definitur: « si aliquis Clericus, vel Laicus... ausus sit predicare, aut occulte « docere, credere, vel tenere, quod Sacerdos in mortali peccato exi- « stens, non possit conficere Corpus Christi, etc. pro hæretico et in- « credulo habeatur. » Idem aperte definit Concilium Trid., Sess. 7. Can. 12. *De Sacramentis in Genere: Si quis dixerit Ministrum in pec- cato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit.*

Rationem a priori catholicæ veritatis assignat Doctor Subtilis, l. d. 5. q. 1. n. 4. « Veritas, inquit, quæstionis patet ex auctoritatibus « multis, quod quacumque malitia Minister sit malus, sive hæresis, « sive schismatis, sive morum, salva unitate Ecclesiæ, si intendit fa- « cere, quod facit Ecclesia, et servet modum Ecclesiæ, vere confert « Baptismum, et talis Baptismus vere habet effectum in baptizato, « non obstante malitia Ministri, nisi obstet malitia suscipientis In hoc, « quod recipit a tali Ministro. Veritas autem istius solutionis non habet « nisi rationem unam *propter quid*, scilicet quia ita placuit Christo « instituere, ut malitia Ministri non impediret Sacramentum, nec ejus « effectum ». Porro hoc Christi Domini beneplacitum maxime colligitur ex perpetua et constanti Ecclesiæ traditione, quam contra S. Cypriani auctoritatem a Donatistis objectam urgebat S. Augustinus, lib. 2. *De Baptismo*, cap. 7. ubi ita scribit: *Nolite ergo nobis objicere auctoritatem Cypriani ad Baptismi receptionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum enim erat diligenter Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod prævum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est; non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata leguntur, etc.*

Idem constanti traditione docent SS. Patres variis adductis exemplis. Sic Optatus Milevitanus, lib. 3. *contra Parmenianum*, circa medium: « quid interest, inquit, quales fuerint operarii, dummodo quod operatum est bonum esse constet? nam et vinum a peccatoribus operariis et calcatur et premitur; et sic inde Deo sacrificium offertur: oleum quoque a sordidis conficitur... et tamen liquor in sapore, in lumine, etiam in sacro chrismate simpliciter erogatur », etc. *Similiter* S. Nazianzenus, Orat. 40. comparat bonum vel malum Ministrum sigillo aureo, vel ferreo, quod eundem habet effectum, sive aureum sit sive ferreum. Sanctus autem Augustinus ad id etiam utitur exemplis, maxime lib. 3. *contra Cresconium*, cap. 8. ubi utitur exemplo *seminis*, cui perinde est, quod sordidis, aut lotis manibus seminetur; modo enim ex se fructiferum sit, et terra idonea, ac fecundante solis influxu germinabit, ac ubertim exurget. Tract. autem 5. in Joannem: *Superbus Minister cum diabolo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit; et non venit ad*

fertilem terram. Et paulo post subdit: Lapis ex aqua fructum ferre non potest, et si per lapideos canales transit ad areolas aqua, in canali lapideo nihil generatur, sed tamen hortis plurimum fructum affert: spiritualis enim virtus Sacramenti, ut pura lux ab illuminandis excipitur, sed per immundos transiens non coinquinatur. Idem lib. 1. De Baptismo, cap. 10. cum dixisset: Non est autem aqua profana et adultera: super aquam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis et adulteris invocetur: quin nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est: Baptismus vero Christi verbis evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici et immundi, quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest: et Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene viventium, sive ad perniciem male utentium. Id confirmat exemplo: An vero Solis, inquit, vel lucernæ lux, cum per carnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit: et Baptismus Christi potest cujusquam sceleribus inquinari? Si enim ad ipsas res visibiles, quibus Sacramenta tractantur, animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non videat non posse corrumpi, quamvis homines per quos agitur, pro suis moribus, vel præmia percipiant, vel penas luant?

Eandem veritatem probat Doctor nu. 4. et sequentibus triplici congruentia: *Primam* repetit ex fine Sacramenti quidem, quia « rationabile est Deum assistere suo signo pratico ad causandum signatum ex determinatione voluntatis suæ præcedente omnem conditionem Ministri; ut sicut illa determinatio sua, qua tribuit signo esse certum signum, est ab ipso immediate omnino et primo, ita et assistentia consequens illam determinationem ad cooperandum sit immediate ab ipso ». Quibus Doctor significat, quod cum Sacramentum omnem suam efficacitatem habeat a Deo, et Christo Domino illius institutore, illi non potest obesse Ministri pravitas. Quam utique rationem etiam profert S. Augustinus pluribi, sed maxime lib. 2. *contra litteras Petiliani*, c. 2. *Nec aqua nostra inquinamur, inquit, nec vestra mundamur, sed aqua Baptismi... cum datur alicui, nec nostra, nec vestra est, sed illius, de quo dictum est: hic est qui baptizat. Unde Tract. 5. in Joan. circa medium ait: Baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur: unde quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus præco, ubi bonus est judex?*

Secundam rationem desumit Doctor ex fine ipsius Sacramenti, videlicet ex parte salutis hominum, ob quorum gratiam Sacramenta instituta sunt: si enim ad Sacramenti valorem requireretur sanctitas et fides Ministri, vix ulla esset in fidelibus securitas de sua salute; sicut enim semper essent incerti de bonitate Ministri, ita et de valore Sacramenti ab eo collati. Nam, ut præclare Doctor ait: « Si Baptismus non posset conferri nisi a bono, non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi communiter in detrimentum. Cum enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria, multo magis nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate Ministri dependeret Baptismus, numquam posset aliquis esse certus se vere recepisse Baptismum, quod est inconveniens. Et si objicias, quod nec modo potest esse

« certus, quia nescit dispositionem suam propriam; hoc non obstat, quia satis potest nosse certitudinaliter, sicut requiritur certitudo, quod ipsemet intendit recipere per Baptismum: et hoc sufficit ex parte ejus. Si dicas quod non potest esse certus de intentione Ministri: hoc non obstat, quia probabiliter præsumi potest, quod Ministri talem actum exercentes intendant facere illud, ad quod actus secundum se ordinatus est; sed non ita posset haberi certitudo de bonitate vel sanctitate Ministri ». Ita Doctor.

Hanc rationem etiam indicat sanctus Augustinus, lib. 1. *Contra litteras Petiliani*, cap. 3. ubi ait: *Ergo baptizantur a bonis, ut possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo, et de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi? ita secundum eorundem sententiam fit salus illa spiritualis incerta, dum contra Scripturas sanctas, quæ dicunt: Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine (Ps. 117.) et: Maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine (Jerem. 17); spem baptizandorum auferunt a Domino Deo, et in homine ponendam esse persuadent.*

Tertiam rationem repetit Doctor ex parte suscipientis: « Quia omnino injustum est, inquit, alterum pro iniquitate alterius puniri, quando ille alter nullo modo communicat iniquitati alterius, ita ut possit sibi deputari: sed ille baptizandus disponit se ad gratiam, quantum potest: si ergo malitia Ministri impediret, ille puniretur propter culpam alienam nullo modo sibi imputandam ». Quod utique argumentum urget S. Augustinus lib. 2. *Contra litteras Petiliani*, cap. 6. *Si ex innocentia baptizantis, inquit, expectatur ut fiat innocentia baptizati, tanto erit quisque innocentior, quanto innocentiozem, a quo baptizetur, invenerit: et tanto ipse minus erit innocens, quanto et ille, a quo baptizatur.* At hoc dici non potest: *Quia, inquit, si Ministri innocentia subleat, malitiam ejus gestabit: et ita sæpe curretur ad Baptismum, non ut remittantur peccata propria, sed potius ut imponantur aliena.* Unde lib. *De unitate Ecclesiæ*, cap. 18. *Quando Paulus dixit: Gratias Deo, quia neminem vestrum baptizavi nisi Chrispum et Cajum, credendum esset invidisse hominibus meliorem sanctificationem, si quãnto melior erat, tanto melius poterant baptizari, qui ab illo baptizarentur: immo vero ad hoc ipsum vigilavit cautissimi et fidelissimi Dispensatoris intentio, ne quisquam ideo sanctus se baptizatum putaret, qui a Ministro sanctiore baptizaretur.*

Varia proponebantur a Donatistis contra præsentem catholicam veritatem et assertionem, non solum Scripturarum oracula, sed et plurima argumenta, tum ex auctoritate, tum ex ratione petita; quæ omnia ut evidentiori ordine dissolvantur, placet ea sub distinctis titulis proponere et refellere.

PROPONUNTUR ET REFELLUNTUR AUCTORITATES SCRIPTURÆ,
QUAS IN SUI PATROCINIUM DONATISTÆ USURPABANT.

OBJICIEBANT 1. Illud Exod. 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Necnon et illud capitis 30. *Missa aqua, lavabunt in ea Aaron, filii ejus manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri*

sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino. ne forte moriantur; et insuper Levitici 21. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus. — Respondet S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*: primo quidem hæc divina oracula significare non posse Dei Ministros in statu peccati mortalis absque gravissima culpa sacrum ministerium implere: ac subinde rei sacræ administratio multum quidem efficit ministranti, non autem suscipienti. « Dicant ergo « mihi, *inquit S. August.* cui Sancto secundum salutem spiritualem « obtuerit, vel in Sacerdotibus, vel inter populos constituto malus « aut maculatus Sacerdos? Ubi erat Moyses et Aaron, ibi murmu- « ratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper perdere minabatur: « ubi erat Caiphas, et cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon, et cæ- « teri boni: ubi Saul, ibi David: ubi Hieremias, ubi Isaias, ubi Da- « niel, ubi Ezechiel, ibi Sacerdotes, et populi mali: sed sarcinam suam « unusquisque portabat ». — Respondet secundo, retorquendo argu- mentum in Donatistas: « Nullam ne, *inquit,* habuit maculam, et vi- « tium, non dico Optatus, sed ipse Parmenianus, aut ipse Donatus? « Sed tanto isti amore hominum cæci sunt, et corde impudico adul- « teros mentis suæ, uni legitimo viro coequare non dubitat, ut quod « de solo Domino Jesu Christo dici potuit, etiam in Donato perfectum « fuisse contendat.... Sed iterum attendat utrum saltem Optatus ha- « buerit aliquam maculam, aut aliquod vitium. Non usque adeo cæci « sunt, ut istius vitam omnino immaculatam, omnino vitio carentem « fuisse respondeat. Cur ergo accedebat dona offerre Deo, et ab eo « cæteri conjunctis manibus accipiebant quod maculosus et vitiosus « obtulerat? Qui rectissime sapiunt, intelligunt quemlibet hominum, « quamvis jam pro consortio societatis humanæ, non absurde dici possit « justissime vivere; non tamen posse esse sine aliquo vitio, quando « caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus car- « nem », etc.

OBJICIEBANT 2. Illud Psalmi 49. *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras Justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum, etc.* Necnon, et illud Psal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* — Respondet S. Augustinus, ibidem cap. 9. ad primum Ministro quidem nihil prodesse verba quæ ore pronuntiat, si quod dicit ipse, non faciat; verumtamen aliis prodesse, qui etiam per malos audiunt et faciunt. Quod ipse Dominus docet in Evangelio, dicens de Pharisæis: *Super cathedram Moysis sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite, dicunt enim, et non faciunt.* Deinde retorquet argumentum in ipsos Donatistas, demonstratque omnia illius divinæ animadversionis jacula in ipsos Donatistas convertere. « Quomodo enim, « *inquit,* non projiciunt sermones Dei retrorsum, qui pronuntiant pa- « cem, et non amant pacem? Quomodo non odio habent disciplinam, « qui damnare audent verbum inauditum? etc. » — Ad secundum tex- tum respondet cap. 10. per *oleum peccatoris* non intelligi sacramenta- lem Unctionem, ut perperam interpretabantur Donatistæ, sed blanditias adulatoris; quibus repudiatis, Vates regius eligit potius a justo emendari et argui; ait enim: *corripiat me justus in misericordia: oleum autem*

peccatoris non impinguet caput meum. « Unde manifestum est, inquit
 « S. Augustinus, oleo peccatoris blanditias adulatoris esse significatas,
 « quibus repudiatis et detestatis, eligit a justo emendari et argui,
 « quia hoc justus non fallaci lenitate adulationis, sed veraci asperi-
 « tate objurgationis faciens, multo magis misericorditer facit; unde
 « est et illud in Apocalypsi, cap. 3. *Ego quos amo, arguo et castigo.*
 « Et illud apud Salomonem, Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera amici,*
 « *quam voluntaria oscula inimici* ».

OBJICIEBANT 3. Varia oracula petita ex verbis libri Sapientie 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, que sunt sine intellectu.* Et ex illis Eccli. 10. *Muscæ morientes perdunt odorem suum.* Et. cap. 31. *Ab immundo quis mundabitur?* Et ibidem: *Qui baptizatur a mortuo, quid prodest lavatio ejus?* — Respondet S. Augustinus ad primum textum lib. 2. *Contra litteras Petiliani,* cap. 26. sensum hujus oraculi esse, quod qui fictè ministrat, aut suscipit res divinas, non habeat Spiritum sanctum: licet autem divinus ille Spiritus fugiat Ministri fallaciam, si tamen ille exhibeat necessaria ad confectionem Sacramenti, aderit Spiritus sanctus accipienti, veraci et credenti, utrumque simul præstans, nempe fugere ministrantem, et fovere accipientem; unde sequitur, Spiritum sanctum fugere quidem hominis fallaciam, non Sacramenti virtutem. Lib. autem 2. *contra Epist. Parmeniani,* cap. 10. sic retorquet in Donatistas, qui jactitabant neminem ex suis apertum esse peccatorem: « Satis est nobis
 « ad necessarium articulum hujus causæ, quod fictos bonos, idest
 « occultos malos, apud se esse negare non possunt. Per multos enim
 « redarguuntur, qui cum ibi perditis et sceleratis moribus viverent,
 « et per ipsam fictionem diu latuissent, aliquando proditi, expulsi
 « sunt. Dicamus ergo: si nolunt ibi adhuc esse aliquos tales, illi
 « certe qui ejecti sunt, si in eadem fictione laterent, et eos fugeret
 « Spiritus sanctus, de quo scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ
 « effugiet fictum; quomodo baptizare possunt? cur non recensentur
 « saltem qui vivunt, ut accipiant Baptismum, quem utique a fictis,
 « quos deseruit Spiritus sanctus, accipere nequiverunt? Si autem di-
 « cunt, Spiritus quidem sanctus daturis fingentibus deerat justifican-
 « dis, sed accepturis credentibus aderat abluendis per ineffabilem ef-
 « ficaciam potentiæ suæ, utrumque valens facere, illos fugere, istos
 « fovere; illos culpæ, istos mundare: quam pro se quæstionem solvunt,
 « simul cernant solutam esse pro nobis ». — Ad secundum respondet S. Hieronymus per *muscas morientes* intelligi peccatores, qui brevi unius peccati stultitia fœdant et perdunt suavitatem gratiæ et famæ. Vel, ut explicat S. August., lib. 2. *Contra Epist. Parmen.,* cap. 10. intelliguntur ii, qui ad vomitum redeuntes perdunt suavitatem gratiæ sanctificantis, et exterminant bonum odorem Christianorum suis pravis exemplis. suntque in causa cur blasphemetur nomen Dei, et homines a pietatis semita ad peccati declivia rapiantur: « Oleum suavitatis,
 « inquit, scilicet bonum odorem, idest, bonam famam Christianorum,
 « illi exterminant, qui male victuri, et ad mortem suarum iniquita-
 « tum redituri, magna multitudine corrigunt, ut eis per Baptismum
 « peccata donentur, et ad ea denuo revertantur; nam propter nume-
 « rositatem muscis arbitrator esse comparatos: sed hi exterminant oleum

« suavitatis. quoniam non ipsam Dei gratiam, sed hominum mores in-
 « tuentur ». — *Ad tertium oraculum dico, sensum illius esse, quod non*
sit attendendum vanitati somniorum; ait enim ibidem Ecclesiasticus:
Ab immundo quis mundabitur, et a mendace quid verum dicitur? di-
vinatio erroris, et auguria, mendacia, et somnium malefacientium va-
nitatis est. Quibus significat, quod sicut immundus per se alium mun-
 dare nequit, sic veritas non est expectanda a mendace, ariolo, et so-
 mniorum interprete. Jam vero certum est, rem immundam per acci-
 dens, ac per aliud mundari posse, puta si manus immunda, vel scopam,
 vel lixivium rei mundandæ applicet: igitur et Ministri immundi
 mundare possunt suscipientem, non per propriam suam virtutem, sed
 per Sacramenta, quæ applicant. — *Ad quartum respondet S. Augu-*
stinus, loco mox laudato, per illa verba, qui baptizatur a mortuo, quid
proficit lavatio ejus? Paganorum Baptismata esse denotata, « qui homi-
 « nes, et a justitia, et ab ista vita mortuos colunt, in quorum nomine
 « baptizantur. Quamvis enim et ipsi Sacerdotes per impietatem mortui
 « dicantur, non tamen propter eos sic intelligitur, sed propter mortuos
 « deos eorum, in quorum signatione dicitur; Dominus Deus noster,
 « Deus virus. Quapropter etsi apud Christianos sint aliqui Præpositi
 « vel Ministri, qui per impietatem et iniquitatem suam mortui sunt:
 « vivit tamen ille, de quo dictum est in Evangelio: Hic est qui ba-
 « ptizat: quia sicut dicit Apostolus: Christus resurgens a mortuis,
 « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur ». — Eandem so-
 lutionem profert lib. 1. *Contra litteras Petiliani*, cap. 9. unde cap. 15.
 sic retorquet argumentum in Donatistas: « Si Maximianistæ mortui non
 « sunt, cur in plenario suo concilio (*Donatistæ*) dicunt (de Maximianistis)
 « quod *Egyptiorum admodum exemplo pereuntium funeribus plena*
 « *sunt littora, quibus in ipsa morte major est pœna, quod post extortam*
 « *aquis ultricibus animam, nec ipsam inveniunt sepulturam?* Si autem
 « mortui sunt, unde venit Baptisma, quod dederunt? »

OBJICIEBANT 4. Illud Hieremiæ 15. *Facta est plebs mea mihi sicut*
aqua mendax, non habens fidem. Et illud Ezechielis 27. *Aspergam super*
vos aquam mundam. Igitur aqua baptismalis, ut sit efficax ad remis-
 sionem peccati, prius mundari et sanctificari debet a Sacerdote; quo-
 modo autem, inquebant, aquam mundat et sanctificat homicida, quo-
 modo benedicunt oleum tenebræ, nempe peccatores, cum Dominus
 dixerit Num. 19. *Quæcumque tetigerit immundus immunda erunt?* —
Respondet ad primum S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epist. Parme-*
niani, circa medium: « Aqua mendax non habens fidem, potest in-
 « telligi non falsum Baptisma, sed populus mendax et infidelis, non
 « annumeratus veracibus et fidelibus, sed his solis, qui infideles et
 « mendaces sunt.... sic enim dicitur Joan. Apocal. 17. *Aquæ, quas*
 « *vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi, et tribus sunt, et gentes,*
 « *et linguæ* ». — *Ad secundum* respondet lib. 5. *De Baptismo*, cap. 20.
 per aquam illam mundam significari gratiam novi Testamenti, et abun-
 dantiam spiritualem, quæ habetur per Sacramenta: verum hanc be-
 nedictionem non dat ipse Minister ex se, per aquam baptismalem,
 cui confert mundandi virtutem: *Sed Deus, inquit, adest Sacramentis,*
et verbis suis, per quoslibet administrentur, et Sacramenta Dei ubique
recta sunt, et mali homines, quibus nil prosunt, ubique perversi sunt.

OBJICIEBANT 5. Illud Matth. 7. *Numquid de spinis colligunt uvas, aut de arbutibus ficus?* Et ibidem: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere:* igitur peccatores non possunt quidquam ad alterius justificationem conferre. — **Nego consequentiam:** nam, ut præclare respondet S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epistolam Petiliani*, cap. 6. « Omnis homo, etiamsi non sit suis criminibus reus, alterum non facit innocentem, quia non est Deus; « et alioquin si ex innocentia baptizantis expectatur, ut fiat innocentia « baptizati, tanto erit quisque innocentior, quanto innocentiores, a quo « baptizetur, invenerit; et tanto ipse minus erit innocens, quanto et « ille a quo baptizetur. Et si forte contra aliquem tenet odium, qui « baptizat, hoc et illi, qui baptizatur, imputabitur. Ut quid ergo miser « currit ad Baptismum? Ut ei dimittantur peccata sua, an ut imponantur aliena? An sicut navis mercatoris alia suscipiat? Arborem « autem bonam et fructum ejus bonum, et arborem malam et fructum ejus malum, homines solemus intelligere, et opera eorum, « sicut consequenter ostenditur in verbis, quæ tu quoque commemorasti: *bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona, et malus « homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Cum autem Dei verbum prædicat, non de suo, si malus est, prædicat, aut ministrat. etc. ». Unde lib. 1. cap. 8. sic retorquet argumentum in Donatistas, qui contendebant valere quidem Baptismum collatum ab occulto peccatore, non autem a manifesto: « Si arbor bona bonus baptizator est, ut fructus ejus bonus sit ille, quem baptizaverit, quisquis ab homine malo « etiam non manifesto fuerit baptizatus, bonus esse non poterit: de « mala quippe arbore exortus est; aliud est enim arbor bona, aliud « arbor occulta, sed tamen mala. Aut si cum occulta est arbor mala, « quicumque fuerit ab illa baptizatus, non de illa, sed de Christo nascitur, sanctius justificantur, qui baptizantur ab occultis malis, quam « qui baptizantur a manifestis bonis ».

OBJICIEBANT 6. Illud Joan. 9. *Deus peccatores non audit: sed si quis Deum colit, et facit voluntatem ejus, hunc audit.* Similiter et illud Matth. 12. *Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit.* — **Respondet S. Augustinus**, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 8. illa verba: « Deus peccatores non « audit, non esse dicta a Domino, sed ab illo, qui oculos corporis « jam quidem restitutos habebat; sed ei oculi cordis nondum patebant: unde ipsum Dominum adhuc Prophetam putabat; nam eum « postea cognitum Dei Filium adoravit: ipse autem Dominus, cum in « uno templo orarent Pharisæus, et Publicanus, Publicanum confitentem peccata sua, magis justificatum dicit, quam Pharisæum jactantem « merita sua... quamquam enim justificatus destiterit esse peccator, tamen ut justificaretur, peccator orabat, et peccator confitebatur, et « exauditus justificatus est, ut desineret esse peccator: non utique « desineret esse peccator, nisi prius exaudiretur peccator. Quamobrem « non quidem omnem peccatorem exaudiri; sed tamen non omnem « peccatorem non exaudiri, veritas testis est. His adde quod Baptismi efficacitas non pendet a merito baptizantis, sed a meritis illius, « cujus nomine Baptismus confertur ». *Ad secundum* respondet lib. 6. *De Baptismo*, cap. 31. illa Christi Domini verba potius in Donatistas,

quam in Catholicos posse retorqueri: « Spargunt enim, *inquit*, oves
 « Christi, qui eas ad morum suorum labem prava imitatione perdu-
 « cunt: unde constat super filios alienos, quod omnes iniqui appel-
 « lantur, et soboles Antichristi, quod sunt omnes, qui Christo ad-
 « versantur, Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo
 « non posse descendere, si cordis non adsit vera conversio, cum ma-
 « nifestum sit iniquos, quamdiu iniqui sunt. Baptisma quidem posse
 « habere, sed salutem, cujus Sacramentum Baptisma est, habere non
 « posse ».

OBJICEBANT 7. Illud Christi Domini oraculum Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde sic arguebant: qui per Sacramenti collationem debet remittere peccatum, prius ipse debet immunis fieri ab omni peccato, et habere in se Spiritum sanctum, ut ipsum aliis conferat; sed peccator non habet Spiritum sanctum: ergo nec potest eum alteri per Sacramentum conferre, nec ad alterius peccati remissionem quidquam præstare. — Respondet S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 11. « Quod Spiritus Sanctus in Ecclesiæ Præposito vel Ministro sic inest, « ut si fictus non est operetur per eum Spiritus Sanctus, et ad ejus « mercedem in salutem sempiternam, et eorum regenerationem, vel « ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. « Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est; Spiritus enim « sanctus disciplinæ effugiet fictum; deest quidem saluti ejus, ut aufe- « rat se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; ministerium tamen « ejus non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum ».

PROPONUNTUR OBJECTIONES, QUAS VEL EX SS. PATRIBUS,
 VEL EX RATIONE THEOLOGICA DONATISTÆ POTERANT OBJICERE.

OBJICIES 2. Si debita forma, aut materia, aut intentio desit, non potest valide confici Sacramentum: ergo a simili si desit debitus Minister, non poterit etiam perfici: sed ille censetur debitus et legitimus Minister, qui mundus est ab omni peccato, juxta illud Levitici 21. *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus*: igitur, etc. — Distinguo majorem: si in materia, forma, et intentione, aut Ministro desit aliquid essentialiale, concedo: si aliquid dumtaxat accidentale, et requisitum solum ex decentia, et majori congruitate. *negō*. Hoc autem posteriori modo tantum requiritur Ministri probitas, non autem priori; hinc præclare S. Augustinus, Tractat. in Joan. « Omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti « Judicis Ministros: at si noluerint esse justi, qui in cathedra Moysis « sedent, securum me facit Magister meus, de quo Spiritus dixit: hic « est, qui baptizat.... non timeo adulterum, non ebriosum, non homi- « cidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui « baptizat.... dedit Baptismum Judas, et non baptizatum est post Ju- « dam: dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem; quia qui datus « est a Juda, Baptismus Christi erat: qui datus est a Joanne, Joannis « erat: non Judam Joanni, sed Christi Baptismus, etiam per Judæ « manus datum, Baptismo Joannis præcolimus. Quos baptizavit Joan- « nes, Joannes baptizavit: quos baptizavit Judas, Christus baptizavit: « sic ergo quos baptizavit ebriosus, adulter, homicida, si Baptisma

« Christi erat, Christus baptizavit, quod Sacramentum tam sanctum
« est, ut nec homicida ministrante polluatur ».

INSTABIS: Idem S. Augustinus, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 18. *Mali Ministri remissionem peccatorum non dant: ergo nec gratiam.* — *Distinguo antecedens:* mali Ministri non dant remissionem peccatorum impetratorie, eam scilicet, quæ per orationem Sanctorum, et columbæ, idest, Ecclesiæ gemitus ac preces datur, *concedo:* illa enim remissio datur ex opere operantis, quatenus pii Ministri Sacramentorum sanctis operibus aut orationibus obtinent a Deo bonos motus gratiæ excitantis et adjuvantis, quibus ad Deum suscipientes convertantur: non dant remissionem peccatorum, quæ confertur virtute Sacramentorum, et ex opere operato, *nego:* nam, ut ipsemet S. Augustinus docet lib. 2. *Contra epistolam Parmeniani:* « Omnia Sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus: » unde dictum est Matth. 23. *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt nolite facere.*

URGEBIS: Peccatorum remissio fit per gratiæ collationem, quæ per Sacramenta confertur: sed illa remissio et gratia datur solum per sanctos Ministros, non autem per improbos, ut docet ipsemet S. Augustinus pluribi, maxime vero, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 18. affirmans illa Christi Domini verba: *Quorum remisieritis peccata, remittuntur eis.* non esse dicta, *raptoribus, et feneratoribus.* Et lib. 5. cap. 21. *Sacramentum gratiæ dat Deus, etiam per malos; ipsam vero gratiam, non nisi per seipsum, vel Sanctos suos.* — *Distinguo minorem:* remissio peccatorum et gratiæ collatio non fit per improbos et malos, decenter et debite, *concedo:* non fit valide et absolute, *nego:* nam, ut ipsemet S. Augustinus docet lib. 6. *De Baptismo*, cap. 5. *Nihil infert ad Baptismi sanctitatem, quanto quisque pejor id habeat, et quanto pejor id tradat; potest tradere separatus, ut potest habere separatus: sed quam perniciose habere, tam perniciose tradere: ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, etc.*

OBJICIES 3. S. Ambrosium, lib. *De Initiandis*, cap. 4. ubi ait: *Est in aliquibus aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* Et Innocentium I, ut refertur q. 1. *Canone qui perfectionem*, ubi legimus: *Qui perfectionem spiritus, quam acceperant, perdiderunt, non possunt ejus plenitudinem dare, quam per suam perfidiam perdiderunt: qui honorem non habuit, honorem dare non potuit, nec aliquid accepit, quia nihil in dante erat, sed damnationem, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit: igitur pravi Ministri non conferunt gratiam per Sacramenta.* — *Nego consequentiam*, et ad primum dico, S. Ambrosium non loqui de Sacramentis rite per malos Ministros collatis, sed de hæreticis, qui Baptisma non in Ecclesiæ, sed in suæ perversitatis forma celebrabant. Ad secundum, *distinguo:* quando adultus sciens ac volens Ecclesiæ Sacramenta suscipit citra necessitatem a Ministris ab Ecclesia separatis, cum posset a legitimis Ministris ea facile suscipere, potius damnationem suscepit, quam gratiam, propter Ecclesiæ despectum et contemptum, *concedo:* propter nullitatem et irritationem Sacramenti, *nego.*

INSTABIS: Pravi Ministri Sacramenta profanant et inquinant: ergo per illam sanctificare non possunt. — *Distinguo antecedens:* profanant, ratione sui, propter suam perversam voluntatem et malitiam,

qua fit ut rem sacram indigne tractantes, magis inquinentur. dum alios abluunt, *concedo*: ex parte Sacramentorum, et suscipientium, *nego*: nam ex Augustino 3. *De Bapt.*, cap. 10. *Non est aqua profana et adultera, super quam Dei nomen invocatur: ergo nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus Christi verbis evangelicis consecratur, et per adulteros, et in adulteris sanctus est: quia sanctitas ejus tolli et inquinari non potest. et Sacramento suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad perniciem male utentium: nam vera solis aut lucernæ lux, cum per canosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; et Baptismus Christi non potest sceleribus inquinari. Et ex Nicolao I ad Consulta Bulgarorum, cap. 1. Non potest aliquis, quantumcumque pollutus, Sacramenta divina polluere; nec potest solis radius per cloacas transiens inde aliquid contaminationis attrahere. Proinde qualiscumque Sacerdos sanctum conquinare non potest. Hinc ab eo Communio percipienda est, donec Episcoporum judicio reprobetur: quoniam mali bona ministrantes se tantummodo lædunt, ut cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat.*

Conclusio secunda. — MINISTER CONSECRATUS MORTALITER PECCAT QUOTIES SACRAMENTA CONFICIT ET MINISTRAT IN STATU PECCATI MORTALIS.

Probatur prima pars: Toties quis peccat, quoties divinum expressum mandatum transgreditur: at dum Minister consecratus Sacramentum conficit et ministrat in statu mortalis peccati divinum transgreditur mandatum: igitur, etc. *Major constat*: peccatum enim est transgressio et prævaricatio legis. *Minor vero probatur* illis omnibus Scripturæ textibus, quibus præcipit Deus, ut Dei Ministri sancte sancta tractent: maxime vero ex 21. Levitici: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo Sancti erunt.* Et cap. 22. *Dic ad eos (filios Aaron) et ad posteros eorum: Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, et quæ obtulerunt filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et Isaiaë 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Unde Psal. 49. *Deus peccatorem objurgans, dixit: Quare tu enarras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam,* etc. Ex quibus inferri licet, quod si summa puritas et munditia requirebatur in Ministris veteris Legis, et si peccator arguatur ex eo quod Dei Testamentum, Legis præcepta, et laudes audeat eloqui; quanto magis conscientia et animi puritas requiritur in ministri novæ Legis, ut digne accedant ad Sacramenta tractanda, quæ ordinantur ad conferendum non solum sanctitatem legalem, sed internam et supernaturalem?

Probatur eadem veritas auctoritate summorum Pontificum, et SS. Patrum; nam S. Gregorius, lib. 1. *Epistolarum*, Epist. 24. *Necesse est, inquit, ut esse mundas studeat manus, qui diluere sordes curat, ne tactu quæque deterius inquinet... scriptum namque est: Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Item ex Nicolao I in responsis ad consulta Bulgarorum: *Mali, inquit, bona ministrando, se tantummodo lædunt, ut cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, aliis*

vero lumen in tenebris administrat, et unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Urbanus II Epist. ad Lucium: *Prædecessores nostri Nicolaus et Gregorius VII, Missis Sacerdotum, quos ebriosos vel adulteros esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut hujusmodi ad dignæ penitentia lamenta roccarent.* Gregorius IX, cap. ult. *De temporibus ordinationis, remorendos esse ait Sacerdotes singulos, et sub interminatione divini Judicii obtestandos, si non penituerint, ut in susceptis ordinibus non ministrent.* Et cap. ultim. *De cohabitatione Clericorum ac mulierum: Quemlibet Sacerdotem pro mortali peccato, quoad seipsum esse suspensum, non quod speciali Ecclesie censura affectus sit, sed quia ratione sui status est impeditus, ne divina operetur.*

Eamdem veritatem docent SS. Patres, maxime S. Augustinus, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani, cap. 10.* ubi ait: *Sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.*

Suadet etiam ratio: Quia irreverentia Dei, sacrorumque contaminatio est peccatum ex genere suo mortale, utpote cum sit sacrilegium, sed Sacramentorum administratio, dum fit a Ministro qui est in peccato mortali, est quædam Dei irreverentia, et ipsorum Sacramentorum contaminatio; illa namque Minister, quantum est in se, polluit, Deique præsentia se indignum præbet, dum se in ministerium sacrum ingerit in statu odioso Deo: igitur, etc. — *Deinde,* ille in agendo peccat, qui operatur ut non oportet: sed qui Sacramenta ministrat in statu peccati mortalis non operatur ut oportet, quia Minister debet conformari Domino suo, juxta illud Ecclesiast. 10. *Secundum Judicem populi, sic et Minister ejus: Dominus autem sanctissimus est.* Unde S. Augustinus, Tract. 5. in Joan. colligit: *Omnes dicimus, quia justos esse oportet tanti Judicis Ministros,* etc. — *Denique,* Sacramentorum sanctitas, cum sit res sacra, debet etiam sancte tractari, non autem profane, idest cum indignitate peccati mortalis, ut exercetur actio profana: sed dum administrantur Sacramenta in statu peccati mortalis, talis actio ex parte Ministri non discernitur a profana, cum sit Deo odiosa et injuriosa: igitur, etc.

DICES: Peccatores non admittunt novum peccatum, dum exercent opera charitatis: sed Sacramentorum administratio est opus charitatis: igitur peccator, qui illa administrat, non admittit novum peccatum. —

Distinguo majorem: qui exercet opera charitatis ex re non consecrata, et ad quæ non tenetur ex justitia, transeat: qui exercet opera charitatis ex re sacra, ad quæ exercenda tenetur ex motivo justitiæ, non peccat mortaliter, nego. Et similiter distincta *minore,* neganda est *consequentia:* cum enim Sacramenta ex se sacra sint, et ea Minister ex officio teneatur conferre, in ipso prærequiritur vitæ probitas, ut sancta sancte pertractet.

INSTABIS: Si Sacramenta in statu peccati mortalis ministrare mortale sit, maxime quia omnis rei sacra administratio in statu peccati mortalis novum ingerit mortale peccatum: sed falsum *consequens:* ergo, etc. *Major constat* ex mox dictis. *Minor vero probatur:* primo, quia si Episcopus in mortali conferat primam Tonsuram, conficiat chrisma, benedicat oleum, aut Ecclesiam consecret, rem sacram conficit; nec tamen mortaliter peccat. *Similiter* Diaconus, aut Subdiaconus,

in mortali peccato ministrantes rem sacram perficiunt, nec tamen admittunt novum mortale peccatum. *Denique*, Concionatores Verbum Dei ex officio nuntiantes in statu peccati mortalis rem sacram administrant, nec tamen videntur peccare mortaliter: igitur nec qui Sacramenta administrant. — *Nego minorem*, et ad *primam* illius *probationem* dico, equidem non improbable videri Episcopum præfata conficientem non peccare mortaliter, quia ista sunt tantum sacramentalia quædam, quæ per se proxime non sunt instituta ad conferendam gratiam, neque in illis Minister se habet ut legatum Dei sanctificantis animam, ac proinde hæc peragendo in statu peccati mortalis, non videntur admittere novum peccatum: ad id enim requiritur non solum quod sit res sacra, sed quod illa actio sit per se consecrata et ordinata ad conferendam proxime sanctitatem animæ, et insuper ad eam actionem sit deputatus ex officio: nollem tamen a peccato veniali immunem censere, qui hæc in mortali statu perageret: quia Ministri sacrorum tenentur habere sanctitatem præ cæteris hominibus; debent enim conformari Domino, cujus sunt Legati. — Quantum ad Diaconum et Subdiaconum in peccati mortalis statu sibi proprium ministerium peragentes, non videntur immunes a novo peccato: siquidem S. Paulus 1. ad Timoth. 3. monet, *Diaconos similiter esse pudicos. non bilingues. non multo vino deditos. non turpe lucrum sectantes. habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Hinc Alexander II. ut legimus dist. 32. cap. *Præter*. statuit: « Quicumque Sacerdos, Diaconus, Sub-
« diaconus, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri
« S. Papæ Leonis, ac Nicolai de castitate Clericorum, concubinam,
« palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis
« Dei et auctoritate beatorum Apostolorum præcipimus, et omnino con-
« tradicimus. ut Missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam
« ad Missam legat, neque in Presbyterio ad divina officia cum his,
« qui beatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat. neque partem
« ab Ecclesia suscipiat ». Quamquam autem solum præscribat contra Diaconum et Subdiaconum concubinarios, idem tamen dicendum videtur de ipsis quovis mortali peccato reis, propterea quod rem sacram irreverenter et indigne peragunt. Unde cap. *Quæsitum de temporibus ordinationum* Gregorius nonus ait, *quod non modo Sacerdotes. sed alii Clerici adulteri. homicidæ. perjuri. falsi testes sint monendi. ac sub interminatione divini judicii obtestandi. ut in testimonium. suce damnationis in susceptis Ordinibus non ministrent. si non penituerint.* Censeo tamen, minorum Ordinum actus exercere in peccato mortali non esse mortale peccatum: tum quia materia levis est: tum quia actus illi non nisi remote ad sacrificium et Sacramentum ordinantur, neque omnino certum est illos minores Ordines habere rationem perfectam et completam Sacramenti. — Quantum ad *Concionatores*. verisimile apparet suum ministerium in mortali peccato implentes, peccare mortaliter: quia rem justam et sanctam exequantur injuste: quippe cum exorbitent a sanctitate, tum Evangelii, tum Christi Domini, cujus vicem et ministerium obeunt. Unde etiam acriter eorum audaciam sic redarguit Deus his verbis Psalmi: *Quare tu enarras justitias meas?* etc.

Conclusio tertia. — LICET PETERE ET ACCIPERE SACRAMENTA BAPTISMI, ET PŒNITENTIÆ A QUOCUMQUE MINISTRO IN CASU NECESSITATIS: LICET ETIAM ACCIPERE A QUOCUMQUE MALO MINISTRO, QUANDO TOLERATUR IN ECCLESIA, SI ALIQUA NECESSITAS URGET, SECUS AUTEM SI PRÆCISUS SIT, NEC ULLA ADSIT URGENS NECESSITAS. HÆC Conclusio tribus partibus constat, quarum

Prima traditur in Concilio Trident. Sess. 14, cap. 7. ubi legimus: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt in extremo vitæ discrimine.* Idem statuitur in decreto Eugenii ad calcem Concilii Florentini, ubi decernitur, quod in casu necessitatis etiam Paganus, et Hæreticus baptizare possint, dummodo formam servant Ecclesiæ, et facere intendant quod facit Ecclesia. Idem etiam docet S. Augustinus, lib. 1. *De Baptismo*, cap. 2. ubi ait: *Si quidem forte coegerit extrema necessitas, ubi catholicum, per quem accipiat non invenerit, et in animo pacem Catholicam custodiat, ut per aliquem extra unitatem Catholicam positum, acceperit, si statim eum de hac vita migrare contigerit, non eum nisi Catholicum reputamus.*

Suffragatur etiam ratio: nam jurisdictionis revocatio et sublatio, quantum ad confectionem et ministrationem Sacramentorum, non fit in pœnam fidelium Sacramenta suscipientium, sed in pœnam ministrantium improborum. *Deinde*, inquit Doctor dist. 5. q. 2. n. 3. *Præceptum superioris plus obligat, quam inferioris: Deus autem præcipit Baptismum suscipi, nec determinavit a quibus tempore necessitatis: Ecclesia autem prohibet communicare cum illo, quem præscindit: ergo magis obediendum est præcepto divino, quam Ecclesiæ in casu illo.* Hoc est, quando obligatio juris Ecclesiastici concurret cum obligatione juris divini, jus Ecclesiasticum divino cedit, et minus majori: sed obligatio suscipiendi Sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ est juris divini; prohibitio autem recipiendi Sacramenta a Ministro ab Ecclesia separato est juris solum Ecclesiastici: igitur, etc. *Denique*, inquit ibidem Doctor, « plus tenetur excommunicatus vitare alios, quam alii ejus consortium debeant fugere, quia vitare excommunicatum est in pœnam illius propter suam contumaciam, magisque ipsum obligat vitare cæteros, quam alios obliget ad ipsum vitandum: Sed, inquit Doctor, « præcisus, vel excommunicatus in casu illo, non tenetur vitare alium: « immo tenetur non vitare: si enim talis præcisus sciret parvulum « aliquem non baptizatum statim moriturum, teneretur necessario eum « baptizare, et ita eum non vitare in actu baptizandi. Hoc probo, quia « si inveniret eum expositum periculo vitæ corporalis propter famem, « teneretur eum necessario juvare ad salvandam vitam corporalem: « magis autem tenetur diligere vitam ejus spiritualem, quam corporalem: ergo quando parvulus expositus est periculo vitæ spiritualis, « tenetur ille ipsi conferre remedium necessarium ad vitam spiritua- « lem: ergo multo magis alius non tenetur vitare eundem, commu- « nicando cum eo in tali actu ».

Secunda pars probatur, nempe quod Sacramenta petere liceat a Ministro malo ab Ecclesia non præciso, sed tolerato, cui ex officio incumbit ministrare Sacramentum. *Probatur*, inquam *primo*, ex decretis

summerum Pontificum, maxime Nicolai primi, ut refertur qu. 8. cap. *Sciscitantibus*. ubi respondens ad consulta Bulgarorum, scribit: *Sciscitantibus vobis. si a Sacerdote. qui sive comprehensus in adulterio, sive de hoc fama sola respersus est. debeatis communionem suscipere. necne? Respondemus: Ab eo donec Episcoporum judicio reprobetur. communicatio percipienda est.* Similiter Lucius tertius cap. *Vestra de cohabitatione Clericorum, et mulierum*. ubi legimus: *Alicubi dicitur: « Nullus audiat Missam Sacerdotis. quem scit indubitanter concubinam « habere. Alibi legitur: Non potest quantumcumque pollutus divina pol- « luere Sacramenta. Sumuntur ergo intrepide ab omni Sacerdotē Christi « mysteria. Cæterum aliud discrimen notorium. aliud occultum. Noto- « rium definitur, de quo Presbyter canonice condemnatur; occultum, « quod ab Ecclesia toleratur: aliud est quando crimen notorium non « diffitetur Presbyter, vel de ipso canonice condemnatur. Item aliud « est a talium officiis abstinere, ut peccandi licentia cæteris auferatur, « et hujusmodi ad penitentiae Sacramentum trahantur. Aliud, si tam- « quam in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur. Sine du- « bitatione igitur teneatis, quod a Clericis et Presbyteris tamquam « fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis essentiam licite « divina mysteria audiantur, et alia recipiantur Ecclesiastica Sacra- « menta ». Et ibidem Gregorius Nonus, cap. *Quæsitum est*. ait: « Quæ- « situm est de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium « priusquam penituerint audiendum. Verum, etsi quemlibet pro mor- « tali peccato, quoad seipsum constet esse suspensum, non debet tamen « in officiis evitari, quia quantum ad alios, jam in casu proposito su- « spensus non est, nisi peccatum hujusmodi sit notorium per senten- « tiam, seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ « tergiversatione aliqua celari non possit ».*

Hanc autem veritatem luculenter explicat Doctor dist. 5. q. 2. n. 5. ubi ait: « Quantum autem ad secundum membrum distinctionis, « scilicet de malo non præciso ab Ecclesia, si est occultus malus, ita « quod vita ejus non sit scandalosa populo, satis conceditur quod « possit populus aliquis a tali, imo debeat recipere Baptismum, si alias « debeat, quia propter peccatum, quod non est notorium, non debet « aliquis in actibus notoriis vitare proximum. Si autem est publice « vel notorie malus, utpote publice fornicarius, aut hujusmodi, aut « incumbit sibi ex officio dispensare Sacramentum Baptismi, utpote « quia est Sacerdos, vel Curatus Parochialis: aut si non incumbit, « tamen congruit ratione officii, utpote quia est Sacerdos aliquis datus, « vel vocatus in adjutorium Curati. Si primo modo, non peccat qui « recipit Baptismum pro se, vel pro parvulo suo, quia non peccat « qui a malo debitum petit: ille autem Curatus debitor est Parochiæ « suæ in Sacramentis istis ministrandis. Si secundo modo; si possit « habere alium, cui incumbit ex officio baptizare, aut æque malum, « aut meliorem. Si meliorem, peccat qui ab illo recipit: quia non in- « cumbit sibi Sacramenta ministrare; et si æque malum, debet reci- « pere a suo. Sed si nullus alius possit haberi Curatus, vel Sacerdos, « nisi æque malus isti, possit tamen haberi bonus Laicus: dubium « est quis cui sit præferendus in isto actu, an bonus Laicus Sacerdoti « publice malo, an Sacerdos malus bono Laico. Et breviter, quia offi-

« eium ministrandi Sacramenta in Ecclesia competit Sacerdotibus,
 « videtur dicendum, quod quoad istum actum, magis est eligendus
 « malus Sacerdos ».

DICES 1: Ex Apostolo ad Roman. 1. *Digni sunt morte, non solum qui ea (peccata) faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus:* at qui Sacramenta petit, aut recipit a malo Ministro, ei communicat in peccato, nempe in administratione sacrilega Sacramenti: igitur, etc. — **Nego** minorem, etenim qui Sacramenta recipit a Ministro malo per Ecclesiam tolerato, non communicat illius improbi peccato, sed potius sanctitati Ecclesiæ, quæ Ministrum illum exhibet, aut tolerat ad res divinas peragendas, et inserviendum fidelium saluti.

INSTABIS: Qui inducit alium in peccatum, ipse communicat ejus peccato: sed qui Sacramentum petit a Ministro, quem novit improbum, inducit eum ad peccandum, nempe ad committendum sacrilegium, igitur, etc. — **Negat** minorem **Doctor**, loco supra laudato n. 9. ubi ait: « Dico quod ille, qui petit Baptismum a malo Sacerdote, non coo-
 « peratur illi directe ad peccatum mortale; petit enim ab eo actum
 « debitum, et in hoc non delinquit, quia nullius malitia excusat eum
 « a solvendo debitum, quo tenetur alteri. Ille etiam actus petitus posset
 « solvi sine peccato, si Baptizaturus converteretur. Unde quantum est
 « ex actu petentis, petens magis necessitat Sacerdotem ad pœnitendum,
 « quam ad actum peccandi. Si autem ille non pœniteat, nihil impu-
 « tandum est ei, qui petit illum actum; quia non in quantum est pec-
 « catum petit, sed in quantum debitum est. »

PETES: Qualiter se gerere debeat quis erga Ministrum Simonicum, qui nollet Sacramentum conferre absque accepto pretio? — **Respondet** **Doctor** n. 7. « Dico, quod si ille nullo modo vellet baptizare, nisi pro
 « actu baptizandi recipiat pretium, et sic sit perfecte simonicus, quia
 « vendens Sacramentum; nullo modo recipiendus est Baptismus ab
 « eo, neque pro adulto, quia peccaret mortaliter, et non obligatur ad
 « recipiendum Sacramentum, quando non potest recipere sine peccato
 « mortali; neque pro parvulo suo: esto etiam quod nullus esset, qui
 « vellet baptizare in Provincia.

« ET SI ARGUAS, tunc exponit parvulum suum periculo damnationis. — **Respondeo**, baptizet ipse si possit, utpote si non est mancus
 « vel mutus, vel non possit invenire aliquem in baptizando parvulum
 « suum, nisi emendo Baptismum, debet dimittere parvulum suum
 « mori sine Baptismo: non sunt facienda mala, ut inde veniant bona,
 « ad Rom. cap. 3. et quilibet magis debet diligere seipsum, quam pro-
 « ximum, et per consequens magis in seipso vitare peccatum mortale,
 « quam in alio damnationem. Tamen ille casus de difficili, vel num-
 « quam contingeret, quin sine simonia committenda ex parte bap-
 « tizandi, vel offerentis parvulum baptizandum, possit Baptismus ha-
 « beri. Si enim ille Sacerdos vellet vendere aquam suam, et nullo modo
 « aliter concederet eam, potest ipsa emi, esto etiam quod sit conse-
 « crata; sed nullo modo habendo oculus ad consecrationem, quia
 « tantum valeret, quantum non consecrata. Sic enim licet vendere ca-
 « licem consecratum, nullo modo oculus habendo ad emendum
 « vel vendendum consecrationem. Si autem Sacerdos nitatur vendere

« actum baptismationis. potest ille, qui offert parvulum, emere, non
 « intendens actum emere, in quantum est sacramentale. sed laborem
 « Sacerdotis illo actu. Sicut conducuntur hodie Sacerdotes ad cele-
 « brandum Missas, non ut ipsi vendant, et alii emant actum celebra-
 « tionis, in quantum est Sacramentale, quod absit: sed ipsi vendunt
 « laborem, et alii emunt eum: quia oportet unumquemque de suo
 « labore taliter qualiter victitare, et vitam acquirere ».

Probatur denique tertia pars, nempe quod non liceat petere Sacra-
 menta a Ministro ab Ecclesia præciso: *primo* quidem, ex Concilio Con-
 stantiensi, Basileensi, et Lateranensi supra nominatis. in quibus de-
 cernitur pœna adversus eos, qui Ordinem, aut alia Sacramenta a
 prohibitis Ministris susceperunt. *Secundo*, ex summis Pontificibus,
 maxime Innocentio I Epist. 22. c. 3. ubi scribit: *Dicimus ab hære-*
ticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput.
 Sancto Gregorio, lib. 3. *Dialog.*, cap. 31. ubi refert et laudat generosam
 animi constantiam S. Hermenegildi, qui potius voluit cruentam patris
 imperio illatam necem subire, quam Eucharistiam ab Episcopis Arianis
 porrectam recipere. — Similiter Nicolaus I ad consulta Bulgarorum
 cap. 71. respondet: « Qualiscumque Sacerdos sit, quæ sancta sunt
 « coinquinare non potest, idcirco ab eo usquequo iudicio Episcoporum
 « reprobetur, percipienda est Communio »: ac subinde censet, non esse
 percipiendam ab his, qui Episcopali sententia, et iudicio ab Ecclesia
 præscinduntur. — Idem statuit Gregorius VII lib. 2. *Epistolarum.*
 Epist. 45. quæ est ad Rodolphum, et Bertoldum: *Vos, inquit, officium*
eorum, quos aut simoniace promotos, et ordinatos, aut in crimine for-
nicationis jacentes cognoveritis, nullatenus percipiatis. Tandem hanc
 veritatem luculenter tradit Urbanus II Epistola ad Lucium, ubi de
 Sacramentis a notoriis peccatoribus ministrandis, hæc habet: *Proprias*
quidem habent virtutes et dignitates: sed agentibus, vel suscipientibus
hæc eadem Sacramenta contra præfatorum Pontificum instituta, nisi
forte sola morte interveniente, ne sine Baptismate, vel Communione
quilibet humanis rebus excedat: his, inquam, agentibus, et suscipien-
tibus in tantum obsunt, ut vere idololatræ sint, cum talibus et ordina-
tionum, et Sacramentorum confectio, et aliter, quam permissum est,
scienter susceptio, vehementer a sanctis Canonibus prohibeantur.

Idem docent Sancti Patres, maxime Sanctus Ambrosius, lib. *De*
Initiandis, cap. 4. ubi ait: *Non sanat perfidorum Baptismus, non mun-*
dat, sed polluit. Et Sanct. Fulgentius. lib. *De Fide ad Petrum*, cap. 36.
Firmissime tene, et nullatenus dubites, Sacramentum Baptismatis apud
hæreticos esse posse: sed extra Ecclesiam Catholicam prodesse non posse.
 Et lib. 1. *De Baptismo*, cap. 2. et alibi: *Separati, inquit, formam ha-*
bere possunt, virtus in eis inesse non potest, quemadmodum sensus non
sequitur membrum, quando amputatur a corpore.

Ex his omnibus sequuntur quatuor regulæ ex debito justitiæ, re-
 ligionis et charitatis servandæ, quas tradit, et sic expendit noster
 Hiquæus in Commentario ad laudatam quæstionem Doctoris num. 13.
Prima est: in casu extremæ necessitatis, sive propriæ, sive infantis.
 Ministrum etiam præcisum, posse ministrare Baptismum, et hoc posse
 ab eo peti, et accipi: quia ille ex debito charitatis, ex debito etiam
 religionis ratione Ordinis ad hoc obligatur extreme indigenti, et sic

ex præcepto tam charitatis propriæ, quam pueri, et ex debito Religionis tenetur petens amplecti Sacramentum a quocumque datum, et hæc regula supponit præcisam necessitatem extremam, vel realem, vel moralem. — **Secunda regula est:** Sacerdotem toleratum, qui sit Parochus, ultra debitum charitatis et religionis habere etiam debitum justitiæ ministrandi Sacramentum suis subditis extra necessitatem, quando alius non suppetit; et Parochianum licite etiam ab eo petere Sacramentum, quando sine gravi damno non differretur. Grave damnum intelligo omissionem, qua lex et consuetudo ecclesiastica non impletur, vel quando pateretur ex omissione ejus detrimentum notabile fructus spiritualis, aut periculum peccati. Hujus ratio habetur ex præmissis, et regula hæc perinde currit in petitione Sacramenti ab alio, qui potest illud ex concessione Parochi, aut alterius dare, non perinde tamen currit obligatio in Ministro, nisi sit ordinarius, aut certe ut Vicarius, et coadjutor a superiore constitutus, in quo casu habet debitum ministrandi non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, modo assumat provinciam illam, et curam supplendi defectum Parochi. — **Tertia regula est:** quando quis potest sine damno suo providere sibi aliter, sine damno spirituali sui Parochi, tenetur ex charitatis præcepto affirmativo, non petere Sacramentum a Parocho improbo, quem novit non ministraturum nisi sacrilege, quia ex frequentatione ministerii confirmatur in malo, et datus in reprobum sensum, contemnit conversionem, quam forte subtrahentibus se aliis ab ejus communione non differret; quia plerumque festinantes in malum ex ipsa confusione subsistunt, et convertuntur ad bonum. Et forte Parochianus etiam ad idem tenetur præcepto religionis, et honoris divini, ac reverentiæ Sacramenti. Quid autem horum concurrat in particulari hic et nunc, perpendendum est ex circumstantiis casus applicando has generales regulas, ex quibus singuli casus in particulari resolvi possunt, in quibus communicare potest Ministro notorie malo, sive præciso, sive non præciso. — **Quarta regula:** quoad Ministrum, qui occulte est malus, et publice et privatim debet ab eo petere Sacramentum, si alius non occurrat, aut expectari non potest commode, si sic servetur regula charitatis, quæ præmissa est de scandalo Phariseorum, procurando ejus salutem, et reverentiam debitam Sacramento, prout fieri commode potest. Ita Hiquæus.

QUÆSTIO TERTIA.

UTRUM SACRAMENTA VALIDE CONFERANTUR AB HÆRETICIS.

NOTANDUM 1. Agripinum Carthaginensem Episcopum, omnium primum censuisse ac definisse, rebaptizandos esse eos, qui ab hæreticis Baptisma susceperant, ut jam præmonuimus in hujus Articuli præludio. Quamquam enim, ut ibi diximus, Tertullianus idem dogma professus fuerit lib. *De Baptismo*, cap. 17. ubi scribit: *Hæretici nullum habent consortium nostre disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa adeptio communicationis. Non debeo in illis cognoscere, quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus est idem: ideoque nec Baptismus unus, quia non idem: quem*

cum rite non habeant, sine dubio non habent, etc.: Attamen non est omnino probabile Tertullianum antiquiorem fuisse Agripino. quia quo tempore vixerit Agripinus. et quamdiu sederit, omnino incertum est. Unde. non constat, an Agripinus a Tertulliano hunc de rebaptizandis hæreticis errorem hauserit; nam ipse Tertullianus paulo ante dixerat. *Circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet? Ad nos enim editum est.* Quibus verbis significat jam ab aliquo Ecclesiæ Præsule definitum fuisse Baptisma ab hæreticis collatum prorsus esse invalidum. At certe ab alio definiri non potuit, quam ab Agripino: si enim alius antiquior dogma istud tradidisset, haud dubie laudaretur a S. Cypriano. Insuper si Agripinus id hausisset a Tertulliano, non tacuissent Augustinus, et alii defensores Baptismi collati ab hæreticis. Huic enim defensionem non modicum favisset, ostendere Cypriani et Agripini sententiam depromptam fuisse a Tertulliano plurimis erroribus laborante. Sed quidquid sit, certum est Agripinum primum omnium de iterando ab hæreticis collato Baptismate sententiam tulisse. Hic enim quodam pietatis prætextu, ratus quod quæcumque hæreticorum essent deberet Ecclesia Catholica abominari, collatum ab hæreticis Baptisma convellere nisus est. Ne autem solus id sentire videretur collegit Africæ atque Numidiæ Episcopus anno 217. et celebrato Concilio, ac omnium rogata sententia, de iterando hæreticorum Baptismate canonem edidit; cujus constitutionis meminit S. Cyprianus Epistola ad quintum his verbis: *Quandoquidem et Agripinus bonæ memoriæ vir cum cæteris Coepiscopis suis qui in illo tempore in Provincia Africæ et Numidiæ Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, et librato consilii communis examine firmavit: quorum sententiam. et religiosam. et legitimam. et salutarem fidei. et Ecclesiæ Catholicæ congruentem nos etiam secuti sumus.*

Cæterum idne recte fecerit Agripinus, hæc Augustinus tractans lib. *De Baptism.*, cap. 7. aperit his verbis: *Hanc consuetudinem suscipiendi ab hæreticis baptizatos. credo ab Apostolica traditione venientem, sicut multa, que non inveniuntur in litteris eorum; neque in Conciliis posteriorum: et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab Apostolis credita et commendata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem dicit S. Cyprianus per Agripinum prædecessorem suum quasi cæpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarium Concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agripinum corrumpi cæpisse, non corrigi.*

Similiter Vincentius Lirinensis D. Augustini contemporaneus in Commonitorio cap. 6. eandem tractans contentionem, hæc habet: *Quondam venerabilis memoriæ Agripinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum Canonem. contra universalis Ecclesiæ regulam. contra sensum omnium Consacerdotum. contra morem ac instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. quæ præsumptio tantum mali inrexit, ut non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris.*

NOTANDUM 2. Quod defuncto Donato Episcopo Carthaginensi anno 250. et Fabiani Papæ 12. Carthaginensi Ecclesiæ præfectus fuit Sanctus Cyprianus; his enim scribens ad Cornelium Papam, Epist. 55.

anno secundo, ex quo ille sublato per martyrium Fabiano factus fuerat Romanus Pontifex, quartum annum tunc elapsum sedis suae testatur: cum autem Cornelius Pontifex post biennium suae sessionis martyrio fuisset coronatus sub Imperatoribus Balbo et Volusiano, ei suffectus fuit Lucius, qui similiter biennio cum sedisset, dum ad martyrium duceretur omnem Ecclesiae potestatem dedit Archidiacono suo Stephano, qui ei in Pontificia sede successit. Eo autem sedente anno sui Pontificatus II reddita Ecclesiae pace per extinctos prænominatos errores, occasione Novatianorum et Kataphrygarum magna inter Catholicos Præsules orta est contentio.

Cum enim Novatiani, et ante eos Kataphrygæ, quos ab Ecclesia Catholica divulsissent, ut immundos denuo baptizare essent soliti, id provocavit ad æmulationem quosdam Episcopos in Africa potissimum consistentes; eorumque Primatem Sanctum Cyprianum, ut ipsi quos ex Novatianis ad Ecclesiam susciperent, tamquam hæretico Baptismate potius maculatos quam mundatos denuo baptizarent; ne secus facientes, apud hæreticos vera Sacramenta, proindeque veram Ecclesiam esse probare viderentur, neve liberam ansam præberent hæreticis Catholicis insultandi, si Catholici hæreticorum Sacramenta probarent: a Catholicis vero collata ut immunditias hæretici aspernarentur. Iis accedebat, stimulumque adaugebat, quod omnes propemodum Scripturæ divinæ tum ex veteri, tum ex novo Testamento petite in hanc ipsam sententiam conspirare viderentur, dum quæ ab impiis facta essent, quo sacratiora, eo execrabiliora Deus habeat ac improbet.

At non primum in Africa ejusmodi controversia cœpit agitari, sed primi tempestatis hujus fluctus, moti sunt in Oriente, ea nimirum occasione, quod ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliisque vicinis regionibus Iconium convenientes Episcopi, statuerant nihil eorum, quæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesia Catholica esse recipiendum, non ordinationes, non Baptismum, nec aliud quodvis sacrum. Meminit hujus Synodi Firmilianus, Epist. ad Sanctum Cyprianum, his verbis prius recitatis subjunctis: *Quoniam quidam de eorum Baptismo dubitabant, qui etsi novos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem, et Filium nobiscum nosse videntur, plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractarimus, et confirmavimus repudiandum esse omne omnino Baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.* Quibus verbis indicat hanc collectam Synodum fuisse adversus Kataphrygas, qui Patrem quidem et Filium, ut Catholici affirmabant; Spiritum vero sanctum non alii præter Montanum suum Auctorem affirmabant.

Verum arbitror dicendum, non solum a Kataphrygis collatum Baptisma repudiasset, sed etiam ab omnibus prorsus hæreticis: nullum siquidem Kataphrygarum Baptisma ac irritum fuisse aperte colligitur ex Concilio Nicæno, Canone 19. Si autem tantum invalidum ab hæreticis collatum Baptisma propter formæ defectum repudiassent, in eaque sententia repudiandum esse firmiter stetissent, quid causæ fuisset Stephano, ut eos excommunicaret, uti fecit?

Nam Dionysius Alexandrinus Episcopus, in Epistola sua, quæ legitur apud Eusebium, lib. 7. cap. 4. Stephanum Pontificem excommunicasse hos omnes Episcopos in sententia persistentes affirmat his verbis: *Stephanus antea scripserat Epistolam de Heleno, d. Firmiliano.*

de omnibus Episcopis, qui erant ex Cilicia et Cappadocia et Galatia et ex omnibus Gentibus quæ erant finitimæ, quod neque cum iisdem communicare vellet, nam illi (inquit) hæreticos rebaptizant.

Idque Stephanus ipse facto comprobavit. Nam cum Orientales illi Patres, qui hæc statuente Apostolicæ sedis communione privati erant, Legatos Episcopos ad ipsum Stephanum Romam misissent reddituros rationem de iis, quæ in Synodo gesta erant, eos Legatos nec excepit, nec ab aliquo excipi permisit Stephanus, ut queritur Firmilianus, qui cum Apostolica communione fuisset interceptus, plura Episcopo, et viro Christiano indigna obloquitur in Stephanum Papam in laudata sua Epistola, ubi hæc per ironiam habet: *Quid eo humilium aut lenius, quam cum tot Episcopis per mundum dissensisse: pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum, qui in meridie estis, a quibus Legatos Episcopos patienter satis, et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem saltem colloqui communis admitteret: adhuc insuper dilectionis, et charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed tectum et hospitium negaretur.*

Hanc autem Iconii prius celebratam fuisse Synodum, quam quidquam hac de controversia in Africa definiretur, aperte testatur Dionysius laudatus apud Euseb., lib. 7. cap. 6. in fine. *Hoc tamen, inquit, didici, quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis sanxerunt: verum etiam longo tempore ante Episcoporum memoria, qui antecessi sunt in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, et Synodis fratrum, tum Iconii, tum aliis multis in locis convocatis, istud decretum fuit: quorum iudicia et sententias condemnare non audeo.*

Unde infero latam illam excommunicationis sententiam non in Africanos, sed in Orientales fuisse; spretosque legatos eos esse non qui ex Africa post Synodum Carthaginensem, sed qui ex Oriente post absolutas illas Synodos Romam adhibant, compertum est.

Cæterum dum Cyprianus Carthagine Synodum ex Coepiscopis coegisset anno 258. et Stephani 2. rogatus fuit a quibusdam Numidiæ Episcopis, ut patet ex Epistola, quam scripsit ad Januarium cæterosque Numidiæ Episcopos, quæ apud eum est 70. ut aperiret, quid cum suis sentiret de Baptismo ab hæreticis collato: ad quos ita scribit: *Cum simul in Concilio essemus, fratres Charissimi, legimus litteras vestras, quas ad nos fecistis, de iis, qui apud hæreticos, et schismaticos baptizati videntur, an ab Ecclesia Catholica, quæ una est, baptizari debeant. De qua re quamquam illic ipsi veritatem, et firmitatem Catholicæ regulæ teneatis, tamen quoniam consulendos nos pro communi dilectione existimatis: sententiam nostram non novam promimus, sed jam pridem ab Antecessoribus nostris statutam, a nobis observatam vobiscum pari consensione conjungimus, censes scilicet, et pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Ecclesiam posse, cum sit Baptisma unum in sancta Ecclesia constitutum, etc.*

Cum autem animadverteret plures Episcopos quas acceperant ea de re majorum traditiones illibatas velle servare, eos errore seduci arbitratus Cyprianus, majori remedio conatus morbo (quod putabat

occurrere cupiens, novam, sed celebriorem Carthagini Synodum 71. Episcoporum coegit; cuius meminit ipse scribens ad Jubajanum, Epist. 78. his verbis: *Quid in Concilio cum plures adessemus, decreverimus, quid item postea Quinto collegæ nostro de eadem re querenti rescripserimus, et nunc quoque cum in unum convenissemus, Provinciæ Africæ, quam Numidiæ Episcopi numero septuaginta unus, hoc item denuo sententia nostra firmarimus.* Ut autem quod in hoc pleniori Concilio omnium calculo fuerat stabilitum, hujusce controversiæ adhuc inscium Stephanum summum Pontificem certum faceret, omnia ante edita decreta, rescriptasque hac de re ad Numidiæ Episcopos, et ad Quintum Epistolæ, ad eum per emissos Romam legatos direxit; ut constat ex Epistola ad eundem Stephanum, quæ est n. 72.

Quid vero responderit et rescripserit Stephanus, licet ipsius litteræ non extent, attamen facile colligi potest ex iis, quæ ipse Cyprianus habet Epist. 74. ad Pompejum Episc. Sabratensem in Africa, ubi ait: *Quia desiderasti in notitiam tuam perferri, quæ mihi ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit, nisi tibi rescripti ejus exemplum; quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos. et contra Ecclesiam Dei asserere conatur; nam inter cætera vel superba. vel ad rem non pertinentia. vel sibi ipsi contraria, quæ imperite, atque improvide scripsit, illud etiam adjunxit: Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, etc.* Quam quidem rescriptionem pluribus objurgat et lacescit S. Cyprianus in ea Epistola. quam paulo ardentius, et minus reverenter in Stephanum scriptam cum Augustinus legisset, nec de singulis in Stephanum prolatis conviciis Cyprianum excusare posset, maluit eam obvolvare silentio, quam ipsam nondum obductis cicatricibus refricare. Unde lib. 5. *De Baptism.* cap. 25. meminit dumtaxat prioris Epist. S. Cypriani ad Stephanum, in qua nulla erant convitia.

Cum igitur Cyprianus obnitentem sibi Stephanum cerneret, haud cunctatus convocat ex Africa, Numidia, Mauritania, Episcopos 87. cum eisque Synodum tertiam Carthagini cogit; ubi exceptis omnium calculis statuitur ac confirmatur prior sententia de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Hujus autem Concilii acta integra habes apud eundem S. Cyprianum, et S. Aug., lib. 6. et 7. *De Baptism.* contra Donatistas, ubi singulas sententias apprime retellit.

Hoc autem Concilium celebratum fuisse post duo prædicta, exceptamque Stephani Epistolam, exinde patet 1. quod Cypriani ad Jubajanum, et Episcopos Numidiæ, earumque ad Cyprianum Epistolæ initio Concilii legantur: hæ autem post duo priora fuerant editæ. Tum quia commotus in Stephanum ejus animus satis apparet initio ejus Concilii, ubi Stephanum, tacito ejus nomine, arguit, quod se Episcopum Episcoporum nominaret. *Superest, inquit, ut de hæc re singuli quid sentiamus aperiamus, neminem judicantes. aut a jure communionis aliquem si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum, Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad observandi necessitatem collegas suos adigit.*

Quibus alludi videtur ad id, quod Stephanus more *Majorum* in suo decreto dixerat se *Episcopum Episcoporum.* et quod aliter quam quod

definierat sentientibus excommunicationis pœnam erat acriter comminatus.

NOTANDUM 3. Post 45. annos a consummato Martyrio sancti Cypriani, qui passus est anno 261. ortum fuisse schisma Donatistarum, anno videlicet 306. quod postmodum in hæresim apertam declinavit; duo namque præcipui notantur Donatistarum errores: *primus*. quod dixerint Ecclesiam toto orbe terrarum cōtagione communionis cum Traditoribus esse extinctam, et tantum in Africa penes Donati sectatores integram remansisse: *secundus*. quod adversus Ecclesiæ universæ definitionem restaurarent dogma de rebaptizandis, non solum qui ab hæreticis baptizati fuerant, sed etiam a Catholicis; quos ut sacrorum codicum, et vasorum traditores infamabant: quamquam ajebant se non baptizare accedentes ad partes Donati, sed dare Baptisma, quod antea datum non erat; quia nullum esse apud Catholicos, ut nec aliud Sacramentum, existimabant: nam iterum ungebant, iterum manus imponebant, non solum interioribus Clericis, sed etiam Sacerdotibus. et Episcopis, quorum nonnullos ad Laicorum ordinem redigebant.

Porro cum instigante dissensionis principe, agitetur ac foveatur omnis hæresis, unitatem ac concordiam servare nequit: unde non mirum si, ut observat S. August., Hæresi 69. secta hæc Donatistarum varias in partes scissa fuerit, quibus etiam, ut diximus, diversa inerant nomina; nam alii dicti sunt Maximianistæ. a Maximiano Carthaginiensi Pseudo-Episcopo; alii Primianistæ, a Primiano ejusdem urbis Pseudo-Episcopo; nonnulli Rogatistæ a Rogato Episcopo in Mauritania Cæsariensi; cæteri Montenses, seu Rupitani, qui circa Romam in speluncis montium et rupium hiatibus suos conventus agebant; dicuntur etiam Campitæ seu Campenses. Huic hæresi affinis fuit illa, quæ appellata est Circumcellionum, genus hominum agreste, qui nedum in alios, sed et in seipsos insana feritate sæviebant: nam per varias mortes, maxime præcipitiorum, aquarum, et ignium seipsos necabant, ut Martyres viderentur, et alios ad ejusmodi furorem provocabant. Cæterum cum illæ sectæ veram apud se dumtaxat Ecclesiam subsistere jactarent, accedentes ad se, etsi alibi baptizatos, iterum baptizabant, quod cum alios ut hæreticos haberent, collatum ab eis Baptisma ut irritum et inane repudiabant. Omnes autem perversum illud dogma fulciebant ac tuebantur auctoritate doctrinæ S. Cypriani, quem universalis Ecclesia pro sanctissimo Martyre venerabatur.

His prælibatis, majoris claritatis gratia rerum dicendarum, unum superest, videlicet, ut probemus fidem non esse conditionem requisitam in Ministro, ut valide Sacramenta conferat, ac subinde collatum ab hæreticis Baptisma non esse repudiandum.

Conclusio unica. — FIDES MINISTRI NON EST ABSOLUTE NECESSARIA AD CONFECTIONEM ET MINISTRATIONEM SACRAMENTI. Hæc est de fide determinata in variis Conciliis, maxime Arelatensi primo sub Sylvestro primo celebrato an. 314. Can. 8. ubi legimus: *de Afris. quod propria lege sua utuntur. ut rebaptizent. placuit. ut si ad Ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes Symbolum; et si crediderint in Patre, Filio, et Spiritu Sancto manus eis imponatur, ut accipiant Spiritum. Quod si interrogati, non*

responderint hanc Trinitatem, baptizentur. Cujus quidem Canonis vim, et sui erroris damnationem, ut declinarent Donatistæ, creduntur pro ea voce *de Afris*, supposuisse hanc *de Arianis*; quæ utique suppositio colligitur ex eo quod Ariana hæresis Occidentali Ecclesiæ nondum innotuerat an. 311. quo verisimilius est celebratum fuisse primum Arelatense Concilium, quam an. 326. ut ferunt aliqua Acta ejusdem Concilii.

Afri autem Cœciliano Carthaginensi Episcopo adversantes facti sunt schismatici, ex schismaticis Anabaptistæ, ex Anabaptistis Trinitarii, qui paulo post orti dietique Ariani; qui ideo jubentur rebaptizari, quod in eorum Baptismate servata non fuisset debita forma, et Trinitatis invocatio. Ita enim constat ex prædictis verbis: *Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi venerint, interrogent eos nostre fidei Sacerdotes Symbolum, et si perviderint eos in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto esse baptizatos, manus eis tantum imponatur ut accipiant Spiritum. Quod si interrogati, non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.*

Nicænum primum idem statuit; nam, referente S. Hieronymo in fine dialogi contra Luciferianos circa finem, prohibuit rebaptizare hæreticos, exceptis Paulianistis, quia necessariam et servari solitam formam non usurpabant, ita enim statuit Can. 19. *Si quis confugerit ad Ecclesiam Catholicam a Paulianistis, et Kataphryggis, statutum est eos rebaptizari debere. Qui vero Clerici erant apud eos, si inculpati fuerint, et irreprehensibiles, iterum etiam ordinentur ab Episcopo Ecclesiæ Catholicæ.* Et Can. 8. *Si qui voluerint ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis venire, placuit, ut eis manus imponatur, et sic maneam in Clero.* Non jubet autem Concilium ut iterum baptizentur, quoniam baptizabant in debita forma et materia.

Refert etiam ibidem S. Hieronym. quod Episcopi, qui cum S. Cypriano in tribus præcedentibus Conciliis Carthaginensibus senserant baptizatos ab hæreticis et schismaticis denuo esse baptizandos, ad antiquam Ecclesiæ consuetudinem reversi priorem sententiam deponentes, novum emiserunt decretum de ipsis hæreticis non rebaptizandis.

Similiter in *Carthaginensi primo*, tempore Julii primi, cum Episcopus Carthaginensis quæisivisset a suis Collegis, utrum in aqua semel tinctum iterum tingere liceat, Episcopi universi dixerunt: *Absit, illicitas sancimus esse rebaptizationes, et alienas a sincera fide et Catholica disciplina.*

Insuper in *Arelatensi* 2. celebrato anno 330. Can. 16. decernitur *Photinianos, seu Paulianistas secundum Patrum instituta baptizari oportet.* Can. autem 17. decernitur, *Bonosianos autem ex eodem errore venientes, quos ut Arianos baptizare in Trinitate manifestum est, dum interrogati fidem nostram toto corde confessi fuerint, cum chrismate et impositione manus in Ecclesia recipi sufficit.*

Idem definitum est in Concilio Capuensi, seu Capuano celebrato circa an. 377. cujus fit mentio apud S. Ambrosium *Epistolarum*, lib. 1. Epistolis 5. et 9. Similiter et in tertio Concilio Carthaginensi celebrato an. 397. præside Aurelio Cart. Episc. Decernitur enim Can. 38. *Illud quoque suggerimus mandatum nobis, quod in Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes, et reordinationes, vel translationes.*

Tandem hæc veritas definita est in Conciliis Florentino, et Tridentino. Tridentinum, Sess. 7. Can. 4. *De Baptismo*. sic definit: *Si quis dixerit Baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.*

Probatur primo hæc veritas a **S. Aug. et Optato**, ex variis figuris veteris Testamenti, quibus præsignatur Sacramenta extra Ecclesiam valere. **Primo** namque Ecclesia figuratur per Paradisum terrestrem, et aqua baptismalis per famosum illum fontem et fluvium, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, et inde dividebatur in quatuor capita; nam, inquit S. August., lib. 2. *Contra Cresconium*. cap. 13. *Sicut aqua in aliquo ex illis memorabilibus, negari non potest quod sit aqua paradisi, quamvis non sit in solo Paradiso, quæ etiam extra inde manarit, ita aqua Baptismatis, quamvis Ecclesie sit, tamen etiam foras profluit; cum apud illos invenitur, qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* **Secunda** figura petitur ex aquis diluvii; nam, inquit S. Augustinus, lib. 6. *De Baptismo*, cap. 39. « Aqua diluvii constitutis intra arcam salutaris fuit, extra arcam vero « mortifera; eadem tamen fuit. Cur ergo, inquit, non suscipiunt ali- « quid cæleste vel schismatici vel hæretici? sicut spinæ, sive zizania « pluviam, sicut ipsi, qui extra arcam fuerunt, aquam de catara- « ctis cæli venientem susceperunt quidem ad perniciem, non ad sa- « lutem » **Tertia** peti potest ex filiis Jacobi, quorum aliqui ex legitimis uxoribus, alii autem ex ancillis nati, ad eandem tamen hæreditatem vocati sunt. Unde S. Augustinus quæst. super gestis cum Emerito: *De Jacob*. inquit, *novimus in unam hæreditatem advocatos, simul numerati sunt omnes Patriarchæ duodecim, nullum ab altero uteri diversitas separavit: quia omnes charitas sociavit: quid interest ergo ubi Baptismum acceperis? Noli superbire, veni ad hæreditatem.* **Quarta** petitur ex illo Num. 16. ubi legimus quod cum terra absorberet Core, Dathan, et Abiron cum aliis schismaticis adversus Moysem et Aaron rebellantibus, thuribula, quibus incensum Domino offerebant, non sunt absorpta, sed præcipiente Domino ex eis ductæ sunt laminæ repositæ in angulis arcæ Testamenti. Quod utique signum est, quod licet reprobentur schismatici, non improbantur tamen collata ab eis Sacramenta. Unde Optatus lib. 6. « Cum, inquit, eosdem peccatores absor- « beret terra, remanserunt de manibus eorum excussa thuribula, et « tactæ sunt inde laminæ, et positæ in angulis arcæ Testamenti, quia « nomen Dei illic invocatum fuerat: ita licet reprobandi sint schi- « smatici, non tamen sunt repudianda Sacramenta ab eis collata, quia « illic invocatum est nomen sanctissimæ Trinitatis ». **Quinta** denique peti potest ex Samaritanis, qui erant inter Judæos sicut hæretici et schismatici inter Christianos, et apud utrosque vigeat Circumcisio, quemadmodum Baptismus viget apud nos: sed Circumcisio Samaritanorum non repetebatur, cum aliquis ex eis accedebat ad Judæos: nam, inquit S. Aug., Ep. 203. quæ est ad Maximum Episcopum Donatistam, *si vellet Samaritanus, quem Samaritani circumciderant, fieri Judæus, vacaret certe iterationis audacia, et id quod apud hæresim factum erat, quod præceperat Deus, non repetere, sed approbare cogemur.* Unde concludit: *Quod si in carne circumcisi hominis non in-*

venirent locum, ubi circumcisionem repeterent, quia unum est illud membrum; multo minus invenitur locus in uno corde, ubi Baptismus Christi repetatur: ideo qui duplicare Baptismum vultis, necesse est omnino, ut corda duplicia requiratis.

Probatur secundo, auctoritate summorum Pontificum, qui veritatem illam docuerunt: imprimis vero ex Stephano I in Epistola, quam rescripsit ad S. Cyprianum, et collegas Episcopos Africanos, qui definierant rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos: quamquam enim illius epistola integra non extet, tamen illius partem legimus apud Cyprianum in Epistola ad Pompejum, ubi refert Stephanum scripsisse: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos nihil innovetur, sed teneatur quod traditum est: ut manus illi imponatur in penitentiam: cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes, non baptizent, sed communicent tantum:* Quam utique sanctionem sic egregie commendat Vincentius Lirinensis cap. 9. ubi scribit: « Cum undique ad novitatem rei cuncti
« reclamarent (nempe rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos), atque
« omnes quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniteren-
« tur, tum beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ sedis Antistes
« cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit;
« dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devo-
« tione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in epi-
« stola, quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, *Nihil*
« *novandum, nisi quod traditum est:* intelligebat enim vir sanctus
« et prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia,
« qua fide a Patribus suscepta forent, eadem fide consignarentur. fi-
« liis, nosque religionem, non qua vellemus ducere, potius qua du-
« ceret illa sequi oportere; idque esse proprium Christianæ modestiæ
« et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta ser-
« vare. Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usi-
« tatus, et solidus? Retenta est Sacramenti antiquitas, et explosa no-
« vitas ». — Idem statuerunt alii summi Pontifices, maxime Sircius I Epist. ad Himerium Tarraconensem Episcopum, cap. 1. *Significasti, inquit, baptizatos ab Arianis plurimos ad fidem Catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris baptizare velle; quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus velet, et Canones contradicant, et post Ariminense Concilium missa ad Provincias a Prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant; quod et nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, ut est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro Collegio Synodali sententia separari.* — Idem statuit Innocentius I, Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, cap. 4. Leo Magnus, Ep. 79. ad Nicetam, cap. 7. Anastasius II Epist. ad Anastasium Imperatorem, cap. 7. et Gregorius Magnus, lib. 9. Epist. 61. ad Quirinum, et alios Hiberniæ Episcopos: « Ab antiqua, inquit, Patrum institutione didi-
« cimus, ut qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum
« ad Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione
« manus, aut professione fidei revocentur. Unde Arianos per imposi-
« tionem manuum Occidens. per unctionem sancti Chrismatis Oriens

« reformat ad ingressum Ecclesiæ: Monophysitas, et alios ex sola vera
 « confessione recipit. quia sanctum Baptisma, quod apud hæreticos
 « consecuti sunt. tunc in eis vires mundationis recipit. Hæretici
 « vero, qui non baptizantur in nomine Trinitatis, ut Bonosiani, et
 « Kataphrygæ, quia et illi Christum Dominum non credunt, et isti
 « Spiritum sanctum perverso sensu quemdam esse pravum hominem
 « Montanum credunt, et alii tales, cum ad Ecclesiam veniunt, bap-
 « zantur, quia Baptisma non fuit, quod in Trinitatis nomine non ac-
 « ceperunt: Nestoriani vero, qui in sanctæ Trinitatis nomine bap-
 « zantur, sed eos Judaicæ perfidiæ similes, incarnationem non cre-
 « dentes, hæreseos error obscurat, ideo venientes ad Ecclesiam; de fidei
 « veritate, et confessione docendi sunt, etc. ».

OBJICIES 1. Varios Conciliorum Canones, quibus præcipitur hære-
 ticos ad Ecclesiam accedentes esse baptizandos et ordinandos, eo-
 runque Baptismus et Ordinatio reprobatur. Sic sanxerunt Apostoli
 Can. 26. his verbis: *Episcopum, aut Presbyterum suscipientem hære-
 ticorum Baptisma damnari præcipimus.* Et 47. *Episcopus aut Presbyter,
 si eum, qui secundum veritatem habuerit Baptisma, denuo baptizaverit
 aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, ut deridens crucem,
 et mortem Domini, nec veros Sacerdotes a falsis discernens.* Et Can. 68.
*Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus secundam ordinationem
 susceperit ab aliquo, deponatur tam ipse, quam qui ipsum ordinavit,
 nisi forte constet eum ab hæreticis ordinationem habere; qui enim a
 talibus baptizati sunt, aut ordinati, nec fideles, nec Clerici esse possunt.* —
 Similiter in Nicæno, Can. 8. statuitur de his, qui se nominant *Cat-
 taros* idest *mundos*: si qui venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit
 sancto, et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in
 Clero permaneant: vel ut habet Editio secunda ejusdem Concilii: *Si
 qui venerint ad Ecclesiam ex Novatianis, placuit, ut ordinentur, et sic
 in Clero maneant.* Igitur licet eorum Baptisma admittat Ecclesia,
 tamen ordinationes, ut illicitas et irritas reprobat. Item ex Can. 95.
 sextæ Synodi in Trullo: *Venientes ad Ecclesiam ab hæresi baptizamus.*
 Denique, id sancitum fuit in Carthaginensi sub Agripino, et tribus
 Carthaginensibus sub S. Cypriano, necnon Iconiensi sub Firmiliano,
 constat decretum fuisse Baptismum ab hæreticis collatum esse nul-
 lum. — **Nego consequentiam**, et ad Canones Apostolorum respondeo:
 Baptismus ab hæreticis collatus, qui non servant solitam Ecclesiæ
 formam, ut faciebant veteres hæretici, sicut refert S. Irenæus, lib. 1.
Contra hæreses, cap. 18. reprobatus est ut irritus et nullus concedo:
 Baptismus collatus ab hæreticis in debita forma et materia, nego:
 licet enim Baptismus ille ab adulto susceptus, ministerio hæreticorum,
 plerumque sit illicitus et infructuosus, propter pravam suscipientis
 dispositionem, tamen est validus. *Ad Canonem Nicæni*, respondeo, per
 eam manus impositionem, non intelligi ordinatoriam, sed confirma-
 toriam, quæ præseribebatur Clericis Novatianorum, quia Novatiani non
 sacrum Chrisma, proindeque nec Confirmationis Sacramentum admit-
 tebant, ut refert Theodoretus lib. 3. *Hæreticarum fabularum.* Vel dico,
 illam manus impositionem non fuisse consecratoriam, sed tantum re-
 conciliatoriam, scilicet benedictionem, per quam Clerici prius ad Ec-
 clesiastica munia inhabiles, ad eadem obeunda recipiebantur. Quæ

utique explicatio verior apparet: *tum quia* sic Canonem explicat S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, qui negabant Arianos cum suis honoribus recipiendos esse; scribit enim: Nicæna Synodus omnes hæreticos suscipit, exceptis soli Samosateni discipulis; quod jus majus est, Episcopo Novatianorum si conversus sit, Presbyterii gradum servat: *tum quia* in Nicæna secunda Act. 1. cum ambigeretur, utrum Episcopi Iconoclastæ recipi deberent, et lectus esset præfatus Canon Nicæni, Tharadius Patriarcha Constantinopolitanus rogatus, quid per illam manus impositionem intelligeret, respondit, *forte benedictionem esse tantum, non ordinationem*, ubi vox illa *forte* videtur irrepsisse Interpretis incuria: *tum denique* quia in eadem Synodo, et actione concluditur, ex sententiis SS. Patrum, Clericos redeuntes ad Ecclesiam ab hæresi, recipiendos esse cum impositione manuum, et suis gradibus et honoribus restituendos; unde Episcopi Iconoclastæ, qui in Ephesino Conciliabulo imagines damnaverant, cum aliis Patribus consederunt, datis prius et lectis suæ confessionis et fidei libellis. — Ad Canonem Trullanum respondeo, per eum dumtaxat repudiari Baptismum collatum ab hæreticis in indebita forma; non vero quod ab hæreticis sit acceptum; sic enim in eo Canone præscribitur: *Venientes ad Ecclesiam hæreticos suscipimus secundum morem, et ordinem antiquorum. Arianos, Macedonianos, et Novatianos, qui se puros vocant, Tetradistas, et Apollinaristas, suscipimus, si libellos afferant, et excerentur quamlibet hæresim. De Paulianistis constitutio ab Ecclesia Catholica facta est, ut omnino rebaptizentur Eunomiani, qui sub una mersione baptizant, Montanistas, et Sabellianos, et reliquas pestes, qui e Galatarum regione profecti sunt, venientes ad Ecclesiam, non secus ac Gentiles suscipimus, et primo die ipsos facimus Christianos, secundo Catechumenos, tertio ipsos auctoramus, postquam ter insufflavimus in faciem, et aures, sic illos iniciamus, facimusque ut in Ecclesia numerentur, et audiant Scripturas, et tunc illos baptizamus; Manichæos vero, Valentianos, Marcionistas, et similes, libellos oportet facere, et excerari hæresim, et Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Severum, et reliquos hæresum principes, et ita participes esse sanctæ communionis.* — Ad cætera Concilia, nempe Iconiense, et Carthaginense, respondet S. Augustinus, lib. 2. *De Baptismo*, cap. 3. illa fuisse Concilia Provincialia, quæ postmodum per generale totius orbis Concilium proscripta sunt. *Ipsa, inquit, Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbie, sine ulla instante cervice arrogantie, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Christiana.* Adde quod etiam ipsemet S. Cyprianus haud dubie mutata sententia, Concilia illa damnasset, si eorum Decreta ab universali Concilio proscripta accepisset. Porro plurima post ipsum Œcumenica Concilia approbaverunt Baptisma collatum ab hæreticis; ac subinde nulla vis est facienda in auctoritate S. Cypriani hac de re, nec in Conciliis ab eo celebratis. Unde S. Augustinus, lib. 2. *De Baptismo*, cap. 8. et 9. Cyprianus, *inquit*, in fine epistola ad Quintum

ostendit in quo, tamquam lectulo auctoritatis, quasi fessus acquieverit: « Quod quidem, *inquit*, et Agripinus cum cæteris Coepiscopis stauit, et librata Concilii communis examinatione firmavit, quorum « sententiam religiosam et legitimam nos etiam secuti sumus. Hac « attestatione satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, « si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum « esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hoc solum opponebatur inducere volentibus « novitatem; postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, et quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad plenarii « Concilii auctoritatem roburque producta post Cypriani passionem, « sed antequam nati essemus ».

OBJICIES 2. Anastasius summus Pontifex divina ultione percussus est, quod admiserit baptizatos ab hæreticis; nam in Gratiano, dist. 9. legimus: *Quia voluit occulte revocare Acacium, et non potuit, nutu divino percussus est*. Adde, et quia probavit Sacramenta ab ipso collata, ut patet ibidem cap. præcedenti, ubi refertur idem Anastasius, Ep. 1. cap. 7. et 8. ad Anastasium Augustum ita scribens: *Secundum Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sacratissimum servitutis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his, quos baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Leritas secundum Canones ordinavit, ulla ex nomine Acacii portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur*. — **Respondeo**, Gratianum deceptum esse occasione vitæ Anastasii exceptæ ex Pontificali Romano, unde hanc auctoritatem deprompsit, et in quo legimus: *Anastasius secundus, natione Romanus, fuit temporibus Theodorici Regis; eo tempore multi Clerici, et Presbyteri se ab ejus communione abegerant, eo quod communicasset sine consilio Episcoporum, vel Presbyterorum, et Cleri Ecclesiæ Catholicæ. Diacono Thessalonicensi, nomine Photino, qui communicaverat Acacio, et quia occulte voluit revocare Acacium, et non potuit, nutu divino percussus est*: hæc autem narratio prorsus fabulosa est, et verum figmentum a schismaticis Laurentianis ad vitam Anastasii additum; quod vel inde satis ostenditur, ut notat Glossa ad præfatum caput, quia Anastasius dicitur voluisse revocare Acacium, qui longe ante obierat; nam ex Evagrio, lib. 31. cap. 23. et Nicephoro, lib. 16. cap. 12. Acacius obiit tempore Felicis III, qui ipsum excommunicaverat; Felici autem successit Gelasius, et Gelasio Anastasius. Quomodo ergo potuit Anastasius de eo revocando cogitare, quem jam sciebat mortuum? nam ipsemet in præfata Epistola ad Anastasium scribit, *Acacium mortuum stare cum Felice ante Judicem Christum*. Neque etiam culpandus apparet, quasi consenserit Anastasio Imperatori, cæterisque defensoribus Acacii, ut scribit Justinus Imperator, Epist. ad Hormisdam summum Pontificem; nam Symmachus Anastasii successor in suis litteris Apologeticis significat, hoc esse commentitium; ibidem enim ait, se conformiter agere suis decessoribus excommunicando defensores Acacii: quod certe non faceret, si illius prædecessor Anastasius eos fovisset. Neque tandem damnandus apparet, quod probaverit Sacramenta collata ab Acacio: id enim præstitit, quoniam Sacramenta illa in legitima forma et materia ministraverat Acacius; ac subinde non erant rejicienda; quod utique probat sex rationibus: *prima*, quia

in Sacramentis virtus Christi operatur, quæ omnem maculam repellit. *Secunda*, de radiis solis, qui etsi transeant per loca fœtida, tamen non coinquinantur. *Tertia*, de Juda, qui licet malus fuisset, multa tamen fecit, quæ rata sunt habita. *Quarta*, de auctoritate Domini, qui præcepit verba Scribarum et Phariseorum servanda et implenda. *Quinta* ratio, quod omne bonum a quocumque fiat, fit a Deo. *Sexta* denique, quia in Sacramentis non est attendendum qualis vel quis conferat, sed quid conferat; quia incrementum solus Deus præbet. Hæc autem omnia Catholicam doctrinam continent; ac proinde est absurdum existimare Pontificem Anastasium propter illa divinitus fuisse percussum.

OBJICIES 3. Eadem distinctione, cap. 1. refertur auctoritas sancti Leonis Magni petita ex Epist. 37. ubi scribit: *Manifestum est per crudelissimam, insanissimamque sævitiam Dioscorig, et aliorum Hæreticorum in Alexandrina cæde omne cælestium Sacramentorum lumen extinctum esse: intercepta est enim sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidis manibus impiorum, omnia se substraxere mysteria: ergo censet penes hæreticos non remanere jus ministrandi et conficiendi Sacramenta.* — *Similiter Pelagius Papa, ut ibidem, cap. Schisma q. 1. ait: Non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, si veritate duce erigimur.* Præmiserat autem: *Qui spiritum non habent corporis Christi, sacrificium habere non possunt.* — *Item ex Innocentio I qui Epist. 18. ad Alexandrum decernit, quod etsi valeat Baptisma Arianorum, tamen irritæ sint, et nullæ eorum ordinationes. Non videtur, inquit, Clericos Arianorum cum sacerdotio ministerii cujuscumque suscipere dignitatem, quoniam quibus solum Baptismum ratum esse permittimus, prælationem spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in Ordinibus operatur.* Quam utique constitutionem ponderans Petrus Damianus (Opusculo 6. cap. 22. scribit: *In quibus decretalibus verbis manifeste datur intelligi, quod in promotionibus Clericorum non immerito fides ordinantis attenditur, ex quo videlicet pendet, ut ordinatio ipsa sive rata, sive irrita judicetur.* Denique 1. quæst. 7. cap. *Daibertum.* « Ex Urbano II Daibertum a Nezelone licet « simoniaco, non simoniace ejusdem confessione reperimus in Diacono « num ordinatum, et beati Innocentii Papæ sententia constat decla- « ratum Nezelonem ab hæreticis ordinatum, quia nihil habuit, nihil « dare potuit ei cui manus imposuit, nos tanti Pontificis auctoritate « firmati, et Damasi Papæ testimonio roborati, qui ait, *reiterari oportet « quod male actum est, Daibertum ab hæreticis corpore et spiritu « digressum ex integro Ecclesiæ necessitate ingruente Diaconum con- « stituimus: quod non reiterationem existimari censemus, sed integram « Diaconii dationem, quia, ut diximus, qui nihil habuit, nihil dare « potuit. » Igitur ex sententia summorum Pontificum collatio Sacramentorum ab hæreticis est invalida. — **Neque consequentiam, et ad primum dico, S. Leonem loqui dumtaxat de licita, non autem de valida Mysteriorum, et Sacramentorum administratione; cum enim propter illam cædem omnes Præsules, qui Nestorio favebant, incurrissent excommunicationis sententiam, non licebat eis amplius divinis interesse ministeriis ac mysteriis.** — *Ad Pelagium autem dico: non est Christi corpus, quod schismaticus conficit, quantum ad mysticam significationem, qua Sacramentum Eucharistiæ representat unitatem Ec-**

clesiæ membrorum, tam inter se, quam cum suo capite, ex quibus fit unum corpus mysticum, quod est Ecclesia, juxta illud Apostoli, *Unus panis, unum corpus. multi sumus. qui de uno pane participamus, concedo*: nam hæc unitas, cum a schismatico scindatur ac divellatur, non potest repræsentari per confectam ab illo Eucharistiam: non est Christi corpus, quantum ad veritatem Sacramenti, quasi schismaticus Sacerdos non haberet amplius auctoritatem et virtutem conficiendæ Eucharistiæ, *nego*. — *Ad Innocentii auctoritatem distinguo*: solum Baptisma Arianorum ab eo validum habetur, non autem ordinatio, quantum ad honorem. et dignitatem, *concedo*: quia ab illis baptizati post peractam penitentiam recipiebantur in cœtum fidelium, et erant idonei ad alia Sacramenta suscipienda etiam ad sacros Ordines, secus vero de iis, qui ab eis fuerant ordinati, quibus honor non servabatur, sed redigebantur in ordinem Laicorum, neque post suam reconciliationem mittebantur fungi suis muneribus ac ministeriis: quantum ad characterem, quasi imprimeretur in baptisate collato ab hæreticis, non autem in ordinationibus ab eis factis modo debito, *nego*. Nec aliud certe voluit Innocentius. ut constat ex Epist. 22. quæ est ad Episcopos Macedoniæ, cap. 4. ubi scribit: *Nostra lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, si tamen illi baptizati sint. per manus impositionem tantum Laicam tribuere communionem, nec ex iis aliquem in Clericatus honorem, vel æquum subrogare*. — Eadem solutione fit satis auctoritati S. Petri Damiani. Ibi enim distinguit hæreticos duplicis ordinis, quorum aliqui peccabant in fidem, non tamen a fide recedebant, sicut Novatiani; alii autem recedebant a fide, ut Ariani. De hæreticis primæ classis dicit eorum ratam esse ordinationem. et illos in Ecclesia recipi cum suis honoribus et gradibus. De Arianis autem dicit irritam esse illorum ordinationem. nec eos in Ecclesia cum suis honoribus admitti; quod utique probat auctoritate præfata Innocentii. — Ad factum Daiberti ordinati a Nezelone Moguntino Archiepiscopo Simoniaci, ipsemet Urbanus II qui eum ordinavit iterum, dicit priorem ordinationem æstimandam esse ex sententia Innocentii Papæ. et testimonio Papæ Damasi. Porro secundum utriusque Papæ sententiam. hæreticorum ordinatione legitime facta est non iteranda. Unde Daibertus ab Urbano reordinatus est, quia Nezelon eum vel in Ecclesiæ forma non ordinaverat. vel non habuerat ordinandi potestatem: sicque illa ordinatio prorsus erat irrita, non defectu fidei. sed ordinis. et characteris Episcopalis: quemadmodum statuit Damasus, Epist. 4. ubi decernit ordinatos ab hæreticis iterum ordinandos. si præter Ecclesiæ formam et ritum. aut a non habentibus ordinandi potestatem fuerint ordinati: loquitur enim de iis, qui a Chorepiscopis quibusdam. qui non erant Episcopi. fuerant ordinati: unde circa finem reddit rationem, cur hi non potuerint ordinare: quia, inquit. qui Pontificalem honorem non habuit, Pontificalia jura tribuere non potuit.

OBJECIES I. Aliquos e SS. Patribus. qui videntur improbasse Baptismum ab hæreticis collatum: primo quidem. Dionysium Alexandrinæ urbis Episcopum. qui. ut testatur S. Hieronymus. lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*. in Cypriani et Africanorum dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit epistolas in quibus hoc dogma tuebatur. Item S. Athan., Serm. 3. contra Arianos videtur

reprobare Baptisma ab Arianis collatum: *Ariani, inquit, in periculum veniunt, ne admittant integritatem mysterii; loquor autem de Baptismate: sic enim in nomine Patris, et Filii, datur profutura initiatio. Patrem autem verum illi non pronuntiant, eo quod negent aliquid ex ipso existere, et simile esse illius substantiæ: negant quoque verum filium, aliumque ex non entibus conditum sibi comminiscetes in Baptismate proferunt: quomodo igitur non plane vanum ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cum id non nisi species sit et inane simulacrum, ipsique ea re nihil solidæ opis afferant ad pietatem?* Deinde S. Cyrillus Jerôsolymitanus in Præfatione ad suas Catecheses; ait: *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti: unus enim Dominus, et una fides, et unum Baptisma: nam soli hæretici rebaptizantur.* Et Optatus Milevit. lib. 1. *Ante medium: Scimus hæreticorum Ecclesias singulorum prostitutas nullis legalibus Sacramentis, et sine jure honesti matrimonii esse. Et infra: Dixistis fieri non posse, ut falso Baptismate inquinatus abluat; etc.* Tandem S. Bernardus, Serm. 66. in Cantica loquens de quibusdam hæreticis, negat eos habere potestatem conficiendi corpus Christi Domini. Igitur SS. Patres censent nulla esse Sacramenta ab hæreticis collata. — **Nego consequentiam, et ad primum, dico S. Dionysium aliquamdiu stetisse in ea sententia, quod auctoritatem Conciliorum Iconiensis, Synadensis, et similium damnare non auderet: at in illa sententia diu non stetit, quippe sequester et supplex accessit et scripsit ad Stephanum summum Pontificem, pro reconciliandis ei Orientalibus Episcopis: quod utique signum est eum hac in re non fuisse pertinaciter Stephano obluetatum. His adde, quod ipsemet consuluerit Sixtum Stephani successorem, utrum rebaptizare deberet senem quemdam ab hæreticis baptizatum, qui eorum Baptisma execratus, a Catholicis baptizari postulabat, ut constat ex ejus Epistola apud Eusebium, lib. 7. *Historiæ*, cap. 8. Sic autem non se gessisset Dionysius, nisi sententiam Stephani fuisset amplexus, et opinionem Africanorum Episcoporum deseruisset: nam alioqui incunctanter hunc hominem baptizasset, maxime cum ex eo acciperet præter Ecclesiæ formam ab hæreticis fuisse baptizatum.** — *Ad secundum distinguo majorem: Baptismus ad Arianis collatus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, vanus est et inutilis, quantum ad primarium effectum, nempe gratiam, concedo: quantum ad secundum effectum, nempe characterem, nego.* Quod autem sic exponendus sit S. Athanasius, constat ex his verbis: *in periculum veniunt, ne amittant integritatem mysterii: si enim revera irritum esset eorum Baptisma, quantum ad omnes effectus, non dicerentur in periculum venire amittendæ integritatis mysterii, sed absque ulla dubitatione dicerentur talem integritatem amittere. Vel dico, ipsum loqui de Arianis, qui licet Patris, et Filii nomen exprimerent, forte eis addebant nomina Creatoris et creaturæ, Factoris et facturæ: unde subdit: Non in Patre, et Filio tribuant Baptisma Ariani, sed in Creatore et creatura, in Factore et factura: sicut igitur creatura quiddam diversum est a Filio, ita diversum quiddam a vero Baptismate est, quod ab ipsis existimatur dari.* — *Ad S. Cyrillum et Optatum respondeo, quod licet absque ulla distinctione dicant, hæreticos esse extraneos a Catholicis Sacramentis, et eos esse rebaptizandos, quia prius eorum Baptisma nullum erat: attamen cum distin-*

etione sunt intelligendi, nempe de hæreticis, quos existimabant peccare in forma: Optatus enim lib. 5. aperte docet, post Trinitatem non licere in Trinitate baptizare: *Quid, inquit, vobis risum est, non post nos, sed post Trinitatem Baptisma geminare? cujus de Sacramento non leve certamen innatum est, et dubitatur an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere: Vos dicitis, licet: nos dicimus, non licet: inter licet vestrum, et non licet nostrum, nutant animæ populorum.* — Ad S. Bernardum, dico eum ibi loqui de quibusdam hæreticis, qui Apostolicos se nominabant, qui cum non essent Sacerdotes ordinati, ut colligitur ex eo quod nomet eorum rusticanos, idiotas, et prorsus contemptibiles, dicatque eos detrahare ordinibus Ecclesiæ, et æstimare omnes Archiepiscopos, Episcopos, et Presbyteros esse peccatores: cum, inquam, non essent ordinati, nihilominus Manichæorum hæresim excitantes, cibosque communes aspernantes ut immundos et indignos, qui trajicerentur in Christianum stomachum, asserebant se potestatem habere quotidie in mensa sua consecrandi corporis Christi, ut se in corpus, et membra Christi nutrent et foverent.

OBJICIES 5. Sententia de recipiendo ab hæreticis collato Baptismate, nullo legitimo fundamento nititur: igitur non est alteri præferenda. *Probaturs antecedens:* ecclesiastica dogmata fundari debent, vel in Scriptura sacra, vel in Evangelica et Apostolica Traditione: at ita non est de hac sententia; siquidem nullis Scripturæ textibus aperte declaratur: non etiam nititur legitima Traditione: omnis enim legitima Traditio de Dominica vel Apostolica auctoritate descendit: at ita non est de illa Traditione, quam Stephanus Pontitex ostendebat: nusquam enim in Evangelio, aut Apostolorum Epistolis, vel actibus habetur, suscipiendos esse hæreticos baptizatos cum sola manuum impositione: igitur humana dumtaxat erat illa Traditio, cui propterea merito reluctabatur sanctus Cyprianus cum Atricanis Episcopis. — **Nego antecedens,** et *minorem* illius probationis: Traditio enim illa est vere Apostolica: nam, ut præclare docet S. Augustinus, lib. 4. *De Baptismo,* cap. 24. « Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis
« institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica
« tractum, certissime creditur: at recte baptizatos, a quavis hæresi
« venientes ad Ecclesiam, absque novo Baptismate recipiendos, anti-
« quissima consuetudo semper, et ubique tenuit ante Stephanum, et
« ea nullo sancita Concilio, sed unanimi totius Ecclesiæ consensu;
« nam ipso teste Cypriano, firma fuit ante Agripinum, et hic eam
« primus correxit, seu potius corrupit: neque novitas inducta per
« Agripinum ubique recepta fuit, nec ab Agripino viguit apud Afri-
« canos ad Cyprianum usque, sicuti supra diximus. *Et antea,* cap. 6.
« Non invenimus aliquem, cum apud hæreticos baptizatus esset, in
« eo Baptismo admissum esse, et communicasse temporibus Aposto-
« lorum: at nec invenimus ab hæreticis aliquem venientem qui fuerit
« apud illos baptizatus, ab Apostolis denuo baptizatum. *Et ibidem:*
« quod accepimus ab Apostolis, quod Ecclesiæ consuetudo semper
« tenuit, quod plenarium Concilium confirmavit, hoc sequimur. —
« *Et 2. De Baptismo,* cap. 6. Nolite nobis objicere auctoritatem Cy-
« priani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum
« Cypriani ad unitatis conservationem. Nondum erat diligenter illa

« Baptismi questio pertractata, sed tamen celeberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia; in ipsis quoque schismaticis et hæreticis « corrigere, quod pravum est, non iterare, quod datum est, sanare « quod vulneratum est, non curare, quod sanum est; quam consuetudinem credo ab Apostolica Traditione venientem ». — *His adde,* quod tam Cyprianus ipse, quam ejus Collegæ in Concilio aperte agnoverint consuetudinem et Traditionem Ecclesiasticam sibi adversari: siquidem pluries inculcant consuetudinem debere veritati cedere; nam ibi Libosus Vagensis Episcopus sententiam suam ferens ait: *In Evangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas, non dixit: ego sum consuetudo: itaque veritate manifesta, cedat consuetudo veritati.* Et Castus Siccensis; *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.* Idem proterunt alii plurimi Episcopi in eodem Concilio, ut videre est apud S. Augustinum, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 7. et sequentibus.

URGEBIS: Illa traditio censi non potest Apostolica, cujus contraria vigeat apud plurimas Ecclesias: sed ita est; nam consuetudinis de recipiendis ab hæresi venientibus absque novo Baptismate contrariam consuetudinem objicit Firmilianus Cæsareæ Cappadocum Episcopus in sua Ep. ad S. Cyprianum, ubi cum dixisset: *Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem præferat? aut quis perspecta luce tenebras non derelinquat, nisi etsi Judæos Christo adventante, idest, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veritatis via, in vetustate permanserit? Quod quidem adversus Stephanum, vos dicere Afri potestis, cognita veritate, errorem vos consuetudinis reliquisse;* statim subdit: *Cæterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod ab Apostolis nec meminimus hoc apud nos cœpisse; cum semper istic observatum sit, ut nonnisi unam Dei Ecclesiam nossemus, et S. Baptisma nonnisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.* Insuper S. Cyprianus, Epist. ad Jubajanum: *Non nova, inquit, apud nos aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, et longa ætas, ex quo sub Agripino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt: igitur illa consuetudo, qua nitebatur S. Stephanus Romanus Pontifex, non erat Apostolica, neque universalis.* — **Distinguo minorem:** objiciebat consuetudinem revera ab Apostolis traditam de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis baptizati non fuerant in debita forma et materia, *concedo:* qui legitima forma et materia ab hæreticis Baptisma susceperant. *nego.* Ad Firmilianum autem dico, ipsum studio partium et animi livore percitum, quod a Stephano summo Pontifice una cum suis Collegis excommunicatione fulminatus esset, plura in ipsa Epistola ad Cyprianum comminisci, quæ non solum a veritate erant omnino aliena, sed etiam apertam rerum Ecclesiasticarum ignorantiam præ se ferebant. Nam *ibidem* asserit, Hermogenem, Cerinthum, et Basilidem, post longam ætatem ab Apostolorum tempore vixisse, cum tamen ex S. Ignatio, Epist. 5. ad Trallenses, et Epist. 10. ad Smirnenses, apertissime con-

stet prædictos hæreticos fuisse Apostolis coævus. *Ibidem* etiam Romanam Ecclesiam damnat, quod diversa die celebraret Pascha ab ea, quam tradiderant Apostoli, quibus aperte Judæis et Quartodecimanis, jam antea ab Ecclesia proscriptis, favebat. Tandem falso supponit Stephanum et Ecclesiam Romanam approbare Baptisma quorumlibet hæreticorum, puta Kataphrygarum, et aliorum, qui non baptizabant etiam in legitima Ecclesiæ forma. Supponit pariter morem viguisse apud Orientales rebaptizandi omnes hæreticos ad Ecclesiam venientes, etiam eos, qui baptizati fuerant in debita forma et materia, quod omnino erat alienum a veritate. — *Ad S. Cyprianum* respondet S. Augustinus, lib. 3. *De Baptismo*, cap. 12. ejus sententiam cum proprio illius facto pugnare; nam, inquit: *Si permanebat ab Agripino usque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, ut quid facta sunt a Cypriano de hac re Concilia? Ut quid eidem Jubajano dicit, non se rem novam facere aut repentinam, sed ab Agripino institutam? Cur enim Jubajanus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agripini sanari oporteret, si ab Agripino usque ad Cyprianum hoc tenebat Ecclesia? Cur denique tot ejus Collegæ in Concilio dixerunt, rationem et veritatem consuetudini præponendam, ac non potius dixerunt eos, qui aliud facere vellent, et contra veritatem, et contra consuetudinem facere?*

OBJICIES 6. Ex S. Cypriano: ille non potest valide baptizare, qui non potest dare remissionem peccatorum: sed hæretici non possunt dare remissionem peccatorum. — **Respondet S. Augustinus**, lib. 5. cap. 2. *De Baptismo*, distinguendo *minorem*: hæretici non possunt suis sèctatoribus dare remissionem peccatorum, propter defectum potestatis conferendi Baptismum. qua remitterentur peccata, *negat*: propter defectum fidei et charitatis in suscipientibus, *concedit*. Proinde, inquit, *consentimus Cypriano, hæreticos remissionem dare non posse: Baptismum autem dare posse: quod quidem illis, et dantibus, et accipientibus valeat ad perniciem, tamquam tanto munere Dei male utentibus: sicut etiam maligni et invidi, quos et intus esse ipse testatur, remissionem peccatorum dare non possunt, cum eos tamen Baptismum dare posse omnes fateantur.*

INSTABAT S. CYPRIANUS: Illi non possunt dare remissionem peccatorum, qui non habent Spiritum sanctum, siquidem Christus Dominus Joannis 20. dixit: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit: *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.*: sed hæretici non habent spiritum: igitur, etc. — **Respondet S. Aug.**, lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, hoc oraculo significatum iri Baptismum non solum per hominem, sed etiam hominis esse, si postea quam dixit: « *Ecce ego mitto vos*, subjecisset continuo: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: et si cui tenueritis, tenebuntur*: cum vero interpositum est, hoc cum dixisset, insufflavit, « *et ait illis: Accipite Spiritum Sanctum*: et deinde illatum per eos vel « *remissionem, vel retentionem fieri peccatorum*, satis ostenditur, non « ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum sanctum, sicut alio loco « dicitur: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui in vobis est*. Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ præposito vel Ministro sic inest, ut si fictus non est, operetur per eum Spiritus san-

« etus, et ad ejus mercedem in salutem sempiternam, et eorum rege-
 « nationem, vel ædificationem, qui per eum sive consecrantur, sive
 « evangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissime scriptum est.
 « *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*, deest quidem saluti
 « ejus, *ut auferat se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*; mini-
 « sterium tamen ejus non deserit, quo per eum salutem operatur
 « aliorum ».

URGEBAT S. CYPRIANUS: « Ille non potest conferre remissionem
 « peccatorum etiam homini bene disposito, qui peccatis inquinatur;
 « etenim Deus peccatorem non audit, et nemo dat quod non habet ». —
Respondet S. August., *ibid.* cap. 20. « Si ad hoc valet, quod dictum est
 « in Evangelio, *Deus peccatorem non audit*, ut per peccatorem Sacra-
 « menta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem,
 « vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam,
 « vel super capita eorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia ta-
 « men et fiunt, et valent etiam per homicidas, idest, per eos, qui
 « oderunt Fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia. *Cum dare nemo possit*
 « *quod non habet*; quomodo dat homicida Spiritum Sanctum? Et ta-
 « men ipse intus etiam baptizat: Deus ergo dat etiam ipso baptizante
 « Spiritum Sanctum ».

INSTAT S. CYPRIANUS: Non potest spiritualia agere et conferre,
 qui amisit Spiritum Sanctum: sed hæreticus amisit Spiritum Sanctum:
 igitur, etc. — **Respondet Augustinus**, *ibid.* cap. 21. « Si quisquis
 « sanctum Spiritum dare non potest, baptizare non potest, cur intus
 « baptizat homicida? aut quomodo Spiritum Sanctum habet homicida,
 « cum omnis, qui sanctum Spiritum habet, illuminatus sit; qui autem
 « odit fratrem suum, in tenebris sit usque adhuc? »

OBJICIT 7. S. CYPRIANUS, Epist. ad Jubajanum: qui foris baptizatur,
 utique id accipit quod credidit: falsum autem credens verum accipere
 non potest; adultera et profana, secundum quod credebat, accipit. —
Respondet S. August., lib. 3. *De Baptismo*, cap. 14. *Non interest cum*
de Sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat, et quali
fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem pluri-
imum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.
Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam
fidem, sicut fieri potest ut integra teneat verba Symboli, et tamen
non recte credat, sive de ipsa Trinitate, sive de Resurrectione, vel ali-
quid aliud. Neque enim parva res est in ipsa intus Catholica tenere
integram fidem, ita ut omnino non de aliqua creatura, sed de ipso Deo
nihil aliud credat, quam veritas habet. Num quidnam ergo si in ipsa
Catholica baptizatus, postea legendo, audiendo, et pacifice disserendo,
ipso Domino revelante, cognoverit aliter se ante credidisse, quam debuit,
denuo baptizandus est? Quamobrem, ut recte observat S. August., lib. 6.
cap. 1. B. Cyprianus cum suis sectatoribus non alia ratione censuit,
non esse posse apud hæreticos vel schismaticos Baptismum Christi, nisi
quia non distinguebat Sacramentum ab effectu vel usu Sacramenti, et
quia ejus effectus atque usus, in liberatione a peccatis, et cordis recti-
tudine non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse pu-
tabatur.

OBJICIT 8. Epistola ad Pompejum: Ecclesia et Spiritus Sanctus et

Baptisma ab invicem non possunt separari; et ideo qui ab Ecclesia separati sunt, et a Spiritu sancto, etiam a Baptismo separatos esse oportet. — **Respondet S. Augustinus**, lib. 5. *De Baptismo*, cap. 23. *Si ita est, cum quisquis in Ecclesia Catholica Baptismum acceperit, tamdiu in ea manet, quamdiu in Ecclesia et ipse manet; si autem inde discesserit, discessit a Baptismo; quod non ita est; nam ideo redeunti non redditur, quia cum discessit, non amisit; quemadmodum autem Spiritum sanctum, sicut habent filii dilecti, non habent filii mali, qui et tamen Baptismum habent, sic et Ecclesiam sicut habent Catholici, non habent hæretici; et tamen Baptismum habent. Itaque sicut potest Baptisma esse, unde se aufert Spiritus sanctus, ita potest esse Baptisma, ubi non est Ecclesia.*

OBJICIT 9. S. CYPRIANUS: Non potest vis Baptismi major esse aut potior, quam confessio, quam passio: sed confessio, et passio, seu Baptismus sanguinis hæreticorum non prodest, quamvis Christum confessus extra Ecclesiam fuerit occisus: igitur nec Baptismus prodesse potest. — **Respondet S. August.**, lib. 4. *De Baptismo*, cap. 17. *majorē esse veram, quantum ad effectum sanctificationis; non vero quantum ad veritatem Sacramenti: « Hoc verissimum est, inquit, « extra Ecclesiam quippe occisus charitatem non habuisse convin-*
« eitur, de qua Apostolus dicit: et si tradidero corpus meum ita ut
« ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quod
« si propter hoc, quia charitas deest, passio nihil prodest, nec illis
« prodest, quos in invidia intus, et malevolentia sine charitate vivere
« Paulus dixit, Cyprianus exponit: et tamen verum Baptisma possunt
« et accipere, et tradere ».

URGET S. CYPRIANUS: Salus extra Ecclesiam non est. — **Respondet S. Augustinus**, ibidem: *Qui negat? et ideo quæcumque ipsius Ecclesiæ habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud non utiliter habere. Qui non habet, est baptizandus ut habeat; qui autem non utiliter habet, ut utiliter habeat, corrigendus.*

OBJICIT 10. Si hæreticorum Baptisma approbatur, hæretici exinde existimabunt se habere veram Ecclesiam, et idcirco ad Catholicam Ecclesiam sese recipere renuent: ait autem: « Nec quisquam existimet
 « hæreticos, eo quod illis Baptisma apponitur, quasi secundi Baptismi
 « vocabulo scandalizatos, ut ad Ecclesiam veniant retardari; imo vero
 « hoc ipso magis ad necessitatem veniendi testimonio ostensæ sibi et
 « probatæ veritatis adiguntur. Nam si viderint iudicio ac sententia
 « nostra id decerni et statui, ut Baptisma justum et legitimum com-
 « putetur, quo illic baptizantur, putabunt se Ecclesiam quoque, et
 « cætera Ecclesiæ munera juste et legitime possidere; nec erit causa
 « veniendi ad nos, quando habentes Baptisma, habere videantur et cæ-
 « tera. Porro autem cum cognoscunt Baptisma nullum foris esse, nec
 « remissionem peccatorum extra Ecclesiam dari posse, avidius ad nos
 « et promptius properant, et munera ac dona Ecclesiæ matris implo-
 « rant; certi pervenire se omnino non posse ad veram divinæ gratiæ
 « pollicitationem, nisi prius venerint ad Ecclesiæ unitatem ». — Simile
 argumentum urgebant Donatistæ, ut refert S. August., lib. 1. *De Ba-*
« ptismo, cap. 11. *« Quærunt etiam, Utrum peccata dimittantur per Ba-*
« ptismum in parte Donati? ut si dixerimus dimitti, respondeant:

« ergo est illic Spiritus sanctus, quia cum insufflante Domino datus
 « esset Discipulis, tunc secutus est, et ait: baptizate gentes in no-
 « mine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; si cui dimiseritis peccata,
 « dimittuntur ei; si cui tenueritis, tenebuntur. Et si ita est, inquit,
 « communio nostra est Ecclesia Christi. Non enim præter Ecclesiam,
 « dimissionem peccatorum Spiritus sanctus operatur. Et si nostra com-
 « munio est Ecclesia Christi, non est Ecclesia Christi vestra communio.
 « Una est enim, quæcumque illa sit, de qua dictum est: *Una est co-*
 « *lumba mea, una est matris suæ.* Nec possunt Ecclesiæ tot esse, quot
 « schismata. Si autem dixerimus, non ibi dimitti peccata: ergo, in-
 « quiunt, non est illic verus Baptismus; et propterea quos a nobis
 « suscipitis, vos baptizare debetis, quod quia non facitis, in Ecclesia
 « Christi vos non esse fatemini ». — **Respondet 1. S. August.**, lib. 5.
De Baptismo, cap. 2. S. Cyprianum ibidem fateri, ab hæreticis bapti-
 zatos revera posse salvari; cum enim sibi opposuisset S. Cyprianus:
Quid ergo fiet de his, qui in præteritum ad Ecclesiam de hæresi ve-
nientes sine Baptismo admissi sunt? Respondet: *Potens est Dominus,*
miseriordia sua indulgentiam dare, et eos qui ad Ecclesiam simpliciter
admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non sepa-
rare. Quæ verba sic expendit S. August. « Bene quidem præsumpsit,
 « quod charitas unitatis possit cooperire multitudinem peccatorum;
 « quod si habebant Baptismum, et de aliis non recte sentiebatur; qui
 « eos denuo baptizandos esse censebant, id erratum cooperiebat uni-
 « tatis charitas, quamdiu inerat ista non diabolica dissensio, sed hu-
 « mana tentatio. — Argumentum autem sic illud retorquet: his ita,
 « *inquit*, resistimus secundum Scripturas, eos interrogantes, ut quod
 « a nobis quærent, sibi ipsis respondeant. Quæro enim ut dicant,
 « *utrum* dimittantur peccata, ubi charitas non est; peccata enim te-
 « nebræ animarum sunt. Audimus quippe Joannem dicentem: *Qui*
 « *odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc.* Nulli autem schi-
 « smata facerent, si fraterno odio non excœcarentur. Si ergo dicimus,
 « non ibi dimitti peccata, quomodo renascitur qui apud eos baptizatur?
 « Quid est enim renasci per Baptismum, nisi a vetustate, cui peccata
 « præterita non dimittuntur? Quod si renatus non est, nec Christum
 « induit, ex quo conficitur, ut denuo baptizandus videatur, quia dicit
 « Apostolus: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis:*
 « quem ille si non induit, nec in Christo baptizatus habendus est.
 « Porro quia in Christo dicimus baptizatum, fatemur eum Christum
 « induisse. Et si hoc fatemur, regeneratum fatemur. Quod si ita est,
 « et peccata dimissa sunt ».

INSTABANT DONATISTÆ, ut refert S. Aug., ibid. c. 10. Baptismus Christi collatus ab hæreticis generat filios apud ipsos hæreticos, vel non generat. Si generet: ergo illi habent Ecclesiam matrem, quæ filios potuit de Christi Baptismate generare: cum autem oporteat unam esse Ecclesiam, consequens est eos veram Ecclesiam habere. Si dixerimus, non generat, (inquit S. Aug.) statim subsumunt: cur ergo apud vos non renascuntur per Baptismum, qui transeunt a nobis ad vos, cum apud nos fuerint baptizati, si nondum nati? — **Respondet S. August.**, *ibidem*: « Quasi vero ex hoc generet, unde separata est, et non ex hoc unde
 « conjuncta est: separata est enim a vinculo charitatis et pacis, sed

« adjuñcta est in uno Baptismate. Itaque est una Ecclesia. quæ sola
 « Catholica nominatur, et quidquid suum habet in communionibus
 « diversorum a sua unitate separatis, per hoc quod suum in eis habet,
 « ipsa utique generat, non illæ, neque enim separatio earum generat.
 « sed quod secum de ista tenuerunt; quod si et hoc dimittant, omnino
 « non generant. Hæc itaque in omnibus generat, cujus Sacramenta
 « retinentur, unde possit tale quid ubicumque generari: quamvis
 « non omnes, quos generat, ad ejus pertineant unitatem; quæ usque
 « in finem perseverantes salvat; neque enim hi soli ad eam non per-
 « tinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam
 « illi, qui in ejus unitate corporaliter mixti per vitam pessimam sepa-
 « rantur; etenim Simonem Magum per Baptisma ipsa pepererat; cui
 « tamen dictum est, quod non haberet partem in hæreditate Christi ».
 « Numquid ei Baptismus, numquid Evangelium, numquid Sacramenta
 « defuerunt? Sed quia ei charitas defuit, frustra natus est, et ei expe-
 « diebat fortasse non nasci ».

URGEBANT DONATISTÆ: Si Baptismum nostrum acceptatis, quid minus habemus, ut nobis de vestra communionem consulendum putetis? — **Respondet S. August.**, ibidem c. 14. *Non Baptismum vestrum acceptamus, quia est Baptismus ille hæreticorum, vel schismaticorum: sed Dei, et ubicumque fuerit inventus, et quocumque translatus. Vestrum autem non est, nisi, quod prave sentitis, et sacrilegè agitis, et impie separamini.*

OBJICIEBAT 11. S. CYPRIANUS: Apóstoli, ut legimus Act. 19. baptizarunt iterum eos, qui a S. Joan. Baptista tincti fuerant: sed hæretici non sunt meliores, aut majores Joanne Baptista: igitur nec potior eorum Baptismus, ac subinde multo magis, qui ab eis baptizati sunt, iterum sunt baptizandi. — **Respondet S. August.**, lib. 5. c. 9. non-ob aliud a Joanne tinctos iterum fuisse baptizatos, quam quia Joannis Baptismus non fuerit Christi Baptismus, sed Joanni a Christo concessus: ideo autem a Joanne baptizati iterum erant Baptismo Christi initiandi, quia, ut subdit c. 10. *Quamquam ita credam baptizasse Joannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata; reipsa vero in Domini Baptismo id fieret.* Unde in forma *distinguo minorem*: hæretici baptizantes non sunt meliores Joân. Baptista, quantum ad fidei integritatem, et vitæ sanctimoniam. *concedo*: quantum ad Baptismi dignitatem, et efficacitatem, *nego*: hæretici enim debite baptizantes conferunt Christi Baptismum, qui longe melior est et præstantior ipso Joannis Baptismate.

OBJICIEBANT TANDEM DONATISTÆ auctoritatem S. Cypriani: « Cy-
 « prianus, inquit (apud S. August., lib. 1. *De Baptismo*, cap. 1.) cujus
 « tantum meritum novimus, tantamque doctrinam, cum multis Coe-
 « piscopis suis sententias proprias conferentibus, in Concilio statuit
 « hæreticos vel schismaticos, idest omnes qui extra unius Ecclesiæ
 « Communionem sunt, Baptismum non habere: et ideo quisquis ab
 « eis baptizatus ad Ecclesiam venerit, esse in Ecclesia baptizandus. —
 « **Respondet ibidem S. August.** « Non me terret auctoritas Cypriani,
 « quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum novimus
 « Cypriani Episcopi et Martyris. De quo idem Cyprianus in Epist.
 « ad Quintum ita loquitur: nam nec Petrus, *inquit*, quem primum

« Dominus elegit, et super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum
 « Paulus de Circumcisione disceptaret, postmodum vindicavit sibi
 « aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum
 « tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere.
 « Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed
 « Concilium veritatis admisit, et rationi legitimæ, quam Paulus vin-
 « dicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis et concordiæ
 « et patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ
 « aliquando a fratribus et collegis nostris utiliter et salubriter sug-
 « geruntur, si sint vera et legitima, ipsa potius nostra ducamus ». *Ex*
quibus infert S. August. « Si ergo potuit Petrus contra veritatis re-
 « gulam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere Gentes judaizare, cur
 « non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam postea tota Ec-
 « clesia tenuit, cogere hæreticos vel schismaticos denuo baptizari?
 « Puto quod sine contumelia Cyprianus Episc. Petro Apostolo com-
 « paratur, quantum attinet ad martyrii coronam. Cæterum magis ve-
 « reri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam: quis enim nequit
 « illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatu præferendum? Sed
 « etsi distat cathedrarum gratia, una tamen est Martyrum gloria, etc ».

QUÆRES 1. *Utrum pax et communio inter SS. Stephanum et Cypria-
 num in illa celebri de Baptismate controversia soluta fuerit et ex-
 tincta?*

RESPONDEO, verisimilius esse, salva pace et vigente mutua charitate
 ac confœderatione, illam controversiam agitatam fuisse, nec inter utrum-
 que mutuæ communionis et charitatis vinculum fuisse solutum: *tum*
quia ipsemet S. Cypr., mutuæ charitatis et concordiæ zelantissimus,
pacem in omnibus semper sectandam prædicavit, ut constat ex om-
nibus ejus Epistolis de ejusmodi controversia scriptis: tum quia ipse
hac occasione scripsit librum De Unitate, ut nempe omnes Coepiscopos
ad servandam pacem et concordiam adhortetur: tum quia in tertio
Concilio Carthaginensi, ab eo propter hanc controversiam celebrato,
Coepiscopos initio Concilii sive alloquitur: Superest, inquit, ut de hac
re singuli, quid sentiamus, aperiamus. neminem judicantes, aut a jure
communions aliquem si diversum senserit, amoventes: tum denique
quia nullibi legitur Stephanum summum Pontificem S. Cyprianum
aut ejus Coepiscopos ab Ecclesiastica communione seposuisse.

Cæterum hanc veritatem plurimis momentis urget S. August. contra
 Donatist. schismaticos et hæreticos; sic enim scribit lib. 1. *De Ba-*
ptismo, c. 6. Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiæ temporibus
ante schisma Donati magnos viros, et magna charitate præditos Patres
Episcopos ita inter se compulit, salva pace disceptare, atque fluctuare,
ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta muta-
verint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sancie-
batur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Hinc lib. 5. De Baptismo,
c. 25. scriptam ad Pompejum Epistolam excusat, dicens: « Stephanus
 « abstinendos putaverat qui de suscipiendis hæreticis priseam consue-
 « tudinem convellere conarentur; iste autem, (*Cyprianum dicit*) quæ-
 « stionis difficultate commotus, et charitatis visceribus largissime præ-
 « ditus, in unitate censuit esse manendum cum eis qui diversa sen-

« tirent: ita quamvis commotus, sed tamen fraterne indignaretur; « vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione « nullum inter eos schisma oriretur ».

Item l. 2. sæpe objurgat Donatist. quod Cypriani auctoritatem pro suo schismate assumerent. et ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuerent. Et eodem lib. c. 5. sibi objiciens quomodo teneant veritatem, qui in rebus obscurioribus diversa sentiunt; aut quomodo accipiant veritatem, cum contra id, quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt? *Respondet*: « quorum duorum manifestatum tenemus: unum « in B. Cypriano, idest quomodo tenuerit unitatem cum eis a quibus « diversum sentiebat; ait enim (in principio tertii sui Concilii): ne- « minem judicantes, aut a jure communionis aliquem si diversum « senserit amoventes. Alterum autem quomodo accipere potuerit ve- « ritatem contra id, quod sentiebat, inventam? Et si litteræ tacent, « merita clamant: si Epistola non invenitur, corona testatur; si con- « cilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. « Non enim parvum documentum est pacatissimæ animæ in ea unitate « martyrium meruisse, unde se diversum sentiens noluit separare ».

Insuper, lib. De unico Baptismo, cap. 14. contra Petilianum Donatistarum principem, qui S. Stephanum inter Romanos Pontifices annumerabat, et eum illibate gessisse annuebat, sic eum carpit S. August. Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizat hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, et ipsius Cypriani Epistolæ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit: quid hic dicturi sunt? Quibus constat indubitatum fuisse, tum apud Augustinum, tum apud Donatistas, Cyprianum nullatenus ab Ecclesiæ unitate per excommunicationem fuisse sejunctum.

Hujus autem veritatis assertor nedum est S. Augustinus, sed et Vincentius Lirinensis *contra Hæreses*. cap. 9. et S. Hieronym. *Dialogo adversus Luciferianos*, ubi loquens de tertio Concilio a Cypriano celebrato ait: *Sciant illum hæc non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerant edidisse; siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contrarii erant.*

Insuper ibidem asserit, Omnes prorsus Episcopos ad antiquam consuetudinem revolutos contrarium et novum emisisse decretum. Cujus indicium evidentissimum est, quod Firmilianus ipse cum Orientalibus excommunicatus, in celebri Antiochena Synodo adversus Paulum Samosatensem sederit, et eum in Ecclesiæ pace pie sancteque defunctum Græci colunt, ut constat ex eorum Menologio die 28. Octobris.

Imo S. Dionysius Episcopus Alexandrinus ipsis cœvus testatur apud Euseb. lib. 7. cap. 3. et 4. S. Cyprianum a S. Stephano non descivisse unitate, sed sententiâ, atque se mediatores extitisse illius pacis, quæ tum ex Orientalibus tum ex Afris cum Stephano Pontifice anno sequenti, hoc est 259. inita est omnibus illis suam priorem sententiam rescindentibus, ut una cum Stephano sentirent.

Nec valet objicere verba Firmiliani in laudata Epistola: *in qua sæpe inculcat, Stephanum pacem cum singulis vario discordiarum genere rumpentem, modo cum Orientalibus... modo vobiscum, qui in meridie estis, a quibus legatos, etc.* Enimvero supra monui eum indi-

gnatione perditum plura contra veritatem ibi congerere, cumque cum excommunicasset Stephanus ob eandem sententiam, putavit ex Cypriani in Stephanum quærimoniis, idem actum a Stephano cum Afris; sed dispar erat causa: Orientales enim hujus controversiæ auctores severiori animadversione erant digni, præsertim quod nulla habita ratione majorum. decretum contra antiquam consuetudinem calculo firmaverant; Cyprianus vero cum sua decreta formavit, semper contestatus est se pacem ac unitatem servaturum.

Insuper spreti illi legati non erant ii quos miserat Cyprianus; quippe cum nullibi de eo queratur; imo litteras a Stephano per nuntium recepit. Fateor quidem Stephanum fuisse comminatum excommunicationem, sed quod eam non fulminaverit, patet ex dictis.

QUÆRES 2. *Utrum S. Cyprianus suam mutaverit et revocaverit sententiam ante passionem?*

RESPONDEO, id probabilius videri; quia quamquam illa retractatio in ejus scriptis non appareat, tamen idipsum non levia argumenta suadent. *Primo*, quia certum est, non modo Orientales cum Firmiliano et Dionysio Alexandrino, verum etiam Episcopos, qui cum S. Cypriano tribus Conciliis Carthaginensibus interfuerant, suam sententiam revocasse, et adhæsisse communi Ecclesiæ Traditioni, quam propugnabat S. Stephanus Pontifex: sed non est verisimile S. Cyprianum solum pertinaciter suæ opinioni adhærere voluisse contra sententiam ab omnibus fidelibus toto orbe propugnatam et assertam: igitur, etc. *Minorem* nullus negabit, qui compertam S. Cypriani humilitatem et pietatem habuerit; qua ratione enim vir sanctissimus absque manifesta culpa potuisset suum sensum privatum communi Ecclesiæ sententiæ opponere? *Major vero constat*: primo quidem de Orientalibus, et Dionysio Alexandrino, ex ipsius Dionysii Epistola ad Stephanum, quæ legitur apud Eusebium, lib. 7. Epist. 4. ubi mutata sententia, errorem vocat novam Novati pravitatem sententiam eorum, qui contendebant rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos. Idipsum etiam patet ex altera ejusdem Epistola ad Sixtum Stephani successorem, in qua, ut supra diximus, eum consulit, utrum baptizare posset hominem ab hæreticis baptizatum. Constat etiam ex Collegis S. Cypriani: sic enim scribit S. Hieronymus, dialog. contra Luciferanos: *Conatus est, inquit, B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, et idcirco hæreticorum Baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui a B. Petro vigesimus sextus erat, super hac re Africanam Synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Idipsum testatur Vincentius Lirinensis in *Commonitorio primo*, n. 54. *Postremo, inquit, ipsius Africani Concilii, sive decreti, quæ vires? Deo donante nullæ, sed universa tamquam somnia, tamquam fabulæ, tamquam superflua, antiquata, aboletæ, calcatae sunt.* — *Probat*ur secundo, ex S. Aug. qui idipsum affirmat pluribus in locis, maxime Epist. 48. quæ est ad Vincentium, ubi post medium ait: *Cyprianus sensisse aliter de Baptismo, quam forma et consuetudo habebat Ecclesiæ, non in Canonicis, sed in suis et in Concilii litteris invenitur; correxisse autem*

istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quamquam non desint, qui hæc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt: sed sub ejus nomine a præsumptoribus, atque mendacibus fuisse confictum: neque enim sic potuit integritas, atque notitia litterarum, unius quantumlibet illustris Episcopi custodire, quemadmodum Script. Canonica, tot linguarum litteris, et ordine, et successione celebrationis Ecclesiasticæ custoditur: contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerent... Nos tamen non negamus illud sensisse Cyprianum, quod et stylus ejus habet quamdam propriam faciem, qua possit agnosci. Idem aperte docet, lib. 2. De Baptismo, cap. 5. ubi sic loquitur de Cypriano: Quomodo accipere potuerit veritatem contra id, quod sentiebat inventam, et si litteræ tacent, merita clamant: Epistola non invenitur, corona testatur: si Concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum: non enim parvum documentum est peccatissimæ animæ in ea unitate Martyrium meruisse, unde se diversa sentiens noluit separare. Homines enim sumus; unde aliquid aliter sapere, quam se res habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, aut invidendo melioribus, usque ad præscindendæ communionis, aut condendi schismatis, vel hæresis, sacrilegia pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere, quam res habet, Angelica perfectio est: quia itaque homines sumus, sed spe Angeli, quibus æquales erimus in Resurrectione, quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus.

DICES: S. August., ibidem, cap. 4. scribit se nescire, utrum S. Cyprianus suam mutaverit sententiam; ait enim, ipsum illam correcturum fuisse, si quis ei veritatem explicuisset, et consensum Ecclesiæ novisset; non autem ait, ipsum novisse consensum Ecclesiæ, aut aliquem hanc veritatem ei declarasse. — **Distinguo**, non novit certo, et indubitato aliquo testimonio, *concedo*: non novit probabiliter, et ex vehementi conjectura, *nego*: ait enim: « fortasse factum est, sed ne-
« scimus; neque enim omnia, quæ illo tempore gesta sunt inter Epi-
« scopos, memoriæ, litterisque mandari potuerunt, aut omnia, quæ
« mandata sunt, novimus. Quomodo enim potuit ista res tantis alter-
« cationum nebulis involuta, ad plenarii Concilii luculentam illustra-
« tionem et confirmationem perducī, nisi primo diutius per orbis ter-
« rarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collatio-
« nibus Episcoporum pertractata constarent? Hoc autem facit sanitas
« pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quærentur, et propter in-
« veniendi difficultates diversas faciunt in fraterna disceptatione sen-
« tentias, donec ad verum et liquidum perveniatur, vinculum per-
« maneat unitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus
« erroris ». Ergo si uni verum demonstranti facile Cyprianus cessisset, ex Augustino, multo magis ille cessit Africanorum et Orientalium Conciliis, priora sua decreta rescindentibus, nova et contraria emit- tentibus, et Stephani Papæ definitioni acquiescentibus.

APPENDIX.

DE CONCILIO PLENARIO, IN QUO S. AUGUSTINUS PLURIES
ASSERIT FUISSE DEFINITUM NON ESSE REBAPTIZANDOS
HERETICOS.

NON levis est inter Theologos hujus temporis controversia quodnam Concilium intellexerit S. Augustinus, ubi proscriptum asserit dogma de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis. Quidam enim Arelatense I esse conjiciunt; validissimis quidem, ut putant, freti momenti: alii Bagajense ariolantur: quibusdam Sardicense placet: non paucis arridet Capuanum: alii Constantinopolitanum adducunt in medium: nec desunt id Alexandrino tribuentes: alii denique contendunt non aliud, quam Nicænum, designari. Ut autem inter tot invicem pugnantes Auctorum sententias, quid verius existimemus, aperte constet

OBSERVANDUM imprimis Concilium istud, quodcumque tandem fuerit, vocari a S. Augustino aliquando *Concilium plenarium totius orbis*. Sic lib. 1. *De Baptismo*, adversus Donatistas, cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas, inquit, prioribus Ecclesiæ temporibus magnos viros, et magna charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit, salva pace, discrepare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint, donec Plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur. Ut et cap. 8. Restat ut hoc de Baptismo pie credamus, quod universa Ecclesia a sacrilegiõ schismatis remota custodit, in qua tamen si aliud alii, et aliud alii salva pace sentirent, donec Universali Concilio unum aliquid aliquantum, sincerumque placuisset, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis. Et paulo intra sic subjungit: Antequam Plenarii Concilii sententia quid in hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset, visum est ei (Cypriano) cum fermè 80. Episcopis, etc.*

Alias idem Concilium appellat *universæ Ecclesiæ concordissimam auctoritatem*. Sic lib. 2. *De Baptismo*, cum dixisset cap. 3. *Quis nesciat Episcoporum litteras per Concilia licere deprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est, et ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere? Ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, dum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, etc.* Subjicit c. 4. *Cyprianus tanto excellentior, quanto humilior, satis ostendit facillime se correcturum sententiam, si quis ei demonstraret Baptismum Christi sic dari posse ab iis, qui foras exierant, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi Universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, et declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat ab uno posteriore Collega patienter concorditerque correctus, quanto citius ipse cum Concilio Provinciæ suæ Universi orbis auctoritati patefacta veritate cessisset? Iterumque paulo*

post: *Quomodo potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad Plenarii Concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perducī, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus Episcoporum pertractata constaret?*

Interdum vero illud appellat *Concilium cunctarum Gentium*, et totius orbis Christiani. Sic lib. 5. *De Baptismo*, cap. 17. ait: *Neque enim (Cypriano) placeo, si ejus ingenium, facultatemque sermonis, et doctrinæ ubertatem sancto Concilio cunctarum Gentium, cui profecto interfuit per Spiritus unitatem, præponere affectum. Et paulo infra: Neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter suscipiendos ab hæreticis venientes, quam vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur, sicut Totius orbis Christiani Plenario Concilio rationabilis consuetudo firmata est, meam propono sententiam, sed Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, quam sic ille dilexit, et diligit, etc.* Ex quibus aperte liquet Concilium illud, de quo S. Augustinus loquitur, revera esse Concilium Œcumenicum, utpote cum illud appellet, non solum plenarium, sed totius Orbis Christiani Concilium, vel universam Ecclesiæ quacumque se diffundit auctoritatem, vel Concilium ex universo orbe Christiano factum, vel Ecclesiæ universæ concordissimam auctoritatem, et alia his similia, quæ passim reperies in ejus libris contra Donatistas: non enim Concilia Œcumenica aliter appellare solet S. August. quam Concilia Ecclesiæ universæ, vel universi Orbis. Sic lib. 4. *ad Bonifacium*, Pelagianorum superbiam arguit, quod jam damnati in variis Conciliis Provincialibus et nationalibus, ambirent, ut propter illos *Orientis et Occidentis Synodus congregaretur*, et Catholicum orbem, quem pervertere non potuerant, commovere conarentur. Nec aliunde certe Œcumenici nomen desumitur, nisi quia ex universo Catholico terrarum orbe convocatum est; quale a S. Aug. plenarium Concilium, de quo loquitur, collectum esse significatur: sic enim S. Leo Epist. 49. ait: *Ut vocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere possit esse universale Conc.* Quapropter septima Synodus actione 6. Constantinopolitanum Concilium, vel potius Conciliabulum contra cultum sacrarum imaginum habitum damnat, quia *non exiit, sonus ejus in omnem terram.*

OBSERVANDUM SECUNDO, Concilium illud plenarium celebratum fuisse ante nativitatem S. August.; id quippe aperte significat lib. 2. *De Baptismo*, ubi cum protulisset sententiam S. Cypriani affirmantis se non aliud sapere, quam quod decretum fuerat in Concilio celebrato ad Agripino, collectis ex Africa et Numidia Episcopis, subjicit: *Hac attestatiōe satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re trasmarinum, vel universale Concilium factum esset. Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, et hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur et quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus. Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus patefacta veritate plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur, ex ipsius Cypriani verbis in eadem ad Jubajanum Epistola, quæ in Con-*

cilio lecta commemoratur. Quibus verbis S. Augustinus aperte significat Concilium illud, in quo proscriptus fuit Donatistarum error, fuisse celebratum ante suam nativitatem; natus est autem S. Augustinus secundum aliquos anno 354. secundum alios vero anno 357. Quibus ita prælibatis,

Dico primo, non fuisse Arelatense: *primo*, quia Concilium Arelatense nullam habet ex illis notis, quibus Concilium a se laudatum designat S. Augustinus; non enim est Concilium plenarium, nec cunctarum Gentium, nec totius orbis Christiani; quippe cum huic Concilio legantur tantum subscripsisse 26. Episcopi.

Secundo, quia idem S. Doctor pluribi meminit Arelatensis Concilii, in quo testatur Donatistas victos ac superatos; nec tamen vocat illud plenarium Concilium, sed dumtaxat iudicium Arelatense; sic lib. 1. *Contra Epistolam Parmeniani*, c. 6. ubi ait: *Fatetur quoque Parmenianus ad Arelatense oppidum, et Episcopos Judices, et partes ex Africa convenisse, ubi omnia suis credidit, qui nihil victi potuerunt de Judicibus conqueri. Nec tamen negat, rursus eos ad Constantinum venisse. Et quia ibi quoque ultimo iudicio superati sunt, etiam ipsum gratia corruptum esse criminatur.* En simpliciter Episcopos Judices apud oppidum Arelatense convocatos; en Constantini iudicium ultimum appellatum, quod iudicio Episcoporum supervenerit, ut cognitam ad illis causam iterum expenderet; en utriusque iudicii parem in absolvendo Cœciliano conditionem inculcatam. Quibus ne leviter quidem plenarii Concilii meminit. Et lib. 2. *Contra litteras Petiliani*, c. 92. Pelagianos alloquens, ait: *Potentibus tum Majoribus vestris Episcopale iudicium dederat Constantinus, et apud Romam, et apud Arelatum, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis.* Similia habet Ep. 68. et lib. 4. *Contra Cresconium*, cap. 2. et in breviculo collationum cum Donatistis collatione tertiæ diei, cap. 5. 12. 19. et 22. et alibi sæpe.

Tertio, quia S. August., Epist. 62. aperte testatur Arelatense Concilium non fuisse plenarium, ibi enim redarguens Donatist. quod post Melchiadis iudicium non apud Concilium plenarium, sed apud Imperatorem Judices suos accusare ausi fuissent, quod male iudicassent. et dicerent malos Judices se esse perpeccos, *Quæ vox est, inquit. omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati.* Subdit: *Quasi non eis ad hoc dici posset, et justissime dici: Ecce putamus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium. ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si male iudicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur. Quod utrum fecerint probent; nos enim non factum esse, facile probamus, ex eo quod totus orbis non iis communicat, aut si factum est, etiam ibi sunt victi, quod ipsa eorum separatio manifestat. Sed tamen quid postea fecerint Imperatores, litteris sufficientissime ostenditur: Judices enim Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum iudicio, et Cœciliani innocentia, et eorundem improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod male iudicarent. Dedit ille aliud Arelatense Iudicium aliorum Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omnino cupiens tantam*

impudentiam prohibere. Quibus verbis significat Concilium Arelatense non esse plenarium illud Concilium, cujus toties meminit, quippe dicit Donatistarum causam nondum esse in plenario Concilio eliquatam, sed dumtaxat in Arelatensi. *Confirmatur*, quia ubi S. August. agit de rebaptizandis hæreticis, numquam mentionem facit Conc. Arelatensis, sed solum ubi sermo est de causa Cœciliani: igitur signum est manifestissimum, illum non existimasse quæstionem de rebaptizatione in Concil. Arelatensi fuisse definitam. *Insuper* asserit in illo Concilio rem post magnos dubitationis fluctus discussis ambagibus, remotis dubitationibus, totius Ecclesiæ concordissima auctoritate firmatam, seu ultimo judicio generalis Ecclesiæ perspicue definitam fuisse: atqui hæc non possunt dici, nec ab Augustino intelligi de Synodo Arelatensi, ut patet ex dictis.

Denique, ut Concilium aliquod habeat veram ac perfectam rationem Conc. plenarii et Œcumenici, convocari debet auctoritate, aut saltem consensu Sum. Pontificis quamdiu indubitatum Ecclesiæ caput est, ut præclare docet Perronius Cardinalis, cap. 42. ad Regem Anglicanum. Unde S. Leo, Epist. 61. quam Synodo Calcedonensi scribit, *Propter fidei causam*, inquit, *generale Concilium, et ex præcepto Christianorum Principum, et ex consensu Apostolicæ Sedis congregari placuit.* Quapropter Julius I Orientales arguit, quod Synodum universalem se inconsulto celebrare tentassent; *Cum Ecclesiasticus Canon*, inquit, *prohibeat, ne præter sententiam Romani Pontificis administrantur Ecclesiæ*, etc. Sed Concilium Arelatense primum sine ulla Romani Pontificis participatione vel consensu a Constantino solo Imperatore convocatum est, ut constat tum ex rescripto Imperatoris, tum ex Epist. Synodica Patrum ejusmodi Concilii ad Silvestrum Sum. Pontificem, ubi ita scribunt: *Ad Arelatensium civitatem Piiissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te, religiosissime Papa, cum merita reverentia salutamus.* Et intra: *Utinam, Frater dilectissime, ad hoc tantum spectaculum interesses: tanti fecisses profecto credimus, quia in eo severior fuisset sententia prolata, et te pariter nobiscum judicante, cætus noster majore lætitia exultasset*, etc. Non ergo huic Concilio aderat summus Pontifex, nedum per se, sed nec per suos Legatos. Igitur Concilium istud nullâ ratione censeri potest totius orbis Christiani, quippe cum ei summus Pontifex Ecclesiæ visibile caput non adesset.

DICES 1: Concilium illud appellari potest ad mentem S. Augustini Catholicum totius orbis, atque cunctarum Gentium, ad quod ex omnibus mundi partibus Episcopi convocantur: atqui hæc ratione Concilium Arelatense dici potest Catholicum, seu Œcumenicum; nam S. Augustinus, lib. *De unitate Ecclesiæ*, cap. 2. loquens de Synodo Arelatensi, scribit: *Restabat utique ut Episcopi transmarini, qua pars maxima diffundebatur Catholicæ Ecclesiæ, de Afrorum colligarum dissensionibus congregarentur: igitur*, etc. — **Respondeo ad majorem**, non sufficere ad Conc. Œcumenicum, quod aliqui Episcopi ex totius mundi partibus convocentur: sed omnes quotquot sunt in Christiano orbe convocari debent, quemadmodum S. August. significat, lib. 2. *De Baptismo*, c. 3. cum ait: *Quis nesciat ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ambagibus cedere?* Ex quo intert Sanctum

Cyprianum consensurum universi orbis auctoritati, si tale Concilium plenarium suo tempore actum fuisset. *Respondeo secundo* negando *minorem*, nam Concilium Arelatense non est coactum ex universi orbis partibus, sed ex Occidente tantum; imo ex aliquibus dumtaxat Occidentis partibus, nempe Italia, Africa, Hispania, Britannia, Gallia, unde etiam 26. tantum Episcopi ei Concilio subscripsisse videntur; quamquam enim Ado sexcentos recenseat, ab omnibus rejicitur. *Ad Sanctum Augustinum* dico, ipsum per illud *Concilium Transmarinum*, non significare aliquod Concilium reipsa celebratum, sed quod Donatistæ potuissent postulare; quod tamen non fecerunt, aut si revera Concilium istud illis datum est, quod tamen non admittit S. Aug. in eo damnati sunt; quippe cum universus orbis cum ipsis non communicet. Unde post verba in objectione laudata, ait: *Hoc si factum non est, culpa eorum est a quibus fieri debuit; non orbis terrarum, qui non ad se perlata nescivit. Si autem factum est, quid peccaverunt Ecclesiastici Judices, qui crimina etiamsi vera, et ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Numquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, et aliqua vel seguitia, vel cohibentia tales a communione remove noluerunt, et perverso judicio pro eis etiam dixerunt sententias: quid peccavit orbis terrarum, qui causam illam malos Judices habuisse nescivit, et eos male judicasse non credidit, de quibus judicare non potuit?* Ex quibus apparet per transmarinum judicium non intellexisse S. Augustinus Synodum Arelatensem; etenim de illo transmarino judicio suspensus ac fluctuans loquitur, et ex hypothese quod habitum fuerit: compertissimum autem erat S. Augustino reipsa coactum fuisse Arelatense Concil. in quo toties testatur Cœcilianum fuisse absolutum, et Donatistas illius accusatores damnatos.

INSTABIS: Concilium secundum Arelatense celebratum an. 330. ut vult Petrus Saxius, aperte significat Can. 18. in prima Synodo Arelatensi sedisse Præsules ex omnibus mundi partibus collectos; ait enim: *Ad Arelatensis Episcopi arbitrium Synodum congregandam, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, sub S. Martini (Marini) tempore, legimus fuisse celebratum Concilium, atque conventum, etc.*: igitur Arelatense primum revera censi debet Concilium plenarium totius orbis. — **Nego consequentiam**: illud enim Concil. coactum dumtaxat fuit ex orbe Latino, imo etiam ex quadam orbis Latini parte. Quod utique non solum apparet ex dictis, sed maxime ex Epistola Episcoporum ejusmodi Concilii Arelatensis primi ad Silvestrum Summ. Pontificem; non enim ajunt se congregatos ex omnibus mundi partibus, sed diversis: *Quam diversæ, inquit, sint Provinciæ, ex quibus advenimus, ita et varia contingunt, quæ nos censemus observari debere.* Nec obstat, quod in Epistola Constantini ad Crescum Syracusanum Episcopum legamus, secundum versionem Valesii, *Ex locis diversis, et prope infinitis*; nam in alia versione, quæ extat in nupera editione Conciliorum legimus, *ex diversis compluribus locis.* Nec aliud certe inferre licet ex ipsamet Episcoporum Epistola; sunt enim dumtaxat n. 26. Episcopi, qui ejusmodi Synodicæ Epistolæ subscripserunt.

INSTABIS: S. August. loquens de controversia exorta inter Primi-

nianum et Maximianum Carthaginenses Pseudo-Episcopos, quorum primum centum Episcopi Donatistæ damnaverant, trecenti vero absolverant; conferens cum eis Cœcilianum Carthaginensem legitimum Antistitem scribit: *Quod si vos forte numerus movet, ut ideo contra centum, a quibus damnatus est Priminianus, valere arbitremini Bagajense Concilium, quia in eo trecenti et decem fuerunt; cur in majori numero Episcoporum orbi terrarum consentire non vultis?* Quibus significat causam Cœciliani libratam fuisse ab Episcopis ex toto terrarum orbe collectis, sed a numeroso Episcoporum cœtu non fuit alibi ventilata ac definita causa Cœciliani, quam in Synodo Arelatensi: igitur revera censet Synodum Arelatensem esse Concilium totius orbis terrarum.— **Nego sequelam majoris:** non enim hunc majorem numerum Episcoporum S. August. ad eos refert, qui judicarunt, sed qui judicantibus crediderunt, ac eis credentes censuerunt Cœcilianum revera innocentem fuisse, et immunem ab omnibus, de quibus a Donatistis accusatus fuerat. Unde non ait: cur majori numero Episcoporum consentire non vultis? sed cur in majori numero Episcoporum, qui nempe legitime absolutum Cœcilianum credunt, consentire non vultis? Eo sensu quo lib. 2. *Contra Cresconium*, cap. 61. dixit: *Omnes, qui tunc erant, vel in propinquis, vel in remotis terris tum longe lateque diffusi Catholici Christiani, ad quos fama de Cœciliano, et de collegis ejus potuit pervenire, non debuissent accusatoribus victis, sed Ecclesiasticis iudicibus credere; quia ubi iudices omnes esse non possumus, melius illis, qui esse potuerunt, iudicibus credimus, quam credendo litigatoribus victis, quorum esse iudices non potuimus, de ipsis iudicare. iudicibus audeamus.*

URGEBIS: Si quid obsesset quominus Concilium Arelatense diceretur non solum universale, sed et œcumenicum totius orbis, maxime quia ex toto orbe Episcopi convocati ad ipsum non convenerant: sed hoc non officit; siquidem Concilium Constantinopolitanum primum solum instituebant Orientales Episcopi: nec minus tamen Œcumenicum et generale appellatur. Hac ratione pariter Concilium Tridentinum non diceretur universale et Œcumenicum, quia nullus ei ex Oriente adfuit et magna pars defuit Occidentis: quidni igitur Arelatense similiter, quamvis ex Occidente convocatis Episcopis celebratum, si non Œcumenicum, saltem universale censi debeat? — **Nego minorem,** et ad ejus probationem dico Concilium Constantinopolitanum primum idcirco dici generale et Œcumenicum, quod junctum sit cum Romano eodem tempore celebrato sub Damaso Papa, ex Occidentalibus Episcopis, qui Constantinopolitano interesse non potuerant, nec Orientales interesse Romano; nihilominus eadem utrique quantum ad res fidei decrevissent, et quæ sancita fuerant Constantinopoli, Romæ fuissent probata. *Ad Concilium Tridentinum* dico, non mirum videri debere si Orientalis Ecclesiæ Præsules ipsi non adfuerint; quia eo tempore habitum est, quo schismaticus Oriens erat; nec Episcopi tales erant, qui convocari possent, aut convocati vellent convenire; quia se a Papæ convocantis auctoritate subdlexerant; ac propterea plerimum non desinebat esse, etsi Orientales non adessent. Ex illis tamen adfuisse notantur decem nominatim, et inter illos Macharius Chiensis Græcus Archiepiscopus Thessalonicensis, facta fidei professione, ac debita submissione cum Latinis admissus est.

Dico secundo, Concilium istud plenarium nec fuisse Alexandrinum celebratum anno 362. neque Constantinopolitanum celebratum anno 381. neque Capuense celebratum anno 377. vel, ut vult Baronius, anno 389. quia, ut diximus in *secunda observatione*, Concilium istud, in quo proscriptus est rebaptizantium error, celebratum est ante nativitatem S. Augustini; natus est autem S. August. anno 354. vel ad summum anno 357. ac subinde priusquam cogerentur præfata Concilia.

Dico tertio, multo minus nomine Concilii plenarii S. August. intellexisse Concilium Bagajense celebratum anno 310. ab Episcopis Donatistis, ut ortum inter eos schisma sedaretur; quamquam enim pluribi S. Aug. Concilium istud appellet nunc plenarium, nunc universale, maxime lib. 2. *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. 3. ubi scribit: *Quid ergo ponunt, quod in ipso detorqueri non possit, nisi forte de oris aspidum quorum multo ante memiverat Dictator illius sententiæ plenarii Concilii 310. qui cum universis Provinciis Africæ convenerant.* Et paulo infra sic eos describit: *Trecenti decem plenarii Concilii ore veridico suos Maximianistas per eandem plenarii Concilii sui sententiã, talia dixerunt.* Idem habet lib. 2. cap. 7. et alibi sæpe. Licet, inquam, plenarii appellationem isti Concilio assignet, non tamen appellat plenarium simpliciter et absolute, sed plenarium Donatarum; sic nempe lib. 3. *De Baptismo*, cap. 2. ait: *Maximianistas plenario Concilio suo damnatos,* etc. Et *Contra Epistolam Parmeniani*, lib. 2. cap. 2. *Plenarii Concilii sui sententiã dixerunt,* etc. Et *Contra Litteras Petiliani*, lib. 2. cap. 15. *Testis est plenarii vestri Concilii sententiã.* — Addere possum, quod cum Donatistæ præpostera præsumptione asserrerent, Ecclesiam ubique terrarum periisse, et solum remansisse integram penes suos sectatores in Africa; volebantque de sua dumtaxat Ecclesia intelligi illud Cant. 1. ubi Ecclesia Christum suum divinum Sponsum mystice alloquens, ait: *Indica mihi, ubi cubes, et ubi pascas in meridie?* quia nempe Africa meridiana mundi pars est. Cum, inquam, Donatistæ ita desiperent, S. Augustinus non serio et ex proprio sensu, sed ex falsa Donatarum imaginatione Concilium illud appellat universale et plenarium, quia in eo convenerant omnes Donatistæ, qui suam Ecclesiam universalem plenariam appellabant. Sic enim lib. 4. *Contra Cresconium*, cap. 8. « Cum ergo dixerim si quæ essent vera vestra docu-
« menta, vos Ecclesiæ Catholicæ ea probare debuissetis, ut vos intus
« essetis; illi autem, quos convinceretis pellerentur foras, quid est,
« quod respondere voluisti, ideo separationem factam, quod nos foras
« essemus propulsi; vestri autem in Ecclesia Plenaria, et Catholica
« remanserunt? » Et mox hæc ipsam Ecclesiæ illorum plenariæ præsumptam notionem irridens: « Hoc si totidem verbis, *inquit*, vobis
« Maximianenses ipsi dicant, quid respondebis, nisi non refelli dignos,
« sed tantum rideri, qui *Ecclesiam Plenariam* cum Episcopis jam minus
« quam centum contra tantam numerositatem, ac multitudinem cui plu-
« squam trecenti præsentent, audeant affirmare? Cum per omnes Africæ
« regiones, ubi Maximianenses sunt, non desiit etiam communio Pri-
« miani; per alios autem multo plures, multoque latiores Africæ partes
« unum Maximianensem nemo reperiatur, nisi forte peregrinantem: quo
« igitur ore contra Ecclesiam a Solis ortu usque ad occasum promissam
« voce veritatis, et redditam audes *Ecclesiam Plenariam* dicere

« partem Donati: cum ipsa non sit nisi Africæ; illa vero cum tot « Gentibus sit et Africæ ». Ex his apparet qualiter *Plenariam* et *Ecclesiam Catholicam* Donatistæ non agnoscerent, nisi suam, tametsi solis Africanis terminis limitatam. Quid ergo mirum, si *Plenarium Concilium*, intelligerent suo sensu ad Ecclesiam universam pertinens, quam putabant, et contendebant impudenter sua dumtaxat parte contineri? Hoc nempe sensu *Plenarium* et *Catholicum* Augustinus per ironiam supradictis omnibus locis juxta mentem illorum usurpavit; non quod pro Concilio provinciali, regionali, vel non Œcumenico plenarium putaret sumi posse: cum alioqui suo sensu tot locis prius recensitis hanc ipsam vocem de orbe toto, vel Ecclesia universa tam evidenter explicarit, ut *Contra Litteras Petiliani*, lib. 1. cap. 22. *Ecclesie per tot Gentes diffusæ* Plenariam et Catholicam unitatem appellat.

Dico quarto, per Concilium plenarium S. August. non intellexisse Concilium Sardicense: tum quia inter Canones Sardicenses nullus legitur, quo prohibeatur iteratio Baptismi: tum quia S. Augustinus non videtur aliud Sardicense Concilium agnovisse præter Conciliabulum Sardicense celebratum ab Arianis eodem tempore, quo legitimum Sardis agebatur Concilium: sicut colligitur lib. 3. *Contra Crescon.*, cap. 34. Cum enim Donatistæ gloriarentur, quod in principio Epistolæ Synodalis Concilii Sardicensis inscriptum esset nomen Donati Carthaginensis Episcopi; sicque Orientales Episcopi eis communicarent: *respondet* S. Augustinus: « Disce ergo quod nescis, Sar- « dicense Concilium Arianorum fuit, etc. ». Unde subdit causam cur Orientales quidam Episcopi communicarent Donatistis, nempe ait: « Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere ».

Dico ultimo, nomine Concilii plenarii S. Augustinum non aliud intellexisse, quam Nicænum: quod utique tam apertum, tamque manifestum visum iis, qui S. August. editiones recensuerunt, ut ad marginem textus quotiescumque *plenarium* exprimit, non aliud notarint quam Nicænum. Ita evidens Maldonato, cum de Sacramento Baptismi agit, ut ex multiplicibus S. Augustini testimoniis ab eo tantum indicatis, necessario colligendum asseruerit, quod intelligi de Nicæno debeant, quæ in iis omnibus locis de plenario S. Doctor affirmat; ita demum evidens Bellarmino, ut nullam causam dubitandi subesse affirmarit: cum Concilium orbis terræ ante nativitatem suam celebratum, expresse dicat, nec aliud Concilium esse potuerit, aut fingi possit quam Nicænum, utraque illa tam insigni expressione designatum.

Probatur insuper primo, quia omnes notæ, quibus designat Concilium istud sanctus Augustinus, maxime quod fuerit Concilium totius orbis Christiani, apprime Nicæno conveniunt: siquidem S. Athanasius, *Apolog.*, 2. Concilium Nicænum appellat magnam Synodum, et de eo scribit in Epistola, quam ad ipsos Africanos dirigit, quod omnem terram habitabilem, sive orbem implebit universum, nec Indi tantum illud, sed quotquot sunt apud alios quosque barbaros Christiani noverunt; quin et Epistola Synodali de Arimini et Seleuciæ Synodis ad Constantinum Imperatorem, quam ipse habet, legimus de Concilio Nicæno, quod illius doctrina in omnium aures vel mentes penetravit, vel ut publice, ubicumque terrarum penetrat promulgata. Non leve igitur indicium est, quod in hoc universali Concilio non multum diu

post excitatam de hæreticis rebaptizandis controversiam, et post Synodum Arelatensem celebratam, actum fuisse ea de controversia, quæ Africanos schismate tam horrendo et tam pernicioso dividerat; cum potissimum Cœcilianus præsens esset, qui maxime tam gravis contentionis a Donatistis fingebatur occasio.

Secundo, idem S. Athanasius Epistola ad Epictetum scribit, in Nicæno Concilio omnes hæreses fuisse profligatas: *Existimabam*, inquit, *omnem omnium, quotquot fuerunt, aut sunt, hæreticorum vaniloquam garulitatem Nicæno Concilio compressam esse, ac sopitam: nam fides, quæ secundum Scripturas ibi a Patribus tradita est, sufficiens est ad quamlibet impietatem evertendam, et ejus, quæ in Christo est fidei, stabiliendam pietatem*. Subdit paulo infra: *Nulla in Catholica Ecclesia Synodus præter unam Nicænam æstimanda, quæ omnium hæresum profligatarum, atque imprimis Arianae, trophæum habenda est*. Quomodo autem ad quamlibet hæresim evertendam, non Arianam tantum sufficiens dicitur, si hæresim Donatistarum, seu rebaptizantium, de qua tot lites, totque tumultus non ita pridem excitati fuerant, non proscripsit? quomodo vaniloquentiam omnem hæreticorum quorumcumque confudit, omnem impietatem et irreligionem evertit, piam omnem in Christo Domino fidem solidavit, hæresum demum univ ersarum generale trophæum fuit, si adversus aliquos, et præsertim adversus eos, puta rebaptizantes, nihil plane decrevit?

Tertio, S. Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos*, cap. 9. respondens ad interrogatum Luciferiani, quod expresserat, cap. 8. *Quare ab hæreticis baptizati suscipiuntur?* post prolixam responsionem, in qua etiam meminit controversiæ inter SS. Stephanum et Cyprianum, tandem concludit: *Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosatani Discipulis*, etc. Quomodo autem hæretici penitus omnes, præter Pauli Samosatani discipulos, quia non in nomine Trinitatis Baptismum receperant, in illo Concilio recepti sunt, si de Baptismo Africanorum, et controversia Donatistarum nil prorsus actum est?

Denique, Concilium istud quod plenarium appellat S. Augustinus, generale fuit et Œcumenicum, ut jam diximus, ante ipsius S. Augustini nativitatem celebratum: sed antequam natus esset Augustinus, nullum aliud Concilium generale, præter Nicænum, celebratum fuit, quod S. Augustino notum esset: nec, ut dictum est, Sardicense legitimum prorsus ignoravit.

DICES: S. Augustinus illud Concilium intellexit, cujus Canones noverat: sed Canones Nicæni Concilii sibi non erant noti ante sextum Carthaginense Concilium; cum enim in eo orta esset contentio de appellatione ad summum Pontificem, quam licitam esse ac probatam ferebatur in Concilio Nicæno, jussit Concilium Nicænum Canones disquiri ex primariis Sedibus; hoc est Alexandrina, et Constantinopolitana, ut quid in eo decretum esset, appareret: igitur S. Augustinus non noverat quid decretum fuerat in Nicæna Synodo. — **Respondeo ad minorem**, quod si Augustinus non noverit quid decretum fuisset in Nicæna Synodo, antequam conquisiti fuissent illius Canones ex primariis Sedibus, sequeretur, quod non magis probe tenuisset, post inventos Canones, quid in ea Synodo decretum esset circa rebaptizationem

hæreticorum: quia non plures, quam qui circumferuntur Canones in prædictis Sedibus inventi sunt: attamen aliquid de ejusmodi controversia determinatum fuisse liquet ex his momentis, quæ statim protulimus. Potuit ergo S. Augustinus probe tenuisse, quid actum fuisset in Concilio Nicæno circa controversiam Donatistarum, vet ex fama per totum orbem pervagata, juxta testimonium S. Athanasii, maxime vero per Africam, quippe cum isti Concilio præsens fuerit Cœcilianus, qui noverat quod in eo decretum quoad rem illam, quæ maxime ad Afros pertinebat, ut inde posset ad Augustini notitiam post aliquantum tempus, per aliorum traditionem pervenire, cum in Africa ipse viveret. Adde quod falsum appareat ipsum nescisse Canones Nicæni: quippe cum in lib. *De Hæresibus*, hæresi 44. scribat: *Pauliniani a Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed ejus initium ex quo de Maria natus est asseverant, nec eum aliquid amplius, quam hominem putant. Istos sane Paulinianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cum de Catholica discenderent, abstulerunt, eamque custodiunt. Quasi per oppositum, virtualiter saltem et implicite dicat visos non esse Concilio rebaptizandos illos, qui Catholicam Baptismatis regulam in hæresi retentam semper observarent.*

OBJICIES 2. SS. Patres, Epiphanium et Basilium, qui non obscure significant, nil præscriptum ac definitum fuisse in Concilio Nicæno circa non rebaptizandos ab hæreticis baptizatos. Primo namque S. Epiphanius in Anacephaleosi, p̄bst enumeratas Hæreses n. 8., quosdam errores alios perstringens, sic habet: *Alii, qui audaciores videntur, ex Catholicorum partibus privata sibi factione conflata præter Ecclesie consuetudinem, ac citra generalis Concilii decretum, eos qui ab Arianis ad suas partes transeunt, iterum baptizare nihil verentur, cum nondum ea res, ut dixi, universali judicio decisa sit, etc.* Sed nulla ratione id assereret, si quæstio ista definita fuisset in Concilio Nicæno: nam S. Epiphanius scripsit istum librum anno 11. Valentiniiani, et Valentis, ut ipsemet indicat in præfatione ejus operis, hoc est anno 374. Concilium autem Nicænum celebratum est anno 321. aut 325. *Nec valet reponere, forte Canones Cone. Nicæni latuisse S. Epiphanium; contrarium enim ipsemet revincit: nam Hæresi 69. quæ est Arianorum pag. 11. scribit: Imperator Ecclesie consulens, (Ecumenicam Synodum colligit 318. Episcoporum... eadem in Synodo Canones quidam Ecclesiastici conditi sunt, necnon et de Paschatis celebratione, etc. — Deinde S. Basilium, Epist. 1. liberam facultatem admittit rebaptizandi, vel non rebaptizandi baptizatos a Catharis, et Encratitis, et Hidroparastis, etc. ait enim: Antiquis visum est, Cypriano dico, et nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subijcere, Catharos, Encratitas, etc. Quare eos, qui ab ipsis hæreticis baptizati erant... jusserunt ad Ecclesiam venientes vero Ecclesie Baptismo expurgari: sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter meritorum æconomiam, et dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur. Et intra: Existimo ergo, quod quoniam nihil est de his, nempe Encratitis, aperte dictum, oportet nos eorum Baptismum abrogare. Quod si hoc universali æconomice sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, et sequi oportet*

Patres, qui quæ ad nos pertinent prouiderunt. Sed si controversia illa definita fuisset in Concilio Nicæno, neque S. Basilius hanc disceptationem ad œconomiam tantum, sed ad fidem pertinere nuntiasset, neque liberum faceret, ut unusquisque suæ regionis consuetudinem servaret in baptizandis, vel rebaptizandis hæreticis: igitur, etc. — **Respondeo ad S. Epiphanium**, eum ibi quæstionem Baptismi non tractare ex professo, sed hoc obiter solum per aliam occasionem de Arianis dicit, quos aliqui rebaptizabant, licet nulla Synodus decreuisset; ait enim: « student quidpiam sibi præter Canones arrogare ab orthodoxis incitati, ac sibi ipsis conuenticulum congregantes; quin et absque Synodi Œcumenicæ statuto rebaptizare, qui veniunt ex Arianis; cum nondum hæc res ullo statuto, vel decreto Synodi decisa sit, propter quod permixtum adhuc degunt populi, ac inter se mutuo converſantur, et multi quoque orthodoxi sunt, ac simulate cum Sacrorum Ministris junguntur, donec blasphematoris hujus hæresis manifesta segregatio fiat, et tunc ea definiuntur, quæ contra illam pugnant ». Quibus verbis Epiphanius non asserit, nihil fuisse statutum de non rebaptizandis baptizatis ab hæreticis: contrarium enim aperte docet S. Augustinus asserens, ut hæreticos fuisse condemnatos, qui contrarium assererent, etiam longe ante nativitatem suam, quæ utique multis annis Episcopatum Epiphanii antecessit, sed dumtaxat innuit, quod nihil adhuc distincte circa rebaptizandos ab Africanis venientes Ecclesia statuisset. *Ad S. Basilium* dico, ipsum de Baptismo hæreticorum admittendo, indefinite non dubitasse, sed solum de Baptismo illorum, qui nati essent in hæresi, vel qui Baptismi formam non tenerent in mente, quam ore protulerant, ut colligitur ex Epistola prima ad Amphiloehium, ubi significat, quod quia hæreticos, et eorum Baptismum juxta Ecclesiasticam regulam datum, Concilium Nicænum susceperat; non declaraverat autem, an etiam intelligeret hæreticos, qui de divina Trinitate absurde et impie sentientes, errarent circa legitimam formam Baptismi, licet integram illam et legitimam formam pronuntiarent; utrum, inquam, ab eis collatus Baptismus esset legitimus, necne, in dubium revocare videtur.

OBJECES 3. Concilium Nicænum nil expresse definit circa non rebaptizandos hæreticos indefinite; quia de solis Paulianistis rebaptizandis agit: igitur S. August. per plenarium Concilium, in quo ventilatum et damnatum dicit Donatistarum dogma, non intelligit Nicænum, sed Arelatense, in quo id expresse definitum est. — **Respondeo primo**, quod etsi nullus Nicænus Canon modo reperitur, qui rem illam expresse definiat, inde non esse consequens nullum antea extitisse; cum extitisse quosdam ex variis testimoniis constet; siquidem S. Hieronymus in Præfatione in lib. *Judith* ait: hunc librum Judith Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse: ubi autem Nicænus ille Canon ubi legatur iste liber computatus? S. Ambrosius Epist. ad Vercellensem Ecclesiam scribit, *Interdictam a Synodo Nicæna Bigamorum ordinationem*. S. Augustinus, Epist. 110. testatur definitum fuisse in Concilio Nicæno, ne duo Episcopi in eadem civitate simul sederent: *Adhuc, inquit, in corpore posito B. memoriæ Patre et Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse*

nesciebam. Ubi sunt autem canones ejusdem Concilii, qui modo istud prohibeant? Potuit ergo S. August. rescire damnatos fuisse Donatist. in Concilio Nicæno fama vulgante per totum orbem, et apud Catholicos invalescente, quod de ea damnatione editus fuerit ille canon; quamvis cum aliis quibusdam injuria temporum periisset, unde fit, quod S. August. nusquam Nicæni nomen expresserit, quoties sermonem instituit de Concilio plenario, vel quia ea de re canon expressus non extaret, aut eum forte non vidisset. Quod autem non respexerit ad Concilium Arelatense, præter superius dicta, inde etiam fit compertum, quod Canonem Conc. Arelatensis sibi aliunde compertum nusquam expresse laudaverit, sicut alia multa in utramlibet partem ad hujusmodi controversiam pertinentia, ex Conciliis ipsis hæreticorum refert nominatim, quanto magis ex Concilio Catholicorum, si Canonem illius plenarii Concilii vidisset? Nec enim est eadem ratio de Nicæno, quod non sic ei notum fuit, ac de Arelatensi, quod notissimum sibi fuisse, satis probat, cum ad præmissam causam defendendam toties illud urget. *His adde.* quod forte tunc temporis nondum Latine redditi erant, nec consequenter Latinis et Africanis comperti octoginta illi Canones. quos ex Arabico exemplari ab Alexandrino Patriarcha precario acceptos, et in Latinum translatos, edi curaverunt Alphonsus Pisanus, et Franciscus Turianus Theol. societ. Jesu; quos utique omnes Canones Abrahamus Echelem natione Syrus, et religione Maronita. genuinos esse demonstrare nisus est. Porro inter hos Canones unus est, in quo prohibetur, rebaptizandos hæreticos; quem utique Canonem tama disseminante rescire potuit S. August.; at cum ipsius tenor illi non esset compertus, idcirco expresse illum laudare noluit.

INSTABIS: S. August. nomine Concilii plenarii intelligit illud Concilium, in quo eliquata fuit Donatistarum causa; ait enim, lib. 2. *De Baptismo*, cap. 9. *Dum inter multos ex utraque parte tractatur, et quæritur, non solum incerta est (veritas) sed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta:* at illa non fuit librata in Concilio Nicæno; quippe cum ex Africanis Episcopis solus Cæcilianus ei interfuisse legatur: igitur, etc. — **Respondeo,** S. August. censere Donatistarum causam non alibi, quam in universali et plenario Concilio, ubi dicitur definita, ad auctoritatem, roburque perductam: siquidem, lib. 2. *De Baptismo adversus Donatistas*, cap. 4. ait: *Diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc Episcoporum disputationibus et collationibus pertractatam illam causam fuisse.* Unde etiam S. August. non in eodem Concilio id factum significat; sed in singulis Conciliis, quæ magna charitate præditi Patres vel Episcopi separatim in suis quibusque Provinciis et regionibus habuerunt: scribit enim, lib. 1. cap. 7. *Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesie temporibus ante schisma Donati magnos viros, et magna charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutarerint: donec plenario totius Orbis Concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.* — *Adde quod* etiamsi Donatistæ non adfuerint Concilio Nicæno, nihilominus eis absentibus disceptari potuit, ac utriusque librari eorum dogma a

Catholicis, absentium objectiones proponentibus, et solventibus, ut definitio fieret explicatior; quemadmodum licet Lutherani, aut Calvinistæ in Concilio Tridentino disceptatores non fuerint, nihilominus utrinque agitatum est eorum dogma a Catholicis Theologis, ut inde Catholica veritas constantior effulgeret.

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM, ET QUALIS INTENTIO REQUIRATUR IN MINISTRO SACRAMENTORUM.

NOTANDUM 1. Ex Doctore in 1. dist. 6. q. 5. n. 2. quod cum in administratione Sacramenti duo possint spectari: nempe Sacramentum ipsum, et id quod sequitur Sacramentum; per *Sacramentum* intelligo signum sensibile rei sacræ ordinatum ad hominis sanctificationem; per *id autem quod sequitur Sacramentum*, intelligo finem, quem quisque minister Sacramentum conferendo sibi proponere possit, puta, si quis conficiat Eucharistiam, vel propter lucrum inde capessendum, vel propter obtinendam aliquam gratiam, et superandas aliquas tentationes. Ita duplex in Ministro potest intentio distingui: una, quæ respicit Sacramentum ipsum conficiendum et ministrandum modo debito et valido; alia vero, quæ intendit finem assequendum per Sacramentum. *Talis autem finis*, inquit Doctor n. 3., *est duplex, scilicet principalis, et remotus, utpote, quod baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non potest si non habeat gratiam, per quam est dignus vita. Alius est proximus, et minus principalis, ut scilicet baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesiæ militantis. Et utrumque finem potest aliquis intendere in universali, vel in particulari.* Quæritur itaque, quænam ex illis intentionibus requiratur ad valide conficiendum et ministrandum Sacramentum.

NOTANDUM 2. Quod cum Sacramentum possit spectari, vel materialiter, quatenus nempe constat rebus et verbis sensibilibus, physice et secundum suam entitatem spectatis; vel formaliter et moraliter, videlicet quatenus est signum rei sacræ ordinatæ ad hominis sanctificationem; ita etiam distingui potest duplex intentio Ministri, nempe interior, et exterior. *Exteriorem* appello, per quam aliquis intendit dumtaxat administrare Sacramentum materialiter spectatum, idest, adhibere res et verba, ex quibus Sacramentum conficitur et constat, nulla facta attentione ad ejus significationem et efficacitatem moralem. *Interioriorem* vero dico, per quam aliquis intendit administrare Sacramentum formaliter sumptum, idest, sub ratione formali Sacramenti; quatenus novit rem et verba quæ adhibet, ordinari ad hominis sanctificationem et salutem.

Insuper intentio interior, alia est directa, alia indirecta. *Indirecta* est, qua per se res non intenditur, sed ratione alterius; talis est intentio homicidii in homine ebrio, qui per se quidem directe tantum intendit largiorem vini potationem, ex qua nihilominus prævidet futurum homicidium: quam etiam intentionem nonnulli *interpretaticam* appellant: *Directa* vero ea est, per quam res aliqua per se et directe intenditur; qualis esset intentio homicidii ab homine mentis et rationis compote.

NOTANDUM 3. Intentionem directam solito distingui triplicem, nempe habituales, virtuales, et actuales. *Habitualis* est illa facilitas, pronitas, et inclinatio Ministri ad conficiendum Sacramentum comparata ex frequenti ejus administratione. *Virtualis* ea est, per quam Minister censetur agere virtute prioris intentionis, quam actu formavit, nec eam retractavit, aut mutavit, quamvis de facto et actu non attendat ad id quod exequitur, nec cogitet de Sacramento conficiendo et ministrando, quando de facto illud conficit aut ministrat. *Actualis* tandem ea est, per quam Minister actu et de facto intendit Sacramentum conficere, dum illud conficit aut ministrat. — *Rursus* actualis et virtualis intentio duplex distingui potest; alia quidem absoluta; alia vero conditionata. *Absolutam* dico, qua quis absolute et efficaciter intendit alicui conferre Sacramentum et illius effectum. *Conditionatam* vero, qua tantummodo id intendit sub conditione; idque vel sub conditione de futuro, vel de præterito, vel de præsentī: puta, si quis Sacerdos intenderet absolvere pœnitentem ea dumtaxat conditione, vel quod debite confessus fuerit, vel quod revera doleat de peccatis, et firmum propositum non peccandi de cætero habeat, vel quod nullatenus peccet imposterum. — *Denique*, intentio absoluta duobus modis determinari potest: *primo* quidem ad materiam et subjectum præsens, abstrahendo ab eo, quod materia sit hæc materia, vel hoc subjectum: *secundo*, ad hoc aut illud subjectum, hanc vel illam materiam in particulari.

His ita præmissis, resolvendum est, utrum, et qualis intentio requiratur ad confectionem et ministrationem Sacramenti. Lutherus, et Calvinus, eorumque sectatores negant, ullam intentionem esse necessariam ex parte Ministri. Lutherus enim in *Assertionem* articulorum damnatorum per Bullam Leonis X art. 12. ait, quod si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat se esse absolutus, verissime est absolutus; quoniam, ut docet, Sacramentum institutum est tantum ad excitandum fidem de apprehendenda divina promissione, per quam fidem apprehensivam censet hominem justificari. Calvinus autem in *Antidoto* Canonis Sess. 7. de Sacramentis Concilij Tridentini, aliam proferens rationem ait: *Quod de intentione consecrandi garriunt Sophistæ nulla probabili ratione fuit proditum: nam si intentio Ministri esset necessaria, nemo est nostrum, qui certum sui Baptismi se facere ausit, etc.* Unde subdit: *Ego vero sacrosanctæ institutioni tantum defero, ut si Epicureus quisquam inter totam actionem subsannans, mihi cœnam ex Christi mandato, et secundum regulam a Deo datam, ritumque legitimo administret, non dubito panem et calicem illius manu porrecta, esse corporis et sanguinis Christi pignora: putidas istas nœnias piget excutere, ut cum dicunt, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, nempe Magistrorum suorum dictatu recinunt.*

Conclusio prima. — REVERA AD CONFECTIONEM ET VALIDAM ADMINISTRATIONEM SACRAMENTI REQUIRITUR IN MINISTRO INTENTIO FACIENDI REM SACRAM. Hæc est de fide, determinata in Concilio Florentino, in decreto Eugenii, ubi legimus: *Omnia legis Evangelicæ Sacramenta tribus perficiuntur; rebus ut materia, verbis ut forma, et per-*

sona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Et ex Trident., Sess. 1. Can. 11. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferant, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sess. 14. cap. 6. *Non debet Pœnitens ita sibi de sua ipsiusmet fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit cōtritiō, aut Sacerdoti animus serio et vere absolvendi desit, ut tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum credat, nec enim fides sine penitentia remissionem peccatorum præstaret; nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.* Et Can. 9. *Si quis dixerit absolutionem Sacerdotalem non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut Sacerdos serio aut joco absolvat, anathema sit.* Idem constat ex Bulla, qua Martinus V in fine Concilii Constantiensis damnat errores Hussitarum et Wiclefitarum, ubi suspectum interrogat, an credat quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere baptizet, vere absolvat, et alia denique Sacramenta vere conficiat.

Probat Doctor hanc veritatem in 4. dist. 6. q. 5. duplici ratione: *prima* quidem, n. 4. ex eo quod omnis actus ex se indifferens ad significandam rem sacram et profanam, debet determinari ab aliquo, ut sit sacer: sed quæ aguntur in Sacramentis indifferentia sunt ad multa; possunt enim agi propter officia multa, multosque fines, et ablutio quæ fit in Baptismo, fieri potest ad munditiam corporalem, ad sanitatem corporis, ad ludum, et similia: nihil est autem per quod determinetur ad unum Sacramentalem effectum, nisi sola ministrantis intentio; quia determinata verborum forma determinat materialem Sacramenti actionem ad effectum proprium; at ipsa verborum forma Sacramentalis determinari debet per intentionem Ministri: nam verba, quæ sunt indeterminata, ut in Baptismo hæc: *Ego te baptizo*, nisi determinentur intentione, qua Minister vult facere quod Ecclesia facit, certum est quod abluitionem aquæ non ordinarent ad animæ sanctificationem, unde non essent Sacramenti forma; Baptizantis autem intentio significatur per verba Evangelica; *Ego te baptizo*, etc. Pariter et intentio Ministrorum in aliis Sacramentis per verba eorum formæ.

Probat secundo, n. 3. ex eo quod omnis actus Sacramentalis debeat esse actus humanus, seu iudicio deliberatus: « nam, ut inquit, intentio « requiritur in quocumque homine agente aliquid non fortuite, vel « exercente aliquem actum humanum, proprie loquendo de actibus humanis, qui scilicet causantur per intellectum et voluntatem ab « homine: ille autem actus, quem Minister debet exercere, debet esse « humanus in eo, et non casualis, vel fortuitus; quia super fortuita « non cadit obligatio: ipsa etiam obligatio est, ut homo intendat illud, « ad quod obligatur ». *Ita Doctor.* Quasi diceret: ministratio Sacramentorum necessario debet importare intentionem Ministri: tum quia est actus humanus, quippe cum Christus Dominus Sacramenta commiserit Ministris, et dispensatoribus honorum Ecclesiæ; actus autem humanus necessario requirit intentionem, qua dirigatur in proprium

effectum, quia quæ fiunt absque intentione casualia sunt et fortuita, ac proinde censi non possunt fieri cum deliberatione, et humano modo: tum quia Minister, cum sit delegatus a Christo, debet agere eo modo, quo sibi demandatum est: et subinde debet intendere id exequi, quod est sibi delegatum et præceptum: at actio præcepta debet fieri cum intentione, quia super fortuita non cadit obligatio: igitur etc.

DICES 1: Si requireretur intentio in Ministro Sacramenti, maxime, quia Deus non conferret effectum Sacramenti, nisi juxta intentionem ministrantis: sed ita non est, plerumque enim Deus gratias et beneficia divina confert præter intentionem Ministri, seu instrumenti, quo utitur ad illum effectum. Nam Gen. 17. Isaac præter intentionem benedixit Jacob, cum Esau benedicere intenderet: quam tamen benedictionem Deus ratam habuit: ergo a simili, licet Minister conferat Sacramentum præter intentionem, non minus suscipiens effectum Sacramenti consequetur. — **Nego minorem;** et ad ejus probationem dico, exemplum propositum adversariorum causæ non patrocinari, imo ei adversari, siquidem Isaac revera habebat intentionem benedicendi unum ex suis filiis, eumque primogenitum instituere in domo sua, quamquam erraverit in persona: igitur licet Sacramenti Minister erraret in persona, modo revera intendat Sacramentum conferre, non minus suscipiens effectum Sacramenti consequetur.

DICES 2: Non magis requiritur intentio in ministrante Sacramentum, quam in prædicante Evangelium, siquidem Christus Dominus Matth. 20. eodem modo delegat Apostolos ad baptizandum, et prædicandum, dicens: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos, etc.*: sed non præcepit intentionem in docendo, siquidem Evangelii prædicatio, etiam non sincere et per invidiam facta proficit, ut docet S. Apostolus ad Phil. 1. *Quidam quidem, et propter invidiam et contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Igitur ex ordinatione Christi Domini non etiam requiritur intentio in Sacramentorum administratione. — **Nego antecedens;** et ad ejus probationem dico, non omni modo sed dumtaxat secundum quamdam comparationem delegatam fuisse potestatem baptizandi, et prædicandi; siquidem Baptismus dirigebatur ad omnes prorsus etiam parvulos; prædicatio vero dumtaxat ad adultos: unde licet duo ista ministeria simul præcipiantur, non tamen eodem modo, sed accommodata ad rem præceptam, et ad suscipientes. Hinc non est eadem prædicationis, et ministrationis Sacramenti sors, nam verbum Evangelii proponit quidem res credendas, non autem creditas efficit; unde ex parte ministrantis tantum est speculativum: verbum autem Sacramentale est practicum et efficax. adeoque ex parte ministrantis debet determinari ad eum effectum, ad quem ordinatur.

DICES 3: S. Augustinus dubius hæret, nec quidquam certo definit circa necessitatem intentionis Ministri: igitur non fuit semper ratum ac certum in Ecclesia Ministri intentionem esse necessariam. *Probatur antecedens ex eodem S. Augustino, lib. 7. De Baptismo, cap. 53.*

ubi inter varias quæstiones, quas sibi proponit, etiam inquirens, an qui baptizat animo simulato vel joco vel ludo revera baptizet, cum dixisset: *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio determinata sunt: id autem fiducia securæ vocis assererem, quod in gubernatione Domini nostri Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Subjicit: *Si quis tamen forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versatur, non præcedentibus talibus, quorum sententiam sequi mallet, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem: si eodem modo affectus essem, quo eram, cum hæc dictarem, nequaquam dubitarem eos habere Baptismum, qui ubicumque, et a quibuscumque illud verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent, quamquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent qua Catholice inserebantur Ecclesiæ.* etc. Quibus verbis significat, se non dubitare quin Baptismus administratus verbis Evangelicis sit validus, etiam absque ulla baptizantis intentione, probitate, et fine. — **Nego antecedens:** sanctus enim Augustinus ibidem ea de re dubitabat, quia nullum adhuc Concilium generale id definierat; nunc autem constat intentionis necessitatem in Ministro definitam fuisse in tribus Conciliis, Constantiensi, Florentino, et Tridentino: unde inferre licet, quod si adhuc superstes esset sanctissimus ille Doctor, huic definitioni ac veritati acquiesceret: dum autem ait, sibi certum esse, quod valet Baptismus Evangelicis verbis consecratus, solum intendit significare Baptismum esse validum a quibuscumque Ministris, vel hæreticis vel Catholicis, conferatur; non autem quod ad validitatem Baptismi dumtaxat requiratur ablutio cum prolatione verborum formæ, cum exclusione intentionis Ministri.

INSTABIS: Sanctus Augustinus censet, validum esse Baptismum ab hæreticis collatum: sed ex illius sententia hæretici non possunt habere legitimam intentionem in Sacramentorum administratione: ergo revera non existimat illam intentionem esse necessariam. *Major constat ex dictis. Minor probatur ex prætatione in Ps. 32. ubi docet legitimam intentionem dirigi per fidem: hæretici autem non possunt habere fidem: ergo nec intentionem debitam.* — **Nego minorem,** et ad ejus probationem dico, S. Augustinum ibidem non loqui de intentione requisita ad confectionem et ministrationem Sacramenti: sed tantum de ea, quæ desideratur ad perficiendum bonum opus meritum; ait enim: « Nemo computet opera sua ante fidem, ubi fides non erat bonum opus non erat; bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit: non attendas valde quid homo faciat, sed quid cum facit, aspiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat ».

URGBIS: idem S. Augustinus Tract. 5. in Joannem, dicit se non timere Ministrum ebrium baptizantem, sed tantum attendere ad Christum, cujus nomine et virtute Baptisma traditur: *Non timeo, inquit, adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat: sed ebrius non potest habere determinatam intentionem, cum non sit compos mentis et rationis.* — **Respondet Doctor** num. 10. S. Augustinum loqui de ebrioso, idest, de homine ad ebrietatem assueto et proclivi, non vero de ebrio

et ratione orbato: ebriosus autem, sicut et adulter, possunt cum per-versa sua habitudine rectam habere baptizandi intentionem. Nec aliud certe intendebat S. Augustinus, nam eo loco agit de Sacramentis per pravum Ministrum collatis, quæ affirmat esse valida.

DICES 4: SS. Patres, ut dictum est in Quæstione præcedenti, constanter docent in Sacramentorum administratione non esse attendendam dantis conscientiam, sed dumtaxat virtutem Christi, cujus nomine et auctoritate Sacramentum confertur; quia alioqui salus spiritualis esset incerta, ut ait S. Augustinus, lib. 1. *Contra Litteras Petiliani*, cap. 3: atqui eadem incertitudo occurreret, si requireretur intentio Ministri: igitur sicut non requiritur in Ministro probitas, ita nec requiritur intentio. — **Respondeo**, concessa *majori*, negando *minorem*; quamvis enim aliqua incertitudo occurrat, plurimum tamen abest, ut tanta sit, quanta foret, si ad validam Sacramenti confectionem Ministri probitas necessario desideraretur: vix enim dari potest aliquis ita improbus, qui intentionem non habeat conferendi Sacramentum; sæpius autem occurrunt Ministri, qui mortali peccato inficiuntur. *Adde quod*, cum intentio facile possit haberi, et consequenter non haberi absque gravissima malitia, quam in Ecclesiæ Ministro suspicari facile non licet: inde moraliter certi esse debemus eum talem intentionem habuisse, sicut habemus de pluribus aliis minus evidentibus, puta quod sinus filii talis hominis, non vero alterius. *Denique*: non major foret certitudo collati nobis veri Sacramenti, si dumtaxat requireretur materiæ et formæ Sacramentalis applicatio: quis enim rescire potest veram et naturalem aquam in suo Baptismate fuisse adhibitam, et integra formæ verba fuisse prolata?

DICES 5: Sacramenta se habent respectu Ministri, sicut medicamenta respectu Medici; illa enim sunt animi remedia, sicut hæc sunt corporis: sed medicamenta corporum non egent intentione Medici ad suos effectus: ergo nec Sacramenta intentione Ministri. — **Nego majorem**: Sacramentorum enim collatio vere est actus humanus: qui tantum operatur ex intentione divina: quare nequidem esse possunt sine agentis intentione, nec agere ex opere operato; quippe cum illa Ministri intentio continetur in illo opere operato, cum istud sit humanum opus.

DICES 6: Sacramenta sunt signa sensibilia, ac proinde constare debent rebus sensibilibus: sed intentio Ministri non est quid sensibile: igitur nil confert ad valorem et integritatem Sacramenti. — **Distinguo majorem**: sunt signa sensibilia speculative significantia, *nego*: practicæ, *concedo*. Ut autem significant practice oportet quod annexam habeant intentionem operantis, et Ministri efficientis, quia actio Sacramentalis fieri debet humano modo, sic autem fieri nequit, ut diximus, absque deliberatione et intentione. *Vel aliter* distingo cum Doctore, q. 5. n. 9. Sacramenta constare debent rebus sensibilibus, si res illæ habeant rationem materiæ et formæ, *concedo*: si se habeant ut determinantes materiam et formam ad esse Sacramentale, *nego*. Vel, ut loquitur Doctor, « dico quod ad Baptismum pertinent aliqua « tamquam intrinseca, et aliqua ut extrinseca: et concedo quod nihil « intrinsece pertinet ad ipsum, vel ad fundamentum ejus, nisi sit sensibile. Tamen sicut causa efficiens requiritur necessario ad ipsum

« tamquam causa extrinseca, ita et illud quod est quasi principium
 « agendi tali causæ effectivæ: principium autem ultimum determi-
 « nans agens intellectuale ad agendum est intentio, quia tale agens
 « per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentia-
 « rum, quæ subjacent imperio voluntatis. Quando ergo dicitur quod
 « nihil pertinet ad Sacramentum nisi sit aliquid Sacramenti, vel res
 « ejus; verum est de eo, quod est intrinsecum ipsius Sacramenti, vel
 « signati ipsius Sacramenti; sed intentio neutro modo est intrinsecum,
 « requiritur tamen ex parte agentis. » *Hæc Doctor:* quibus significat
 materiam et formam, quibus intrinsece constare debet Sacramentum,
 debere quidem esse sensibiles; secus autem de iis, quæ sunt velut
 extrinseca, et ex parte agentis conficientis ac conferentis Sacra-
 mentum.

Conclusio secunda. — SOLA INTENTIO EXTERIOR NON SUFFICIT AD VALIDITATEM SACRAMENTI, SED NECESSARIO REQUIRITUR ETIAM INTERIOR, VEL FACIENDI QUOD FACIT ECCLESIA, VEL QUOD CHRISTIANI FACERE SOLENT, VEL QUOD CHRISTUS DOMINUS JUSSIT; VEL SALTEM FACIENDI CHRISTIANUM EUM, QUI BAPTIZATUR. Ita Doctor loco supra laudato, n. 1. ubi ait: « dico ergo quod intentio finis ultimi
 « nullo modo requiratur in baptizante, quia Paganus nullo modo in-
 « tendit ordinare istum, quem baptizat, ad vitam æternam. Requiritur
 « tamen intentio respectu finis proximi: et hoc vel in particulari, vel
 « in generali: in particulari, ut si intendat istum intrare legem Chri-
 « stianorum servandam: in generali, si intendit facere circa istum,
 « quod Christiani solent facere circa suos. »

Probatur etiam Conclusio iisdem momentis, quibus firmata fuit præcedens; Concilia namque ibi laudata aperte docent, ad validitatem Sacramenti necessario requiri intentionem in Ministro faciendi quod facit Ecclesia: hæc autem intentio non solum est exterior, sed interior. *Confirmatur:* quia si tantum exterior intentio requireretur, consequens esset, quod si per ludum aut jocum aliquis baptizaret aut absolveret, validum conferret Sacramentum: at hoc falsum est, et directe militat in Concilium Trid. Sess., 14. cap. 6. ubi ait: *Non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit Contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit. Subdit: Nec is esset, nisi de sua salute negligentissimus, qui Sacerdote joco se absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret.*

NEC VALET REPONERE, Concilium loqui dumtaxat de subsannatione exteriori, non vero dumtaxat de sola interiori, quæ per externa signa non declararetur. — **Contrarium enim apparet:** *primo,* quia cum subsannatione exteriori potest æque subsistere exterior intentio servandi ritus Ecclesiæ, sicut cum subsannatione interiori. *Secundo,* quia in rei veritate cum subsannatione exteriori potest quis valide baptizari, si in Ministro adsit interior intentio vere baptizandi, et consequenter subsannatio exterior non officit Sacramento, nisi propter interiorem, ideoque si hæc non nocet, nec illa nocere potest.

Probatur secundo: Quia ad Sacramenti perfectionem ea requiritur intentio, qua Minister sese agenti principali conformet, et res et verba

ex se indifferentia determinet ad esse sacramentale: sed intentio faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christiani facere solent, est ea, per quam Minister se conformat Christo principali agenti, et materia ac forma applicata determinantur ad Sacramenti constitutionem, cum ex se sint indifferentia ad alium effectum, si talis desit intentio. Quod utique constat: nam posset aliquis puerum balneo lavare sanitatis causa in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quas divinas Personas invocaret ad instaurandam pueri sanitatem; quamvis autem hæc ablutio haberet eandem materiam et formam quæ solet adhiberi in conferendo Sacramento Baptismatis, illa tamen non foret Sacramentum, quia balneans et abluens non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit pro Sacramento Baptismi: igitur, etc.

DICES 1: Minister se habet ad Sacramentum, ut instrumentum Christi et Dei, non enim est agens præcipuum respectu effectus Sacramenti: sed actio non perficitur per intentionem instrumenti, sed per intentionem agentis præcipui: igitur Sacramentum potest esse validum, etiamsi nulla adsit interior intentio Ministri. — **Respondet Doctor**, quæst. laudata n. 9. ad *maiores*. « quod Minister est causa
« secunda respectu abluionis, non tantum ut ablutio est, sed ut sacra-
« mentalis, et ideo habet propriam intentionem, cum sit agens volun-
« tarium, et non naturale, illam scilicet, quæ pertinet ad cognoscentem:
« sed respectu principalis effectus Baptismi, scilicet gratiæ, potest dici
« instrumentum respectu Dei, eo modo, quo agens dispositivum dicitur
« instrumentum respectu perficientis, et tale agens non habet inten-
« tionem respectu termini principalis agentis, sed respectu sui proprii
« termini; et ita concedo, quod non est necesse baptizantem habere
« intentionem respectu ultimi finis Baptismi, sed respectu Baptismi ». *Hæc Doctor*. quibus significat Ministrum esse causam secundam respectu Sacramenti, sed respectu gratiæ esse dumtaxat instrumentum dispositivum: non est autem necesse, quod conferens Baptismum intendat producere gratiam, sed sufficit, quod intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christiani facere solent. *Unde in forma distinguo minorem*: actio non perficitur per intentionem instrumenti, quod est inanime, et rationis expers, qualis est pennicillus, qui sola pictoris intentione, non autem propria movetur, *concedo*: ejusmodi enim instrumentum in tantum confert ad effectum, in quantum movetur ab agente principali. Si sit instrumentum animatum, et rationale, qualis est aut servus in familia aut præfectus et Judex a Rege delegatus, qui nomine Regis jus populis administret, *nego*: cum enim Rex non eis determinet actiones particulares, sed eos relinquat in eorum arbitrio, hinc est, quod egeant prudentia, qua certas actiones exerceant ex intentione et deliberatione. Sacramentorum autem Minister est ejusmodi: non enim tantum est instrumentum Dei et Christi secundum vim motricem, siquidem non solum movetur et agitur, sed etiam aliquo modo seipsum movet et agit: ejus enim prudentiæ Christus Dominus multa commisit in speciali et determinata Sacramentorum administratione. Ministri namque Sacramentorum sunt dispensatores mysteriorum Dei: sed ex 4. cap. ad Cor. *Inter dispensatores queritur, ut fidelis quis inveniatur*: ac proinde deliberatione et intentione eget, ut debite commissum ministerium impleat.

URGEBIS: Instrumentum etiam ratione præditum non requirit peculiarem intentionem, ut actio, ad quam assumitur, debite fiat per causam principalem: igitur hac ratione non est opus intentione Ministri ad valorem Sacramenti. *Probatum antecessens*: quis enim potest ex alterius commissione emere, aut vendere, nuptias cum absente sponsa contrahere, et alteri inservire per modum interpretis ad deponenda sua peccata coram Sacerdote: sed quovis animo id exequatur ille Minister, et sive actionem improbet, sive approbet, sive volens interius, sive nolens, actio, quam gerit, censetur valida: igitur, etc. — **Respondeo**, aliquid posse fieri per Ministrum duobus modis: *primo*, ut referat tantum mentem et voluntatem hominis, qui cum rei gerendæ interesse non possit, ipsum ut delegatum, internuntium, et interpretem assumit, et constituit: *secundo*, ita ut ille delegatus domini sui personam sustineat, et vices agat; ex suo tamen arbitrio commissum sibi ministerium impleat, ut œconomus, aut dispensator rerum familiæ. Itaque *distinguo antecessens*: instrumentum ratione præditum potest aliquid valide facere citra intentionem, quando rem non exequitur ex proprio arbitrio, nec illa res pendet ab ejus voluntate, sed habet dumtaxat rationem internuntii, aut interpretis, *concedo*; secus, *nego*. Minister autem Sacramenti habet partem in confectione Sacramentorum, quorum est œconomus et dispensator, et illa dispensat et administrat ex proprio nutu, et arbitrio: igitur neganda est *consequentia*.

DICES 2: Non requiritur interior intentio faciendi quod facit Ecclesia, si Baptismus per jocum et ludum collatus, censeatur validus: at ita est: igitur, etc. *Major constat*, qui enim mimice tantum et ludere operatur non aliam habet intentionem, quam ludendi et risum ac voluptatem aliis faciendi. *Minor vero probatur ex facto* S. Genesii Romani Martyris; nam, ut testatur Ado, in suo *Martyrologio* ad diem 25. Augusti: cum Genesius mimum ageret in Theatro coram Diocletiano, ut ludum exhiberet Imperatori, finxit se ægrotare, et proposuit baptizari: ideoque accersiti sunt alii duo Mimi, qui Presbyteri et Exorcistæ personam gerentes, eum aqua lavarent; ab eis autem interrogatus utrum crederet, respondit ex animo se credere, statimque videt desuper manum cœlitus venientem, et Angelos Dei radiantem circa se stantes, qui omnia peccata ejus in ipsa aqua lavarunt. Unde tali visione mirum in modum confortatus, libere, et constanter coram Imperatore professus est se esse Christianum, et idolorum cultum cœpit execrari. Quapropter variis tormentis laniatus, tandem capitis obruncatione gloriosum martyrium subiit. — **Nego minorem**, et ad ejus probationem dico *primo*, S. Genesium dici posse fuisse baptizatum non ministerio hominis, sed Angeli cujusdam ex illis, qui circa illum steterunt. *Secundo*, quod cum repente mutatus esset, et Baptismus serio postularet, potuit docere ipsum Pseudo-Presbyterum ritum legitimum administrandi Baptismus, adeoque licet talis actio visa fuerit sedentibus in theatro tamquam subsannatio, potuit tamen revera cœteri Baptismus serio collatus. Unde in *Martyrologio Roman.* legimus: cum Genesius mysteriis Christianorum illuderet, inspiratus a Deo repente conversus ad fidem, baptizatus est. *Tertio* denique, dici posset non fuisse forte verum Baptisma; licet enim Genesius non fuerit denuo

baptizatus, justificari tamen potuit per vivam illam fidem charitate formatam, qua Catholicam Religionem animose professus est, et martyrium subiit; unde forte non nisi specie tenus baptizatus est Baptismo fluminis, revera autem mundatus per Baptismum fluminis et sanguinis.

URGEBIS: Revera Baptismus per jocum et ludum sine ulla intentione vera collatus, approbatus fuit ab Ecclesia: ergo præfata solutio nulla. *Probatur antecedens*: nam Baptismus ab Athanasio adhuc pueri ludi gratia collatus aliis pueris ratus habitus est, et validus: b Alexandro Episcopo Alexandrino, et ex Concilio Sacerdotum judicatum est pueros illos non esse rebaptizandos, ut constat ex Ruffino, lib. 1. *Ecclesiasticæ Historiæ*, cap. 14. Alexander, inquit, *collocutus cum Concilio Clericorum statuisset dicitur, illis, quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari Baptismum non debere, sed adimpleri ea, quæ a Sacerdotibus ministrari mos est*: idem testatur Socrates, lib. 1. cap. 11. Sozomenus, lib. 2. cap. 16. Nicephorus, lib. 8. cap. 14. Quod autem Baptismus ille collatus fuerit cum sola intentione exteriori, constat: quænam enim potuit esse alia intentio in puero cum pueris colludente, et Episcopum simulante? igitur, etc. — **Respondeo primo**, negari posse *antecedens*, et illius probationem; historia enim illa non ita videtur certa; *primo* namque fuit a Ruffino scriptis mandata: ille autem eam dubiam habet, ut rem, quæ aliorum narratione vulgaretur, unde illam referens, ait: *Ferunt*, etc. *Secundo*, auctores qui prædictam historiam referunt invicem non consentiunt: Socrates enim ait, quod Alexander prætergrediens ludentem Athanasium contemplatus fuerit; Sozomenus eum animadvertisse, cum Clericos convivas expectaret; Nicephorus autem, quod in loco sublimiori sedens hunc ludum observaverit. *Tertio*, idem Socrates ludum hunc puerilem narrans, prætermittit ea, quæ spectant ad Baptismum, neque ullum verbum facit de aliquibus pueris ab Athanasio baptizatis. — Verum, cum Ruffinus memoret, se illam historiam accepisse ab his, qui cum ipso Athanasio vixerunt; ideoque, ne tot tantisque Auctoribus fides denegetur, supposita ipsius rei veritate: *respondet secundo*, Athanasium baptizando habuisse intentionem faciendi quod facit Ecclesia; quod utique colligi potest, *primo* ex eo quod Athanasius tunc temporis licet dicatur puer, nihilominus non erat ætatis ita parum provectæ, quin potuerit intentionem legitimam interiorem habere: tum quia de Athanasio speciatim Sozomenus tradit, quod Alexander non ita diu post eum Convictorem suum, et scribam constituerit; Nicephorus addit, quod non ita longo post tempore illum in Diaconorum ordinem evehærit. Cui consentit Socrates, scribit enim: *Cum jam adolevisset Athanasius, Alexander eum ordinavit Diaconum, Nicæam duxit secum, ut ibi in Concilio sibi esset in disputando subsidium*: unde fit consequens Athanasium ad minimum fuisse 12. annorum, cum hunc Baptismum faceret; Alexander enim eum sibi reliquit successorem in Episcopatu Alexandrino; testatur autem Baronius eum mortuum fuisse anno Domini 326. ludus autem ille, ut refert Ruffinus, contigit anno 311. ac subinde ad minus 12. annorum puer erat Athanasius: qui cum aliunde esset eximia ingenii sagacitate a solertia præditus, facile potuit intelligere, quæ necessaria erant ad Baptismum. Id confirmatur ex eo quod Ruffinus ibidem dicat, pueros ab Athanasio baptizatos, fuisse

Catechumenos; ac subinde jam de rebus fidei eruditos: ergo multo magis ipse Athanasius eas noverat. Tum quia idem Ruffinus narrat « quod cum Alexander hunc ludum puerorum inspexisset, vocavit ad « se Clericos, et eis quid eminus ipse videret, ostendit; tum eos ire « jubet, et comprehensos omnes pueros, ad se perducere: cum ades- « sent pueri, quærit quis eis ludus, quid egissent, et quomodo: illi, « ut talis habet ætas, pavidi negarunt primo: tum rem gestam ordine « pandunt, et baptizatos esse quosdam Catechumenos fatentur per « Athanasium, qui puerilis ludi simulatus fuerat Episcopus: Alexander « diligenter ab iis, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuissent, « quid respondissent: simul et ab eo, qui interrogaverat: ubi videt « juxta Religionis nostræ ritum omnia constare, statuit ex Concilio « Clericorum, iis, quibus aqua fuerat infusa, Baptismum iterari non « debere, sed adimpleri ea, quæ solent a Sacerdotibus ». *Hæc Ruffinus.* Sed Alexander non adhibuit hoc examen, nisi ut expenderet, an baptizans habuisset intentionem faciendi quod viderat in Ecclesia fieri ab Episcopo baptizante: igitur, etc. *Nec obstat*, quod Baptismus ille fuerit per ludum collatus: ludus enim et jocus distingui potest duplex: *unus* quo nulla res seria intenditur, sed tantum simulatio, fingendo videlicet facere, quod revera tamen non fit, ut cum in comœdia quis fingit se manducare, et lugere, cum tamen revera non manducet, nec lugeat: *alius* vero, quo ludus intenditur, tamquam finis extrinsecus actionis, nihilominus serio geritur id quod fit; quemadmodum histriones solent in theatris interdum cœnam instruere ad celebrandas nuptias, ubi revera bibunt et comedunt, quamquam id præsent ad oblectandos spectatores. Hoc autem posteriori modo ludendo baptizabat Athanasius, dirigebat enim baptizandi intentionem ad recreationem et ludum quemadmodum Ministri avari Sacramenta conferunt propter comparandam pecuniam.

Eadem solutione solvitur factum, quod narrat Nicephorus, lib. 3. cap. ult. ubi scribit: « Christianorum pueris, *inquit*, Hebræus puer « familiaris erat, et cum eis ad mare colentibus natandi incessisset « cupiditas, consecutus est eos Judæus: tum per ludum pueri, nudum « ad mare stantem baptizarunt, principio non invitum; posteaquam « vero, et tertiam divini numinis appellationem nominarunt, et simul « tertiam mersionem peregerunt, extrema lineæ vestis textura discissa « imaginario amictu facto in capite ejus arcanam, mysticamque galeam « adumbrarunt. Deinde pro cereo dexteram ligno tenui armantes, quæ « ejus sacri ritus sunt mysteria omnia absolverunt. Postremo et circum « vicinum templum psallentes obambularunt, ut vero etiam templum « ingressi sunt, sanctum munus receperunt. Idem porro ex æquo qui « ita Baptismo initiatus erat, fecit. Quam rem per diligentem inquisi- « tionem cognitam, qui ibi sacris præfuit, ad Ecclesiam Constantino- « politanam renuntiavit: eo etiam puer est accitus, cum quidam Ju- « dæi, ne id fieret, multa molirentur; atqui ibi quoque decretum, ut « tantum ab illo, quod deesset juxta mysterii executionem, comple- « retur: et ita factum est, qui puer, ubi ad justam ætatem pervenit, « in sacerdotii Ordinem est allectus, et ædituus seu Custos maximi « templi factus etiamnum ibi vivit ». Eadem, inquam, solutio, quæ præcedens recurrit: ex hac enim narratione colligitur, quod isti pueri

jam essent grandævi, quippe cum natationi incumberent, et insuper quod suscipiens habuerit intentionem Baptisma revera accipiendi: dicitur enim volens illud accepisse: ac subinde validus tuit ille Baptismus, cum nec materia nec intentio in suscipiente et conferente deesset.

DICES 3: Si in Ministro Sacramenti requireretur interior intentio faciendi quod facit Ecclesia, maxime illa intentio dirigi deberet ad id quod facit vera Ecclesia: sed Baptismus collatus ab eo, qui non intendit facere, quod facit vera Ecclesia, non minus est validus: igitur ad validitatem Sacramenti talis intentio non requiritur. *Major constat. Minor probatur*: hæretici valide baptizant: sed non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana, quæ sola est vera: sed Calvinistæ v. g. tantum intendunt facere, quod fieri assolet in eorum secta et congregatione, quæ non est Ecclesia vera, sed potius synagoga Satanæ: igitur, etc. — **Nego minorem**, et ejus probationem distinguo: Calvinistæ non habent intentionem faciendi, quod facit vera Ecclesia Romana, quoad effectum Sacramenti, puta impressionem characteris, gratiæ sanctificantis infusionem, et realem peccatorum remissionem, *concedo*: non enim existimant hæc omnia per Baptismum fieri, et conferri: non intendunt facere quod facit vera Ecclesia, quoad actum sacramentalem institutum a Christo, quem vera Ecclesia ministrat et celebrat, *nego*: quamquam enim Calvinistæ non credant Ecclesiam Romanam esse veram, nec in ministrando Baptismate intendant facere quod illa præstat, et consequenter habeant intentionem materialiter oppositam intentioni veræ Ecclesiæ, habent tamen intentionem ipsi formaliter conformem: illi siquidem intendunt facere quod Christus instituit, et fieri mandavit: hoc autem ipsum est quod Ecclesia Romana in ministrando Baptismate intendit. Quamobrem Calvinistæ, vel alii hæretici volunt facere quod Ecclesia vera formaliter facit, volunt enim facere quod facit Ecclesia Christi, licet in hoc errent, quod existiment, illam Christi Ecclesiam non aliam esse, quam suam congregationem.

INSTABIS: Vera Ecclesia non tantum intendit actum Baptismi, sed etiam ejus effectum, scilicet peccati remissionem, gratiæ sanctificantis infusionem: at hæretici istud non intendunt, ut concessum est: igitur non intendunt facere quod facit vera Ecclesia. — **Distinguo majorem**: vera Ecclesia id intendit primario, et formaliter, *nego*: sic enim dumtaxat intendit sacrum opus, actum, et ritum sacramentalem: id intendit materialiter, consequenter, seu secundario, *concedo*. Et similiter *distincta minore*, neganda est *consequentia*, non enim est necessum, quod Ecclesiæ Ministri distincte et directe intendant id omne quod intendit Ecclesia, licet hoc laudabile sit. Unde Baptismus a Pelagianis collatus admissus fuit ab Ecclesia, quamquam ipsi in conferendo Baptismate non intenderint remissionem peccati originalis, quod non agnoscebant.

Conclusio tertia. — HABITUALIS INTENTIO NON SUFFICIT AD VALIDAM SACRAMENTI ADMINISTRATIONEM, VIRTUALIS AUTEM EST SUFFICIENS, ACTUALIS VERO EST PERFECTISSIMA. Hæc est communis apud Theologos; eamque tradit Subtilis Doctor, in 4. dist. 6. num. 3. ubi

ait: « Dico quod sola intentio habitualis non sufficit in Baptismate,
 « quia propter istam non dicitur actus ejus, licet sit conformis illi
 « habitui actus humanus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem
 « ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modo intendens sanitatem,
 « sed ad ludum, non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum
 « humanum, sed casualiter vel tortuito, non magis, quam si non
 « habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis
 « non sufficit respectu finis actus humani, ut humanus est. Nec re-
 « quiritur in baptizante semper intentio actualis, quia non obligavit
 « Deus hominem ad impossibile, vel nimis difficile, cujusmodi est
 « non distrahi, quia secundum Augustinum, 3. *De Lib. Arb.* *Non est*
 « *in potestate nostra, quin visis tangamur.* Nec etiam plus obligavit
 « Ministrum in illo actu, quam in exequendo actus aliorum Sacra-
 « mentorum. In conficiendo autem Eucharistiam, quæ est excellentis-
 « simum Sacramentum, non obligavit hominem ad non distrahi, quia
 « prius intendens celebrare, licet in proferendo verba Sacramentalia
 « distractus sit, vere tamen conficit. Ex his concludo, quod sufficit
 « in baptizante intentio virtualis, hoc est, quod aliquando habuerit
 « intentionem actualem, ex qua descendit tunc vere actus baptizandi,
 « sive in isto actu habet intentionem actualem, vel aliquam ex ea
 « descendantem, sive non. Intellego autem, quod descendit iste actus
 « absque omni motu voluntatis contrario interveniente. Sic ut si induens
 « se ad Missam, intendens celebrare secundum usum Romanæ Eccle-
 « siæ, et ex isto procedat continuo forte secundum aliquem habitum de-
 « relictum in phantasia, cum magna distractione, vere facit ea, quæ ne-
 « cessaria sunt ad istum actum Sacramentalem, qui est conficere ».

Probatur autem Conclusio: quia (ut diximus) Minister in Sacra-
 mentis debet operari humano modo, hoc est, cum deliberatione et
 judicio: sed res, quæ fit cum intentione tantum habituali, non fit
 semper cum deliberatione et judicio, ebrius enim et furiosus multa
 potest exequi ex habitu aliunde comparato. *Deinde,* habitualis intentio
 est indifferens ad hunc, aut illum effectum, nec determinari potest ad
 unum potius, quam ad alterum, nisi accedat quædam actualis adver-
 tentia mentis, et deliberatio voluntatis: si quis enim habitu miseri-
 cordiæ præditus, nihil de eleemosyna cogitans, projiciat pecuniam,
 quam pauper accipiat, illa pecuniæ projectio et collectio non censetur
 actus misericordiæ, quia fit absque advertentia rationis et delibera-
 tione voluntatis; unde sequitur, quod si quis dormiens, aut amens ex
 contracto habitu baptizaret, aut verba consecratoria proferret super
 debitam materiam, nullus esset Baptismus, nullaque consecratio, cum
 ipse potius ageret ex impetu, et operaretur instar naturæ, non vero
 modo humano et voluntario.

DICES 1: Intentio habitualis sufficit ad suscipiendum Sacramentum:
 igitur et ad conferendum. *Probatur antecedens:* si furiosus aut amens
 per lucidum intervallum postulaverit Baptismum, deinde furore aut
 amentia corripitur, non tantum potest, sed etiam debet ei Baptismus
 conferri, quoniam ille censetur habere intentionem habitualem susci-
 piendi Baptismatis: igitur, etc. — **Nego consequentiam:** plura namque
 requiruntur ad conferendum Sacramentum, quam ad suscipiendum;
 quia suscipiens se habet ad modum patientis, non agentis; ideo in

eo solum desideratur, quod non ponat obicem per reluctantiam voluntatis. Qui vero Sacramentum ministrat, cum habeat rationem agentis, ideo tenetur per operationem humanam Sacramentum administrare, et ejus materiam et formam ad esse Sacramenti determinare: id autem fieri nequit, nisi sit in eo voluntatis actus, cum actione Sacramentali conjunctus, quo velit implicate vel explicite facere quod facit vera Ecclesia; ac subinde necessum est, quod ejus actio vel habeat annexam illam intentionem, vel saltem ex ejus virtute procedat.

DICES 2: Si quis ebrius ex habitu percutiat aliquem, ejus intentio sufficit, ut ei deputetur ad peccatum, et subjiciatur pœnæ: igitur pari ratione illa intentio habitualis sufficiet ad bonum aliquod opus præstandum, et consequenter ad validam Sacramenti confectionem. — **Nego consequentiam:** nam illa percussio non vertitur vitio, nec imputatur ad culpam, pro tempore quo ebrius aut amens eam elicit in amentia aut ebrietate, sed solum propter pravam habitudinem et voluntariam consuetudinem ac complacentiam: hæc autem de actione Sacramentali dici non possunt; nam illa æstimari debet ex tempore, quo elicitur; quippe cum ejus materia et forma, ex se indifferentes, determinari debeant ad esse Sacramenti per intentionem conferentis.

Probatur secunda pars, nempe quod actualis intentio sit sufficientissima et omnium optima; omnis enim intentio sufficiens ad Sacramenti veritatem in actuali fundatur, et ab ea vim suam accipit. Unde Minister eniti debet eam habere ministrando, quia tendere debet ad ministerii sui perfectionem. Hæc tamen non est omnino necessaria; Deus enim justior est, quam qui ad impossibilia obliget: at est impossibile Ministrum habere semper actualem intentionem in administratione Sacramenti; mentis enim evagatio prohiberi non potest; nam humanum ingenium adeo lubricum est et inconstans, ut suam in una re cogitationem diu retinere non possit: in potestate nostra quippe non est, ut variis sensibilibus objectis subinde non afficiamur, et ad diversa phantasmata non distrahamur.

Tertia pars denique constat, nempe quod intentio virtualis sufficiat. Ut enim actio Sacramentalis fiat debito modo, sufficit quod fiat cum ea deliberatione, quæ requiritur, ut actio sit moralis et humana: at ad id sufficiens est intentio virtualis, ut omnes fatentur, ac proinde etiam sufficit ad legitimam Sacramenti ministrationem. Hanc veritatem probat Doctor eadem dist. 6. qu. 6. num. 2. ubi ait: « Si aliquis
« intendit in principio Missæ celebrare Missam, si postea est distra-
« ctus, non habet actualem intentionem, quando est distractus; patet,
« quia non intelligit tunc illud in actu: ergo nec vult illud in actu.
« Nec habet tantum intentionem habituales, quia talem habet dor-
« miens: habet ergo se medio modo: et hanc ejus dispositionem ap-
« pello *intentionem virtualem*, quia scilicet virtute alicujus intentionis
« prius habitæ actualiter, facit omnia quæ facit, ex illa tanquam ex
« radice: ita quod illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad
« omnes istos actus, et habet in se virtualiter intentionem propriam
« cuilibet istorum actuum, sicut intentio finis habet in se virtualiter
« intentionem propriam cujuscumque ordinati ad finem: et pro tanta
« manente intentione cujuscumque ad finem ordinati, manet ista in-
« tentio actualis prima, virtualiter in omnibus istis ».

« Hoc modo intendens ire ad S. Jacobum, ex intentione hujus finis
 « ordinat multa alia necessaria ad illum finem. Exequens autem illa
 « ordinata, non semper cogitat de S. Jacobo, nec de reverentia ejus.
 « Dico tamen, quod semper meretur, quia vel habet intentionem eo-
 « rum, quæ sunt ad finem, cujus est illa prima intentio, vel habet
 « actus aliquos sequentes ex illis intentionibus; licet cum illis actibus
 « concurrant aliqui actus distrahentes, et ab intentione illa prima, et ab
 « intentionibus propriis eorum, quæ sunt ad illum finem, sicut de-
 « claratum est in 2. dist. 14. et in 3. dist. 15. ubi dictum est, quod
 « forte Martyres in actu sustinendi martyrium non habuerunt inten-
 « tionem, nisi istam virtualem, quia immensitas pœnarum absorbebat
 « forte usum rationis; ista tamen perpessio pœnarum erat quidam ef-
 « fectus derivatus ex intentione servandi fidem Dei; et ideo dum du-
 « rabat passio, durabat semper ista intentio virtualiter, sicut in af-
 « fectu ».

EX HIS SEQUITUR, ad valorem Sacramenti requiri intentionem di-
 rectam in Ministro, qua velit actionem Sacramentalem et rem sacram
 ac religiosam perficere ac celebrare; nam Minister in Sacramentis
 debet operari humano modo; ac subinde cum deliberatione et judicio:
 sed id quod fit cum intentione tantum indirecta non censetur fieri hu-
 mano modo: igitur qui vellet tantum actionem Sacramentalem in alia,
 puta Baptismum in largiore vini potu, quia videlicet experimento com-
 pertum habet, se toties moveri ad Baptizandum, quoties largius biberit,
 non baptizaret.

SEQUITUR SECUNDO, aliqua Sacramenta valide ministrari sub con-
 ditione de præsentī, vel de præterito; siquidem jus Canonicum de-
 cernit cap. 2. *De Baptismo*, valere Baptismum conditionatum; nam de
 quibus dubium est, an Baptizati fuerint, baptizantur his verbis præ-
 missis: *Si Baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum Baptizatus es,*
ego te baptizo, etc. Ratio autem hujus assertionis est, quia illa con-
 ditio de præsentī vel de præterito transit in absolutam, juxta illud
 Instit. de Verb. oblig. 7. *Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum*
referuntur, aut statim infirmat obligationem, aut omnino non differunt.
 Veluti, si Titius Consul fuit, vel Sanctus Mævius vivit, dare spondes?
 Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se ha-
 bent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non mo-
 rantur obligationem, licet apud nos incerta sint. Ita Jus Civile, quo
 utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus contradicat, cap. 1. *De novi*
operis nuntiatione ibi. Quia vero sicut leges non dedignantur sacros
 Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum Principum consti-
 tutionibus adjuvantur. — Secus autem est de intentione conditionali pro
 futuro, maxime de ea conditione, quæ humano modo cognosci non po-
 test, puta si Sacerdos hac conditione pœnitentem absolveret: absolvo
 te, si es prædestinatus, vel si non sis denuo peccaturus; nam illæ con-
 ditiones suspendunt actum Sacramentalem: quod enim ut existat,
 pendet ab eventu alicujus effectus ponendi, non potest dici existere,
 quamdiu suspenditur positio ejusmodi effectus: sed ita est de ejusmodi
 intentione conditionali pro futuro contingenti: igitur, etc. *Nec refert*,
 quod conditio de futuro contingenti non minus sit in se certa, quam
 quæ est de præterito et præsentī; nam conditio de futuro, quæcumque

illa sit, suspendit intentionem; nec talis conditio potest dici efficax, quamdiu non ponitur effectus: conditio enim de futuro juxta communem concipienti modum. apponitur ad suspendendum effectum, donec impleatur.

SEQUITUR TERTIO, requiri quod Ministri intentio sit determinata circa materiam ac subjectum, saltem in specie. Non tamen requiritur, ut sit determinata ad subjectum vel personam in particulari, si matrimonii Sacramentum excipias. — *Prima pars constat*, quia actio sacramentalis debet procedere ex intentione Ministri: at ita non procederet nisi versaretur circa materiam determinatam, et subjectum capax suscipiendæ illius actionis sacramentalis; alias enim actio illa esset omnino vaga, et absque deliberatione, et judicio. — *Adde quod formæ Sacramentorum designent aliquod subjectum præsens, ut constat ex his verbis: Ego te baptizo, etc. Absolvo te, etc. Hoc est Corpus, etc.* Nam illæ particulæ *te*, et *hoc*, aliquam personam, aut rem præsentem demonstrant. Hinc fit, ut si Sacerdos habeat præ manibus duas formulas, et unam dumtaxat intendat consecrare, non determinando quænam illa sit, neutram consecrabit: quia intentio non est determinata, sed vaga et indifferens. Si vero putet se unam habere præ manibus, et revera duas habeat, modo velit consecrare id quod habet præ manibus, utramque consecrabit. — *Secunda pars est etiam evidens*, quia non potest melius colligi, quæ debeat esse sacramentalis intentio, quam ex formis Sacramentorum: atqui ex his non apparet, quod illa intentio debeat esse determinata in individuo, quia valida est illa forma circa quodlibet subjectum capax Sacramenti suscipiendi. Unde si Paulus accedat ad deponenda sua peccata coram Sacerdote, qui existimat illum esse Petrum; quamquam Sacerdos intendat absolvere eum, quem existimat esse Petrum, non minus valida erit absolutio. — *Tertia pars tandem apparet*: cum enim in matrimonio conjuges sibi mutuo tradant potestatem suorum corporum in individuum vitæ societatem, ratio et æquitas humani contractus postulat, ut determinatio intentionis feratur in subjectum in particulari: iniquum enim esset, ut quis arctissimo matrimonii vinculo usque ad propriam, vel conjugis mortem, jungeretur ei personæ, cujus affectus et mores nullatenus novisset.

PETES: an qui cum impedimento legitimo, puta defectu examinis prævii, irregularitatis, litterarum dimissoriarum, patrimonii, aut beneficii, etc. accedunt, ut ordinentur ab Episcopo, revera Ordines suscipiant, quando ut plurimi fieri assolet, Episcopus per Ministrum denuntiat publice se non intendere eos ordinare? — **Respondeo**, quod si illa intentio non sit tantum comminatoria, sed absoluta, tales non suscipiunt Ordines: quia intentio prærequisita ad valorem Sacramenti, nempe actualis, aut virtualis, hic non occurrit. Non quidem actualis, quia circa illos Episcopus habet intentionem contrariam, nempe eos non ordinandi. Non etiam virtualis, quia hæc fundatur in actuali præcedente non revocata; specialis enim intentio in individuo determinata generali derogat: at intentio Episcopi de ordinandis his, qui præsentibus sistuntur, est tantum generalis; intentio vero non ordinandi repulsos, est specialis, quæ Episcopum determinat, ut hunc effectum determinate nolit. Igitur eorum ordinatio censetur nulla. — *Nec refert*.

quod Episcopus exerceat eundem actum ordinationis imponendo manus porrigendo instrumenta, et formam proferendo tam circa repulsos, ac circa receptos: nam id exerceat solum materialiter, non autem formaliter: quemadmodum Sacerdos, qui sacros Missæ ritus discit, eadem consecrationis verba protert super debitam præsentem materiam; nec tamen consecrat, quia non protert ea formaliter, seu cum formali intentione consecrandi: idem enim potiori jure dicendum de Episcopo respectu eorum, quos non solum non intendit ordinare, sed absolute, et positive non vult eis ordines conferre.

SI AUTEM REQUIRAS ex quo judicari possit, an Episcopalis illa declaratio sit tantum comminatoria, vel absoluta? — **Respondeo**, istud esse maxime respiciendum ab ipso Episcopo, si adhuc in vivis perseveret: si autem obierit, ejus intentio colligi debet ex verbis, quibus suam mentem declaravit. Si autem ex eis illius mens certo colligi non possit, præfata ordinatio haberi debet ut dubia, et ordinatus tamdiu cessare debet ab officio, donec sub conditione iterum ordinetur.

Mens mihi fuerat hic resolvere, quænam sit Sacramentorum reviviscentia, quæve dispositiones ex parte suscipientis ad debite accipiendum Sacramentum desiderentur; verum cum diversa sit Sacramentorum efficacitas, diversamque dispositionem requirere videantur: ideo convenientius duxi harum quæstionum enucleationem ad Disputationes speciales de singulis Sacramentis differre: ac subinde hæc de Sacramentis in communi dicta sufficiant.

IMPRIMATUR:

FR. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

JOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

quæ in hoc Nono Tomo continentur.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
DISPUTATIO PROCEMIALIS.		institutione, seu causa effi-	
De Sacramentis in communi.	7	ciente, virtute, et effectu .	84
ART. I. De essentia, existen-		QUÆST. I. Utrum solius Dæi	
tia, et numero Sacramento-		sit Sacramenta instituere .	ib.
rum	8	QUÆST. II. Quænam sit Sa-	
QUÆST. I. De natura, seu es-		cramentorum efficacia, et	
sentia Sacramenti.	ib.	virtus	97
QUÆST. II. An, quæ, et qua-		QUÆST. III. Utrum, qualem,	
lis sit materia Sacramento-		et cui Sacramenta caracte-	
rum	26	rem imprimant.	118
QUÆST. III. Utrum, et quæ		ART. III. De legitimo Sacra-	
verba requirantur in Sacra-		mentorum Ministro	142
mentis.	34	Quæ fuerit origo Donatista-	
QUÆST. IV. De necessitate,		rum	145
et existentia Sacramento-		Quis fuerit schismatis, et hæ-	
rum	47	resis Donatistarum progres-	
QUÆST. V. Quot, et quæ sint		sus	146
novæ legis Sacramenta.	67	Quis fuerit Donatistarum suc-	
§ I. Lotio pedum non est pro-		cessus post mortem Constan-	
prie dictum Sacramentum.	76	tini	150
§ II. Aqua benedicta non est		QUÆST. I. Quis debeat esse	
etiam proprie dictum Sacra-		Sacramentorum Minister	152
mentum	80	QUÆST. II. Utrum Ministri	
§ III. Martyrium habet qui-		probitas, et vitæ sanctitas	
dem vim, et efficacitatem		necessaria sit ad valide, et	
Sacramenti: non tamen est		licite conficiendum, et con-	
Sacramentum proprie dictum		ferendum Sacramentum.	159
.	ib.	QUÆST. III. Utrum sacramen-	
§ IV. Panis benedictus, et Eu-		ta valide conferantur ab	
logiæ non sunt Sacramen-		Hæreticis	177
tum proprie dictum	81	QUÆST. IV. Utrum, et qualis	
ART. II. De Sacramentorum		intentio requiratur in Mi-	
		nistro Sacramentorum	215

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC NONO VOLUMINE
CONTINENTUR.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
A			
<i>Actio.</i>			
Tria sunt in Actionibus Hierarchicis	76	Perperam consuetudinem, et traditionem sibi patrocinari censebant SS. Firmilianus, et Cyprianus	193
Agrippinus primus omnium decrevit nullum esse Baptismum hæreticorum	177	Plurima pro veris falsa supponit Firmilianus.	ib.
Non constat eum esse Tertuliano posteriorem	178	Prætensam illam traditionem optime refellit S. Augustin.	194
Sed hoc dogma perperam stabilivit	ib.	Quomodo hæretici possint dare remissionem peccatorum	ib.
Quid sit agere ex opere operato.	98	Non fuit etiam Alexandrinum.	209
Quam imperite hæc vocabula rideat Calvinus.	ib.	Nec Bagajense.	ib.
<i>Aqua.</i>		Neque Sardicense	210
Aqua benedicta non est proprie Sacramentum	80	Sed Nycænum.	ib.
B		Quo sensu S. Augustinus dicitur Canones Concilii Nycæni ignorasse.	211
<i>Baptismus.</i>			
Baptismum collatum ab hæreticis esse validum, definitur in Conciliis	182	Quare Canonis Nycæni de non rebapt. non meminerit S. Epiphanius	212
Probatur ex variis figuris veteris Testamenti	184	Nec S. Basilius	213
Idem decernunt Summi Pontifices	185	Plures fuerunt Canones Nycæni, quam appareant	214
Objiciuntur Canones Apostolorum, et Concilii Nycæni, etc.	186	Non valet Baptismus per jocum ministratus	223
Explicantur, et solvuntur.	187	Explicantur facta S. Genesii, et S. Athanasii adhuc pueri per lusum pueros baptizantibus	ib.
Falsum est Anastasium divinitus esse percussum, quod approbasset Baptisma hæreticorum	188	Quo sensu dixerit S. August. Christum Dominum potuisse dare servo virtutem instituendi Baptismum	88
Objiciuntur decreta SS. Pontificum.	189	Quo sensu dixerit S. Aug. Baptismum mundare per fidem.	104
Solvuntur, et explicantur.	ib.	Solvitur factum pueri Judæi a pueris Christianis baptizati.	225
Objiciuntur SS. Patres, et solvuntur.	190	Quare Calvinistæ vere baptizent	226
Traditione Apostolica constat non esse rebaptizandos hæreticos.	192	Quare Ecclesia in forma Baptismi utatur verbo Græco <i>baptizo</i>	38
		Ebriosus potest valide baptizare. non ita ebrius	219

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Quid sit baptizari frustra a mortuo	166	Quo sensu dicatur universale a S. August.	207
Hæreticus potest reciperet Baptismi characterem, non vero gratiam	195	Cogitur Concilium adversus Cæcilianum	146
Unde error rebaptizantium .	ib.	Aliud cogitur Concilium adversus Cæcilianum cuius non meminerunt Donatistæ	ib.
Baptismus potest esse validus, sine collatione Spiritus Sancti.	196	Cæcilianus habet sibi patrocinantem Summum Pontificem, et Imperatorem Constantinum	117
Quare Baptismus fluminis prodesse possit sine charitate, non vero Baptismus sanguinis.	ib.	Ab eo iudices postulant Donatistæ	ib.
Baptismus hæreticis collatus non prodest ad salutem. .	ib.	Cæcilianus innocens pronuntiatur, non ita Donatus. .	ib.
Quomodo S. Cyprianus admittat validum esse Baptisma collatum ab hæreticis . .	197	Judicio non acquiescunt Donatistæ, postulant aliud iudicium.	148
Quomodo Baptismus possit generare veros Ecclesiæ filios apud eos, qui non sunt in vera Ecclesia	ib.	Denuo absolvitur Cæcilianus	ib.
Cur iterum baptizati tuerint, qui erant a Sancto Joanne Baptista tincti	198	Cogitur Synodus Arelatensis, in qua innocens iterum Cæcilianus declaratur: idem paulo post pronuntiat Imperator	149
Non officit huic veritati S. Cypriani sententia	ib.	Rursus tumultuantur Donatistæ, et Pseudo-Pontificem Romanum sibi seligunt. .	ib.
Non fuit soluta pax, et communio inter SS. Cyprianum, et Stephanum	199	<i>S. Cyprianus.</i>	
Firmilianus sententiam revocavit, et sancte obiit.	200	Quando S. Cyprianus electus fuerit Episcopus Carthaginensis.	178
S. Cyprianus etiam sententiam revocavit	201	Qua occasione dogma Agrippini restauraverit.	179
Dubitatum est an scripta, quæ apud S. Cyprianum rebaptizationi favent, revera illius essent.	ib.	Quod prius fuerat innovatum per Firmilianum	ib.
Magna controversia de Concilio, in quo proscriptum est dogma de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis . .	203	Qui ea de causa excommunicatus fuit a Sancto Stephano Summo Pontifice una cum Episcopis suo dogmati faventibus	180
Quod tamen fuit universale, et Ecumenicum	ib.	Quandonam primum huic dogmati publice patrocinatus fuerit S. Cyprianus cum Episcopis suis collegis. . . .	ib.
Fuit celebratum ante natiuitatem S. August.	204	Celebrat ea de re secundam Synodum Carthaginensem. .	ib.
Non fuit Arelatense.	205	Scribit ad Stephanum Summum Pontificem.	181
C		Istud dogma reprobatur, et damnatur Stephanus, quod acerbè tullit S. Cyprianus, unde tertiam Synodum Carthaginensem cogit, in qua suum dogma confirmat	ib.
<i>Concilium.</i>			
Concilium Arelatense non fuit plenarium	205		
Ei non adfuit Summus Pontifex	206		
Omnes Episcopi non fuerunt ad id vocati.	ib.		

<i>Character.</i>	<i>pag.</i>	<i>Calvinus.</i>	<i>pag.</i>
Quid significetur nomine Characteris	118	Calvini insigne mendacium	105
Duo sunt diversi effectus Characteris	ib.	<i>Conscientia.</i>	
Quomodo distinguatur a gratia, et a virtutibus infusis	ib.	Quid significet interrogatio Conscientiæ bonæ	103
Quinam hæretici Characterem in dubium revocent	119	<i>Circumcisio.</i>	
Characterem imprimi per tria Sacramenta probatur	ib.	Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato	56
Fines propter quos Character admittitur	123	Proponitur effugium contra quod cito præcluditur	58
Quo sensu per Characterem SS. Patres intelligant Baptismum	ib.	Quo sensu Apostolus dixerit Circumcisionem nihil, aut parum prodesse	59
Character est signum non propriè, sed analogice	125	Quare Circumcisio non contulerit gratiam Abrahæ	60
Quare tantum tria Sacramenta Characterem imprimant	ib.	D	
Imperite quidam existimant Doctorem negare Characterem esse formam absolutam	126	<i>Dæmon.</i>	
Character non potest esse relatio rationis, nèque realis intrinsicus, aut extrinsecus adveniens	128	Diabolus potest etiam Sacramenta conferre, nec tamen Deus id imperans esset auctor peccati	158
Revocari potest ad potentiam, vel ad habitum	ib.	Membra Diaboli aliquid possunt, quod ipse Diabolus non potest efficere	154
Character est immediate in voluntate, quia est dispositio ad gratiam	129	<i>Diaconus.</i>	
Quia inducit obligationem ad operandum moraliter; non enim est tantum ad ornatum animæ	130	Peccant Diaconi, et Subdiaconi in statu peccati suum ministerium implentes	172
Qua ratione Character dicatur lumen	131	<i>Donatistæ.</i>	
Qua ratione Character sit indelebilis	132	Origo Donatistarum schismatis	145
Characterem ordinis esse debilem, probatur pluribus exemplis	ib.	Quis fuerit Donatistarum successus post mortem Constantini	150
Solvitur hæc objectio	131	Imperatoris clementiam spernunt	ib.
Objiciuntur alia exempla	137	Eorum aliqui ambiunt videri Martyres	ib.
Solvuntur	ib.	Juliani Apostatæ permissu sæviunt in Catholicos	ib.
Objiciuntur Concilia	140	Quinam præcipui fuerint Donatistarum errores	182
Explicantur	141	E	
Character etiam post mortem perseverat tam in beatis, quam in damnatis, quamquam nullum ejus ab eis fieri possit exercitium	ib.	<i>Eucharistia.</i>	
Quomodo Character remaneat in damnatis ad pœnæ augmentum	142	Cur Eucharistia conficiatur verbis, non vero eis constet	29
		F	
		<i>Fides.</i>	
		Qualiter justus dicatur vivere ex Fide	102

pag.

pag.

G

Gratia.

- Gratia sanctificans conferri potest per peccatores, non quidem licite, sed valide . 169
- Sacramenta novæ legis Gratiâ producunt tantum moraliter 107
- Sacramenta, dum concurrunt ad Gratiæ productionem, non existunt realiter. . . 109
- Proponuntur auctoritates Conciliorum, et SS. Patrum, et solvuntur. 111
- Æqualis inæqualiter major in melius dispositis Gratia producitur 112
- Doctor Subtilis docet Sacramenta inæqualiter dispositis inæqualem posse conferre Gratiâ, non autem, quod de facto conferant . 114
- Sacramenta præter Gratiâ sanctificantem producunt quædam auxilia 115
- Gratia sanctificans sumitur tripliciter. 116
- Quid sit Gratia sacramentalis.
- Quinam jus habeant ad Gratiâ Sacramentalem. . . 117

I

Intentio.

- Quomodo Intentio ministri spectet ad Sacramentum, cum non sit sensibilis . . 220
- Non sufficit intentio tantum exterior 221
- Insufficiens est intentio habitualis 226
- Actualis non est necessaria. 227
- Virtualis sufficit ib.
- Actualis Intentio est omnium optima. 228
- Requiritur intentio directa . 229

L

Lotio pedum.

- Quare Lotio pedum non sit Sacramentum 76
- Objiciuntur verba Christi Domini et explicantur, . . 77
- Objiciuntur SS. Patres, et solvuntur. 78
- Ludus dupliciter potest fieri. 225

M

Materia.

- Ecclesia non mutavit Materiam Sacramenti Matrimonii, sed tantum circumstantias 32

Matrimonium.

- Qua ratione Matrimonium dicitur constare verbis . . 30

Medicamentum.

- Differunt Medicamenta spiritualia a corporeis. . . . 220

O

De Ordine.

- Græci non aliam substantialiter materiam usurpant Sacramenti Ordinis, quam Latini, sed tantum accidentario 33
- Utrum revera ordinetur, qui cum fraude accedunt ordinandi 230

R

Religio.

- Res materialis aliter usurpatur ad cultum Dei, per sacrificium, aliter, etc. . . 19
- Quomodo res sensibiles ad Dei cultum ordinentur 14

S

Sacramentum.

- Quot modis sumatur Sacramenti nomen 7
- Cur prius de essentia quam de existentia Sacramenti disputetur 8
- Sacramenti natura duplex . ib.
- Sacramenta sunt signa. . . . 10
- Potius habent rationem signi quam causæ. 11
- Quomodo Sacramentum significet aliquid occultum, aut manifestum, et a juramento differat ib.
- Sacramenta formaliter spectata sunt in eo ordine quo signum, non vero ut materialiter spectantur . . . 12
- Sacramentum non debet esse necessario signum respectu suscipientis ib.
- Sacramentum est signum sen-

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
sibile, quod suadetur mul- tiplici ratione	12	dent, ac stimulant quam verba	31
Tria sunt distinguenda in Sa- cramento	15	Mutatio essentialis materiæ. Sacramentum irritat, acci- dentalis non irritat	32
Deus potest instituere rem spiritualem pro signo effi- caci gratiæ, sed non foret Sacramentum	ib.	Duplex potest esse determi- natio in verbis Sacramen- torum, triplex significatio, octuplex mutatio	34
Sacramentum est signum prac- ticum sanctitatis, non le- galis, et externæ, sed inter- næ	16	Cur Sacramenta dicantur si- gnacula	43
Non solum sanctitatis futuræ, sed præsentis	17	Sacramenta non sunt neces- saria necessitate intrinseca.	47
Plura fuerunt signa gratiæ per Christum Dominum con- ferendæ, quæ non fuerunt Sacramenta	18	Sacramenta considerari pos- sunt tripliciter	48
Ad rationem Sacramenti non sufficit quod instituat ad cultum Religionis.	ib.	In statu innocentiae nulla fue- runt Sacramenta in reme- dium	49
Plura significant gratiam præ- sentem, nec tamen sunt Sa- cramenta	20	Nec ad animam perficiendam.	ib.
Sacramenti definitio.	21	Nec ad Deum colendum	50
Rejiciuntur definitiones hæ- reticorum de Sacramentis, maxime Sacramentarium, Lutheranorum, Anabapti- starum, Calvinistarum	23	Nec etiam extitissent si status ille perseverasset	ib.
Pauliciani a Sacramentis reje- cerunt res, Calvinistæ ver- ba, Catholici utrumque ad- mittunt	26	Nam deperditam gratiam alio modo quam per Sacramenta potuisset homo recuperare	51
Materia, et verba Sacramen- torum sumi possunt dupli- citer	ib.	Forte tamen aliqua fuissent in- stituta, maxime Euchari- stia	ib.
Materia Sacramentorum de- terminari potest pluribus modis	27	In lege naturæ erat determi- natum Sacramentum.	52
Duplex in Sacramentis potest esse mutatio.	ib.	Cur potius Sacramenta sint in- stituta in statu legis naturæ pro parvulis, quam pro mo- rientibus in utero materno.	ib.
Sacramenta constant materia et forma	28	Remedium legis naturæ erat verum Sacramentum.	53
Quare res visibiles habeant rationem materiæ, et verba formæ	ib.	Non enim justificabantur pueri per actum internum fidei alienæ	54
Res, et verba significant con- junctim, quamquam magis verba	29	Plura erant in lege veteri Sa- cramenta, maxime triplicis generis	55
Res, et verba in Sacramentis debent esse simul simultate moralis, non vero physica	30	Conveniens fuit institui Sa- cramenta in nova lege	65
Res debuerunt determinari a Deo, ut fierent Sacramenta.	ib.	Qua ratione aliqua veteris le- gis Sacramenta sint pepe- tua	66
Res aliquando efficacius sua-		Quo sensu omnia Sacramenta dicantur umbræ veritatis	ib.
		Deum mutando Sacramenta non fuisse mutatum, præ- clare docet Augustinus	ib.
		Sibi non constant hæretici in assignando Sacramentorum numero	67
		Tria maxime ad Sacramenti	

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
novæ legis rationem requiruntur	67	rum circa Sacramentorum efficacitatem	97
Septem esse novæ legis Sacramenta colligitur, ex sacra Scriptura, ex Traditione, ex Conciliis, ex SS. Patribus	68	Sacramenta producunt gratiam ex opere operato, seu vi sua ut causæ instrumentariæ, quod colligitur ex Conciliis, ex scriptura, et præcluditur Calvinii evasio	99
Septenarius numerus commendatur in sacra Scriptura	71	Sacramentorum novæ legis duo sunt munia; nam instruunt significando, et sanctificant gratiam conferendo	106
Objiciuntur, et solvuntur SS. Patres qui pauciora quam septem videntur Sacramenta asserere	ib.	Quare S. Aug. non expresserit in sermonibus discrimen Sacramentorum veteris, et novæ legis	ib.
Ordine congruo septem sunt instituta Sacramenta ut optime declarat Concilium Florentinum, et Subtilis Doctor, et Seraphicus, et Angelicus	74	Sacramentorum efficacia non derogat divinæ majestati, aut potestati	ib.
Panis benedictus, et Eulogiæ non sunt Sacramentum proprie dictum	81	Varie erratum est circa Ministrum Sacramentorum. maxime a Tertulliano, ab Agrippino, et ab aliis	142
Quotuplex distingui possit potestas circa Sacramentorum distributionem	84	Tria requiruntur in Sacramentorum administratione	152
Solus Deus proprie et complete potest instituire Sacramenta	86	Soli homines possunt esse ordinarii ministri Sacramentorum	153
Qua ratione Sacramenta legis naturæ dicantur ab hominibus instituta, et legis Mosaicæ ab Angelis	ib.	Duplex est Sacramentorum minister, ordinarius, et extraordinarius	152
Purgare immediate est effectus Sacramentorum, non vero solum mediate	87	Quam impie circa Ministrum Sacramentorum erraverit Lutherus, et Calvinus	ib.
Christus Dominus quatenus homo, est tantum causa moralis, et meritoria institutionis Sacramentorum	88	Soli viatores possunt ministrare Sacramenta	154
Efficacia Sacramentorum provenit ex passione Christi	90	An S. Thomas nunc Sacramenta conficiat, et conferat	ib.
Christus Dominus omnia novæ legis Sacramenta immediate instituit	92	Angeli possunt extraordinarie ministrare Sacramenta	155
Christus Dominus non omnem, quam accepit a Patre, potestatem dedit Apostolis	94	Duplex est Sacramentorum administratio	159
Quo sensu Christus Dominus dicatur sui Sacramenti institutor	ib.	Quænam Sacramenti administratio debeat esse vitalis	157
Quare Sacramentorum formæ, et virtus non sint scripta	95	Quisnam sit minister malus, a quo non licet petere Sacramenta	159
Qua ratione aliqui Doctores negent omnia Sacramenta a Christo Domino instituta	ib.	Quinam hæretici recentiores docuerint Sacramenta non posse ministrari per peccatores	160
Referuntur errores hæretico-		Sacramenta confici, ac ministrari possunt per malos Ministros	ib.
		Ministri pravitas ipsi officit,	

	<i>pag.</i>
non autem suscipienti Sa- cramentum	164
Quam perperam Donatistæ ne- gabant Ministros posse va- lide conferre Sacramenta . . .	ib.
Quid significet Oleum peccat- oris, cujus unctionem res- puit David	ib.
Quomodo Spiritus sanctus fu- giat fictionem ministri	165
Quid significant muscæ mo- rientes odorem fœdantes. . . .	ib.
Qua ratione immundus possit alium mundare.	166
Ministri pravitas Sacramento non officit	168
Quinam mali ministri Sacra- menta irrita faciant, ac pro- fanent	169
Sacramenta per malos Mini- stros nihil suæ sanctitatis deperdunt	170
Novum peccatum est, Sacra- menta in statu peccati mini- strare	ib.
In extremis potest quilibet Sa- cerdos Sacramenta valide ministrare	173
Licite petuntur Sacramenta a malo ministro non præciso. . .	ib.
Quomodo agendum sit cum ministro Simoniaci	175
Non licet petere Sacramenta a ministro præciso.	176
Quatuor regulæ, quibus inno- tescit qualiter in petendis Sacramentis quis sese gere- re debeat.	ib.
In Ministro Sacramenti du- plex potest esse intentio.	215
Quæ in alias subdividitur	ib.
Quid de intentione ministri censuerint Lutherus, et Cal- vinus	216
Intentio ministri necessaria est ad validam administratio- nem Sacramenti	ib.
Deus non confert beneficium præter intentionem ministri. . . .	218
Cur potius intentio requiratur in conferente Sacramenta, quam in prædicante	ib.
Dubius hæsit S. Aug. de ne- cessitate intentionis mini- stri	219
Quare magis desideretur in-	

	<i>pag.</i>
tentio quam probitas mini- stri	220
Sub qua conditione possint in- terdum Sacramenta mini- strari	229
Intentio debet esse determina- ta circa subjectum, saltem in specie, non autem in par- ticulari	230
<i>Sigillum.</i>	
Signum quid sit	9
Quibus conveniat.	ib.
Illius divisiones multiplices . .	ib.

v

Verbum.

Triplex distinguitur Verbum in Sacramentis.	35
Consecratorium respuunt hæ- retici Calvinistæ, et Luthe- rani	ib.
Sacramenta novæ Legis de- bent constare verbis.	ib.
Quia fuit conveniens ex parte instituentis Sacramenta, ex parte suscipientis, et ex parte significationis Sacra- menti	36
Quomodo res sacramentales sint verba analogice.	37
Sacramenta novæ Legis cla- rius significant, quam ve- teris	ib.
Quare verba debeant esse de- terminata in Sacramentis	ib.
Quomodo verba Sacramentalia eadem sint apud omnes na- tiones	ib.
Christus Dominus instituit verba Sacramentalia impli- cite; explicite vero colli- guntur ex traditione, et praxi Ecclesiæ.	38
Quomodo verborum transpo- sitiio officiat Sacramentis, et interruptio, et commu- tatio verborum in alia signa. . . .	39
Additio verborum potest esse vel intrinseca, vel extrin- seca, vera, vel falsa, falsa autem est vel corruptiva sen- sus, vel non.	40
Additio corruptiva solum col- ligi potest interdum ex in- tentione ministri	41

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Quomodo detractio verborum officiat Sacramento	41	Verbum Sacramentale est consecratorium	46
Corruptio verborum non semper invalidum efficit Sacramentum	ib.	Verba consecratoria non sunt superstitiosa, aut magiam redolentia, ut impudenter oblaterat Calvinus.	47
Verbum Sacramentale non est tantum promissorium	42	Necessitas in moralibus duplex, præcepti scilicet, et medii	ib.
Verbum Sacramentale non est concionale, nam concio tantum requiritur in adultis ut dispositio.	43	Hæc rursus duplex, intrinseca, et extrinseca	ib.

